32 01
[illegible]

SUPPLEMENTUM

AD

HISTORICA RUSSIÆ MONUMENTA.

SUPPLEMENTUM

AD

HISTORICA RUSSIÆ MONUMENTA,

EX ARCHIVIS AC BIBLIOTHECIS EXTRANEIS

DEPROMPTA,

ET

A COLLEGIO ARCHÆOGRAPHICO

EDITA.

PETROPOLI.

TYPIS EDUARDI PRATZI.

1848.

32 01/42

3/2 01/37

ДОПОЛНЕНІЯ

КЪ

АКТАМЪ ИСТОРИЧЕСКИМЪ,

ОТНОСЯЩИМСЯ КЪ РОССІИ.

СОБРАНЫ

ВЪ ИНОСТРАННЫХЪ АРХИВАХЪ И БИБЛІОТЕКАХЪ

И ИЗДАНЫ

АРХЕОГРАФИЧЕСКОЮ КОММИССІЕЮ.

С. ПЕТЕРБУРГЪ.

ВЪ ТИПОГРАФІИ ЭДУАРДА ПРАЦА.

1848.

Инвент. № 423821

PRÆFATIO.

Supplemento hoc ad Historica Russiae Monumenta, quod nunc demum in lucem prodit, conjunguntur varia diplomata, quae Russorum res gestas spectant, et Collegii Archaeographici studiis e bibliothecis et archivis nationum exterarum deprompta, diversis earum linguis, Graecè, Latinè, Italicè, Germanicè et Polonicè conscripta erant.

Prima quidem hujus libri fundamenta ipse illustrissimus Comes S. S. Uwarow, publicae educationis Minister, ponere dignatus est. Cum enim Romam adiisset an. 1844, contigit ei, ut forte fortuna et urbanissima humanitate eminentissimi Praelati Comitis Marino-Marini, qui archivo secretiori Vaticano praeest, adjutus, inibi inveniret non mediocrem litterarum diplomaticarum copiam inter autographa Possevini, qui legatus olim fuit a latere Pontificis Romani Gregorii XIII, ad Magnum Principem nostrum Joannem Basilidem, an. 1581—1582 Mosquam missus. Quem thesaurum, cùm complecteretur documenta maximae auctoritatis et magna ex parte nondum edita, Uwarow Comes illustrissimus oculis Augustissimi Imperatoris ea, qua par erat, pietate subjicere non dubitavit. Unde factum est, ut summo Imperatoris jussu, tota haec collectio Posseviniana Collegio Archaeographico imprimenda traderetur. Veritas et integritas singulorum Possevini apographorum comparata cum authenticis Vaticanis exemplis, ipsius Comitis manu et sigillo archivi confirmata est.

Ad supplendam Possevinianam collectionem, Archaeographicum Collegium conquisivit e duabus bibliothecis Imperatoriis, Publicâ et Aulicâ Palatii alia

Антикварная
КНИЖНАЯ ТОРГОВЛЯ
В. КЛОЧКОВА
Спб. Литейный 55

ПРЕДИСЛОВІЕ.

Въ Дополненіяхъ къ Актамъ, относящимся къ Россіи и писаннымъ на иностранныхъ языкахъ, содержатся историческіе памятники на Греческомъ, Латинскомъ, Италіянскомъ, Нѣмецкомъ и Польскомъ языкахъ, собранные Археографическою Коммиссіею въ заграничныхъ библіотекахъ и архивахъ.

Первоначальное основаніе этому изданію положено Его Сіятельствомъ, Господиномъ Министромъ Народнаго Просвѣщенія, Графомъ С. С. Уваровымъ. Во время пребыванія своего въ Римѣ, въ 1844 году, онъ, при содѣйствіи Начальника Ватиканскаго архива, Прелата, Графа Марино-Марини, пріобрѣлъ списки съ хранящихся тамъ собственноручныхъ дипломатическихъ бумагъ Поссевина, бывшаго посланникомъ Папы Григорія XIII въ Москвѣ, въ 1581 — 1582 г. Эти документы, составляющіе важный и отчасти новый матеріалъ для исторіи Царя Іоанна Васильевича, всеподданнѣйше поднесены были на Всемилостивѣйшее воззрѣніе Государя Императора, и по Высочайшему Его Императорскаго Величества повелѣнію доставлены въ Археографическую Коммиссію для напечатанія. Подлинность бумагъ Поссевина засвидѣтельствована собственноручною подписью Графа Марино-Марини, съ приложеніемъ печати тайнаго Ватиканскаго архива.

Въ дополненіе этой коллекціи, Археографическая Коммиссія извлекла изъ

insuper monumenta, quae ad eandem Possevini legationem pertinerent: quorum unum inde jam notatu dignissimum aestimare licet, quod oblatum fuit Imperatori Paulo I^{mo}, piae memoriae, dum Ille anno 1782 (tunc throni Rossici Haeres) Romam venisset (*). Imo, tempore procedente, idem Collegium congessit multiplicem diplomatum seriem ex archivis extraneis, Thorunensi, Vismariensi, Bremensi, Hamburgensi et arcano Regiomontano, itemque ex bibliotheca Comitis de la Gardie, quae in castello illius feudali, Leberede dicto, asservatur. Denique, qui commercio literario conjuncti cum Collegio, viri doctissimi, Varsoviensis A. W. Maciejowski, et Leopoliensis D. Zubrycki, ambo non parùm auxerunt collectanea nostra apographis suis veterum praecipuè monumentorum, quae ex nonnullis Galiciae Austriacae chartophylaciis depromere feciliter illis successit.

Collegium itaque Archaeographicum ut officio suo satisfaceret, ad imprimenda omnia ista actorum exempla, secundùm leges sibi praescriptas, ea, qua par est, diligentia et fide sese accinxit. Et primùm quidem: a) Omnia documenta accurate sunt recognita, secundùm archivorum collectiones distributa et in ordinem chronologicum digesta. b) Singulorum actorum inscriptiones Latino simul ac Russico idiomate redditae, exceptis monumentis Germanica lingua exaratis, in quibus vetustae archivariorum inscriptiones variaeque illorum notulae sine ulla mutatione relicta sunt; sed aequum visum est necessarias passim explicationes subjicere interpretationi Russicae. c) Ad calcem actorum accedunt palaeographicae descriptiones exemplorum authenticorum, et indices archivorum et bibliothecarum, ubi singula haec monumenta asservantur, vel unde in Collegium nostrum pervenerunt. d) Archaismi aliaque diversorum dialectorum indicia servata sunt intacta ac plane integra; sed ut ipse verborum contextus lectuiris clarior et facilior fieret, aperta quaedam amanuensium errata pro virili emendata, signaque diacritica ubique sunt apposita, secundùm regulas nostro tempore usitatas. e) In annotationibus margini paginae subjectis commemorantur omissiones erroresque contextûs, item variantes, quas vocant, lectiones, emendationes et supplementa, si quando necessitas urgebat, ut alterum manuscriptum cum altero compararetur. f) Cùm quaedam documenta prorsus careant temporis notatione,

---

(*) Vid. in hoc tomo pag. 403.

Императорскихъ Эрмитажной и Публичной Библіотекѣ нѣкоторые акты, относящіеся къ посольской перепискѣ Поссевина, изъ которыхъ одинъ достопамятенъ тѣмъ, что поднесенъ былъ блаженныя памяти Императору Павлу Петровичу, когда Онъ, будучи Наслѣдникомъ Всероссійскаго Престола, въ 1782 году посѣтилъ Римъ (*). Сверхъ того, Коммиссія пріобрѣла значительное число документовъ изъ архивовъ, Торунскаго, Висмарскаго, Бременскаго, Гамбургскаго и Кенигсбергскаго, и изъ библіотеки Графа Делагарди, находящейся въ фамильномъ за́мкѣ его Леберѐдэ, близъ города Лунда. Наконецъ, Корреспонденты Коммиссіи, Варшавскій А. Мацѣевскій, и Лембергскій Д. Зубрыцкій доставили ей многіе памятники старинной письменности, найденные ими въ архивахъ Австрійской Галиціи.

Приготовляя къ изданію въ свѣтъ сіе собраніе актовъ, Археографическая Коммиссія руководствовалась слѣдующими правилами: а) Всѣ письменные документы, по тщательномъ ихъ разсмотрѣніи, расположены по отдѣламъ коллекцій и приведены въ хронологическій порядокъ. б) Заглавія къ актамъ составлены на Латинскомъ и Русскомъ языкахъ, исключая документы писанные по-Нѣмецки, при которыхъ сочтено нужнымъ оставить безъ измѣненія всѣ старинныя архивскія заглавія и отмѣтки, и ограничиться присовокупленіемъ къ нимъ необходимыхъ объясненій по-Русски. в) Къ актамъ присоединены палеографическія описанія подлинниковъ, также означены архивы и библіотеки, гдѣ они хранятся, или откуда поступили въ Коммиссію. г) Архаизмы и особенности нарѣчій, на которыхъ писаны акты, сохранены во всей точности; но для бо́льшей ясности, очевидныя ошибки писцовъ и невѣрности текста исправлены и грамматическіе знаки препинанія разставлены по общепринятымъ правиламъ. д) Въ подстрочныхъ выноскахъ показаны пропуски и погрѣшности, замѣченные въ текстѣ, также разнорѣчія, поправки и объясненія, сдѣланныя при сличеніи однихъ и тѣхъ же статей по разнымъ манускриптамъ. е) Въ случаѣ недостатка годовъ

(*) См. въ семъ томѣ стр. 403.

quo data, necessarium nobis visum est, spatium temporis, quo illa viderentur conscripta, secundùm modum synchronisticum accuratius definire. g) Quoniam verò in antiquis praecipuè diplomatibus Latinis et Polonicis, partimque Germanicis, tempus designari solet dispari ratione, nimirum, secundùm Calendas, Idus et Nonas, itemque per septimanas ecclesiasticas, per septenarios dies hebdomadis seu ferias, nec non dies festorum Sanctorumque, ad normam Romanorum fastorum(*): propter hanc discrepantiam, et ut in disponendis diplomatibus constans ordo chronologicus retineatur, omnes hujusmodi peculiares temporis et annorum notationes ad recentioris chronologiae formulas inveniuntur reductae, congruentibus tamen canonibus Paschaliae ac indice Ecclesiae Occidentalis Calendario.

Ad numerum rarissimorum Historiae monumentorum, quae in hoc volumine impressa sunt, haec ferè pertinent:

1) Litterae Magni Ducis Moscoviae Joannis, et filii ejus ad Romanum Pontificem Gregorium XIII, an. 1581 (a).

2) Litterae ejusdem ad Romanum Imperatorem Rudolphum, an. eodem (b).

3) Litterae ejusdem ad Poloniae Regem Stephanum Bathorium, et Regis Stephani ad Principem Joannem Basilidem, bello inter illos flagrante, an. eod. (c).

4) Litterae Regis Stephani ad Pontificem Gregorium XIII, e castris ad urbem Plescoviam datae (d).

5) Schediasma litterarum diplomaticarum legati Antonii Possevini ad Magnum

(*) In antiquioribus documentis Latinis et Polonicis, partimque Germanicis, nimis saepe deprehendimus tempus et diem ita fere notatum, ex. gr. «actum et datum ferià sexta ante dominicam Oculi», vel «ferià tertia post dominicam Laetare», et quae sunt similia (vid. in libro Stronczynski, cui titulus: *Wzóry pism dawnych*, edit. Varsoviae, an. 1839, pag. 9, 11, 28, 35, 36, 45, 59, 63, 65, 75—78, 83, 86, 91, 96). Cujus generis exempla plurima et in hoc volumine inveniri possunt (pag. 127, 131, 132, 137, 138, 147, 169, 258, 290, 296, 302, 308, 318, 320, 337, 346, 353, 364—366, 454, 455, 475, 507), aeque ac in vetustis diplomatibus, quae scripta sunt idiomate in Russiae Occidentalis regionibus usitato. Vid. *Акты, относ. къ Ист. Западн. Россіи* I., 23, 26—30, 44, 57, 121, 189. Ad cognoscendam hanc chronologiam, quae nostro aevo prorsus obsoleta, adjuncta est seorsim ad calcem Praefationis tabula, in qua enotantur septimanae ecclesiasticae, sic dictae conceptivae, itemque festa et dies hebdomadis seu feriae, ad normam Calendarii Romani, veteris styli, additis, quae respondent, Russicis et Polonicis nominibus.

a) № 4 et 5.

b) № 13.

c) № 3 et 18.

d) № 8.

при нѣкоторыхъ актахъ, время написанія ихъ опредѣлено приблизительно, на основаніи историческихъ данныхъ. ж) Но какъ въ нѣкоторыхъ документахъ Латинскихъ, Польскихъ и отчасти Нѣмецкихъ, встрѣчается datum, по календамъ, идусамъ и нонамъ, также по седмицамъ, праздникамъ, недѣльнымъ днямъ и памятямъ Святыхъ Римскаго Календаря (*) : то для сохраненія въ расположеніи актовъ общаго хронологическаго порядка, всѣ такого рода лѣтосчислительныя данныя соглашены съ формою новѣйшей хронологіи, сообразно правиламъ Пасхаліи, по указаніямъ Календаря Римско-Католической Церкви.

Къ разряду важнѣйшихъ Историческихъ памятниковъ, напечатанныхъ въ этомъ томѣ, принадлежатъ:

1) Грамоты Царя Іоанна Васильевича, и сына его, Царевича Іоанна Іоанновича Папѣ Григорію XIII, 1581 г. (а).

2) Грамотаего же Римскому Императору Рудольфу (б).

3) Переписка его же съ Польскимъ Королемъ Стефаномъ Баторіемъ, во время военныхъ дѣйствій, 1581 г. (в).

4) Письмо Короля Стефана Баторія Папѣ Григорію XIII, изъ лагеря подъ Псковомъ (г).

5) Посольская переписка Папскаго легата Антонія Поссевина съ Государями

(*) Въ старинныхъ Латинскихъ, Польскихъ и отчасти Нѣмецкихъ актахъ встрѣчается на пр. datum: feria 6, ante dominicam Oculi, или feria 3, post dominicam Laetare (см. Строничинскаго *Wzóry pism dawnych*, изд. въ Варшавѣ, 1839 г., стр. 9; 11, 28, 35, 36, 45, 59, 63, 65, 75—78, 83, 86, 91, 96). Примѣры этого времясчисленія находятся также въ семъ томѣ, стр. 127, 131, 132, 137, 138, 147, 169, 258, 290, 296, 302, 308, 318, 320, 337, 346, 353, 364—366, 454, 455, 475, 507, и въ актахъ, писанныхъ на Западнорусскомъ нарѣчіи: См. *Акт. отн. къ Ист. Зап. Росс.* I., 23, 26—30, 44, 57, 121, 189. Для познанія сей хронологіи, нынѣ почти забытой, прилагается здѣсь особая таблица, въ которой показаны названія подвижныхъ церковныхъ седмицъ, праздниковъ и недѣльныхъ дней по старому Римскому Календарю, съ объясненіемъ этихъ названій по-Русски и по-Польски.

а) № 4 и 5.

б) № 13.

в) № 3 и 18.

г) № 8.

Ducem Moscoviae Regesque Poloniae et Sveciae, nec non ad alias personas ministeriales, an. 1581 — 1582 (e).

6) Itinerarium ejusdem, tempore legationis ipsius in Moscoviam, ad Generalem Ordinis Jesuitarum Claudium Aquaviva scriptum (f).

7) Bullae et Brevia Pontificum Romanorum: Clementis IV, an. 1285, Gregorii XI, an. 1378, Urbani VI, an. 1381, Bonifacii IX, an. 1390, Clementis VIII, script. ad Constantinum Ducem Ostrogiensem an. 1596 — 1598, cum illius Responso, et tres bullae pontificis Urbani VIII ad Poloniae Regem Sigismundum III, an. 1624 (g).

8) Conventus legatorum regni Poloniae et M. Ducatûs Lithvaniae cum bojaris Moscoviticis, spectantes ad epocham Interregni, an. 1608 et 1615 (h).

9) Pacta inter legatos Regis Poloniae Joannis Sobiescii, et bojaros Mosquenses, de sancita pace (i). Russicus hujus diplomatis textus impressus est in *Полн. Собр. Законовъ Росс. Имперіи,* T. II, pag. 168 — 174, sub № 730.

10) Collectio actorum ad Lithvaniae ac Poloniae Annales pertinentium, e XIV et XV seculis (k).

11) Diplomata et alia documenta, spectantia ad historiam Russiae Galiciensis atque Orthodoxae illius hierarchiae, inde a XIV usque ad XVIII seculum (l).

12) Diplomata et acta, in quibus explicantur jura ac privilegia Orthodoxorum Russiae Occidentalis, Poloniae Lithvaniaeque incolarum, nec non jurgia illorum cum zelotypis Catholicis et Unitis, an. 1632 — 1764 (m).

13) Acta de rebus bellicis Cosacorum Zaporogiensium cum Polonis, an. 1647 — 1649, 1655 et 1658 (n).

14) Collectaneum actorum ad historiam equitum Ordinis Teutonici in Livonia

---

e) № 1, 2, 6, 7, 9, 12, 14—17, 19—21, 23, 24, 28—30, 160, 161.
f) № 162.
g) № 39, 46, 64, 65, 106, 164, 193, 194, 196.
h) № 163.
i) № 205.
k) № 43, 44, 49, 210—212, 216, 217, 219.
l) № 38, 40—42, 45, 47—60, 63, 166, 167, 169—176, 178, 182—188, 207, 208.
m) № 66—72, 74, 76—79, 81, 82.
n) № 73, 75, 201, 202.

Московскимъ, Польскимъ и Шведскимъ и съ другими правительственными лицами, 1581 — 1582 г. (д).

6) Путевыя Записки его же, писанныя во время посольства въ Москву, къ начальнику Езуитскаго Ордена Клавдію Аквавива (е).

7) Буллы Римскихъ Папъ : Климента IV, 1285 г., Григорія XI, 1378 г., Урбана VI, 1381 г., Бонифатія IX, 1390 г., Климента VIII, писанная къ Князю Константину Острожскому 1596 — 1598 г. съ Отвѣтомъ его, и три буллы Папы Урбана VIII къ Польскому Королю Сигизмунду III, 1624 г. (ж).

8) Переговоры Литовско-Польскихъ пословъ съ Московскими Боярами, относящіеся къ періоду Междуцарствія, въ 1608 и 1615 г. (з).

9) Договорная грамота Польскаго Короля Іоанна Собѣскаго съ Царемъ Ѳеодоромъ Алексіевичемъ, 1678 г. (и). Русскій текстъ сего акта напечатанъ въ *Полн. Собр. Законовъ Росс. Имперіи,* т. II, стр. 168 — 174, подъ № 730.

10) Матеріалы для Исторіи Литвы и Польши XIV и XV вѣка (і).

11) Грамоты и акты, относящіеся къ исторіи Галицкой Руси и Православной ея Іерархіи, съ XIV по XVIII столѣтіе (к).

12) Грамоты и другіе документы о правахъ Православныхъ жителей Западной Руси, Литвы и Польши, и о борьбѣ ихъ съ Католиками и Униiатами, 1632 — 1764 г. (л).

13) Акты, относящіеся къ исторіи военныхъ дѣйствій Запорожскихъ Казаковъ съ Поляками, 1648 — 1649, 1655 и 1658 г. (м).

14) Матеріалы для исторіи Ордена Ливонскихъ и Прусскихъ Рыцарей, каса-

---

д) № 1, 2, 6, 7, 9, 12, 14 — 17, 19 — 21, 23, 24, 28 — 30, 160 и 161.
е) № 162.
ж) № 39, 46, 64, 65, 106, 164, 193, 194 и 196.
з) № 163.
и) № 205.
і) № 43, 44, 49, 210 — 212, 216, 217 и 219.
к) № 38, 40 — 42, 45, 47 — 60, 63, 166, 167, 169 — 176, 178, 182 — 188, 207 и 208.
л) № 66 — 72, 74, 76 — 79, 81 и 82.
м) № 73, 75, 201 и 202.

et Prussia spectantium, praecipuè quoad res bellicas et foedera illorum cum Magna Russia, Polonia Lithvaniaque, ab an. 1343 usque ad 1520 (o). Denique

15) Documenta historica respectu commercii foederatarum urbium Hanseaticarum in Russiae provinciis (p).

Volumini huic praeparando, ut in publicam lucem prodiret, typisque imprimendo operam navarunt Collegii Archaeographici redactores et collegae, Aulae Imperatoriae protopresbyter Joannes Grigorowicz, et Actualis Statûs Consiliarius B. Komowskj.

o) № 107—158 et 214.
p) № 83, 84, 87—105.

тельно военныхъ дѣйствій и мирныхъ сношеній ихъ съ Россіею, Литвою и Польшею, съ 1343 по 1520 г. (н).

15) Матеріалы для исторіи Ганзейской торговли съ Россіею (о).

Дополненія къ Актамъ Историческимъ на иностранныхъ языкахъ, приготовлены къ изданію и напечатаны подъ наблюденіемъ Главныхъ Редакторовъ и Членовъ Археографической Коммиссіи, Собственнаго Его Императорскаго Величества Дворца Протоіерея Іоанна Григоровича, и Дѣйствительнаго Статскаго Совѣтника Комовскаго.

н) № 107—158 и 214.
о) № 83, 84, 87—105.

TABULA,

indicans septimanas ecclesiasticas, sic dictas conceptivas, itemque festa ac dies hebdomadis seu ferias, ad normam Calendarii Romani, veteris styli, quibus nomina, quae respondent, secundùm Fastos Russicos et Polonicos accedunt.

Circumcisio Jesu Christi.	Nowy rok.	Обрѣзаніе Господне.
. . . .	niedziela po nowym roku.	. . . .
Epiphania Domini J. Christi.	Trzech królów.	Богоявленіе.
dominica 1ma post Epiphaniam.	niedz. 1a po trzech królach.	недѣля 1a по Просвѣщеніи.
Januar. 18. Cathedra s. Petri Romæ.	Katedra św. Piotra w Rzymie.	. . . .
dom. 2a post Epiphaniam. festum ss. Nominis Jesu.	niedz. 2a po trzech królach. Naysłodsze Imie Jezusa.	— 2a по Просвѣщеніи.
Jan. 23. Sponsalia B. Virginis Mariae.	Zaślubienie nayśw. panny Maryi.	. . . .
— *25.* Conversio s. Pauli apostoli.	Nawrócenie św. Pawła apostoła.	. . . .
festum Purificationis B. V. Mariae.	Gromnicy nayśw. panny Maryi.	Срѣтеніе.
Septuagesima.	. . . .	нед. Мытаря (нач. постной Тріоди).
Sexagesima.	niedz. starozapustna, vel 1a przedpopielniczna.	— о Блудномъ сынѣ.
Quinquagesima.	— mięsopustna, vel 2a przedpopielniczna.	— Мясопустная.
Quadragesima.	— zapustna, vel 3a przedpopielniczna.	— Сыропустная.
Febr. 22. Cathedra s. Petri Antiochiae.	Katedra św. Piotra w Antyochii.	. . . .
dies Cinerum.	Popielec, vel wstępna srzoda.	. . . .
dominica Invocavit.	niedz. wstępna.	нед. 1a поста, или православія.
Reminiscere.	sucha.	2a поста.
Oculi.	głucha.	3a поста.
Laetare.	srzodopostna.	4a поста, или крестопоклонная.
Judica.	biała.	5a поста, или похвальная.
Ramispalmorum.	kwietnia.	6a поста, или вербная.
Mart. 19. festum s. Josephi, sponsi B. V. Mariae.	św. Jozefa, oblubienca nayśw. p. Maryi.	. . . .
— *25.* Annunciatio B. V. Mariae.	Zwiastowanie nayśw. panny Maryi.	Благовѣщеніе Богородицы.
Passio J. Christi:	Cierpienie pana Jez. Chrystusa.	нед. Страстная:
feriae hebdomadis: secunda.	wielki poniedziałek.	в. понедѣльникъ. Память св. Іосифа Обручника.
tertia.	wtórek.	вторникъ.
quarta.	wielka srzoda.	среда.
quinta.	wielki czwartek.	четвертокъ.
sexta.	piątek.	пятокъ.
septima, seu sabbatum.	wielka sobota, vel wilia wielkonocna.	суббота.
dominica Paschatos.	niedz. wielkonocna. Zmartwychwstanie pańskie.	нед. св. Пасхи.
Conductus paschae, seu in albis.	— przewodna.	— Ап. Ѳомы.
Misericordiae.	— 2a po wielkonocy.	— Мѵроносицъ.
Jubilate.	— 3a po wielkonocy.	— разслабленнаго.
Cantate.	— 4a po wielkonocy.	— Самаряныны.

Maj. 3. festum Inventionis s. Crucis.	Znalezienie św. Kryża.	. . . .
— *8.* Apparitio s. Archang. Michaëlis.	. . . .	. . . .
dominica Rogate seu rogationum.	niedz. 5ª po wielkonocy.	нед. о Слѣпомъ.
. . . .	Krzyżowe dni (feriis 2, 3 et 4).	. . . .
fest. Ascensionis Dom. Christi.	Wniebowtąpienie pańskie.	Вознесеніе Господне.
dominica Exaudi.	niedz. 6ª po wielkonocy.	нед. св. Отецъ.
festum Pentecostes.	Zesłanie św. Ducha, vel zielone świątki.	Пятдесятница.
. . . .	Suche dni (feriis 4, 6 et 7).	. . . .
festum ss. Trinitatis.	Sw. Troycy.	нед. 1ª всѣхъ Святыхъ. Петровъ мясопустъ.
festum Corporis J. Christi (feria 5).	Boże ciało.	. . . .
dominica 1ma post festum Trinitatis.	niedz. 2ª po zielonych świątkach.	— 2ª и т. д. (безъ особыхъ названій).
festum s. Cordis J. Christi (fer. 6).	Serce p. Jezusa.	. . . .
Jul. 2. Visitatio B. V. Mariae.	Nawiedzenie nayśw. panny Maryi.	Положеніе ризы пресв. Богородицы.
— *16.* Scapulare B. V. Mariae.	Szkaplerzy nayśw. panny Maryi.	. . . .
. . . .	*Aug. 2.* świato nayśw. panny Maryi Anielskiey.	. . . .
Aug. 5. festum. S. Mariae ad Nives.	Nayśw. Maryj panny Snieżney.	. . . .
Sept. 14. festum Exaltationis s. Crucis.	Podwyszenie św. Krzyża.	Воздвиженіе Креста.
. . . .	Suche dni (feriis 4, 6 et 7).	. . . .
Oct. 2. festum s. Angelorum custodum.	swiato Aniołow strożow.	. . . .
— *5.* Rosarium B. V. Mariae.	Rożaniec nayśw. panny Maryi.	. . . .
Nov. 1. festum Sanctorum omnium.	Wszystkich świętych.	. . . .
— *2.* dies fidelium defunctorum.	dzień zaduszny, vel zaduszki.	. . . .
— *21.* fest. Praesentationis B. V. Mariae.	Ofiarowanie nayśw. panny Maryi.	Введеніе во храмъ Богородицы.
Adventûs dominicae 1 et 2ª.	Adwentu niedziela 1 i 2ª.	Постъ предъ Рожд. Хр.
Dec. 8. fest. Conceptionis B. V. Mariae.	Niepokalane poczęcie nayśw. p. Maryi.	. . . .
Adventûs dominica 3ª.	niedz. 3ª adwentu.	нед. св. Праотецъ.
. . . .	Suche dni (feriis 4, 6 et 7).	. . . .
Adventûs dominica 4ª.	niedz. 4ª adwentu.	нед. предъ рожд. Хр.
Dec. 24. dies Adami et Evae, seu vigilia Nativitatis J. Christi.	Adama i Ewy, vel wilia narodzenia p. Chrystusa.	Навечеріе рожд. Хр.
. . . .	niedz. przed Nowym rokiem.	нед. по рожд. Хр.

А) ИЗЪ ВАТИКАНСКАГО АРХИВА,

бумаги Антонія Поссевина,

1581—1582 г.

I.

Relatio A. Possevini, de subsidiis ab Turcarum Imperatore Regi Poloniae Stephano oblatis contra M. Ducem Moscoviae aliosque ipsius hostes.

Записка Поссевина, о пособіяхъ доставленныхъ Турецкимъ Султаномъ Польскому Королю Стефану, для продолженія войны съ Россіею и другими державами.

Imperator Turcarum nuper legatum apud Regem Poloniae habuit, per quem postulavit, ut bellum contra Moscoviae Ducem continuet, promisitque, se illi pecunia ac milite affuturum: quam in rem jam quinquaginta millia militum electorum progredi versus Poloniae fines jusserit, quibus Rex Poloniae pro arbitrio suo uti possit contra Moscum, Imperatorem Germanorum, ac quosvis, qualescumque esse possint, hostes suos. E contra vero petiit, ne regia Majestas Caesari Germanorum ullo tempore contra Turcas consilio, pecunia, aut milite adsit. Cui legato a regia Majestate Poloniae ita responsum est, quod continuationem belli contra Moscum attineret, in eam regiam Majestatem omnibus viribus incumbere. De auxiliis oblatis gratias agit, verum iis regiam Majestatem hoc tempore non egere: sua enim pecunia et suo milite adhuc gestum esse bellum, et deinceps etiam geri posse; petere autem Majestatem suam, ut illa quinquaginta millia hominum a finibus regni removeantur, cùm finitimis detrimento sint. Die 25 Aprilis, an. 1581.

Ex autographo Ant. Possevini (Tom. 1. No. 12), quod asservatur in arcano archivo Vaticano.

II.

Memoriale Possevini, in quo designat Hierarchiae Livoniensis fata, innuitque, praesto esse opportunam occasionem restaurandae inibi Catholicae religionis, praecipue, quod Rex Poloniae cupit etiam orthodoxos Lithuanos ac aliarum provinciarum Russiae incolas ad illam alligare.

Записка Поссевина, о состоянiи Лифлянской Iерархiи и о предстоящей возможности возстановить въ томъ краѣ вѣру католическую, тѣмъ удобнѣе, что Польскiй король Стефанъ намѣренъ ввести ее и въ Русско-Литовскихъ областяхъ, ему подвластныхъ.

Riga, metropolis insignis Livonico mari adjacens, regno Poloniae subest; et postquam Magnus, Regis Daniae frater, a Sigismundo olim Poloniae Rege in archiepiscopum Rigensem nominatus, et apprehensa bonorum mensae archiepiscopalis possessione, haereticus factus, ad Moscum a Polonis desiit, caret Archiepiscopo. Habet undecim suffraganeas, ex quibus sola Culmensis Ecclesia pastore gaudet. Reliquae suffraganeae Ecclesiae in Livonia sunt bello, quod nunc inter Polonos et Moschos ardet, suppositae: sed dextera Domini Catholicissimo Regi assistente propitia, speratur, totam Livoniam Polonis brevi cessuram, et tunc non esset negligenda occasio restaurandae inibi Catholicae religionis, sub Rege optime animato, qui in maximis belli curis sanctissimas juvandae et propagandae Orthodoxae fidei cogitationes non deponit.

Praeterea in Russia, Podolia, Wolynia, Lituania et Samogitia, provinciis regno Poloniae adjunctis, incolae licet dominos habeant catholicos, Graecum schisma retinent obstinate. Senatus et Rex inprimis, qui eorum fidem suspectam habet, cupit eos catholicos fieri: etenim incolae ipsi in schismate Moschis adhaerentes comperti sunt, orationes publice habere pro victoriae eorum contra Polonos.

Ex manuscripto Vaticano Ant. Possevini, Tom. 1, No. 13. An. 1581.

III.

Litterae M. Ducis Moscoviae Joannis ad Regem Poloniae Stephanum: de captivis vicissim permutandis arcibusque restituendis, de pace feriunda, et de juribus pristinis dominii ipsius in Livoniam.

Посланiе Московскаго Царя Iоанна Васильевича къ Польскому Королю Стефану, о взаимномъ размѣнѣ плѣнниковъ, возвращенiи завоеванныхъ крѣпостей, заключенiи мира, и правахъ его на обладанiе Ливонiею.

In nomine Sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nos Joannes Basilii Magnus Dux totius Russiae, Vladimeriensis, Moscoviensis, Nowogrodiensis, Magnus Dux Casanensis, Astrakanensis etc., Stephano Poloniae Regi, Magno Duci Lituaniae etc. Superio-

ribus temporibus, per internuncium tuum Christophorum Diersek accepimus litteras, quibus nos certiores fecisti, nostras te legisse litteras: quod quidem nobis gratissimum fuit, dedimusque internunciis nostris in mandatis, ut tecum de communi pace totius Regni atque Ducatus nostri agerent. Quod autem concessisti senatores Regni nomine nostro tractare de quatuor arcibus in Magno Ducatu Livoniae, quae ad manus tuas praeterito anno devenerunt, infecto autem negotio ad nos redierunt: quod quidem nos moleste tulimus. Quod autem ad nos scripsisti de arce Siebicż, ut eam tibi restitueremus, id nobis gratissimum accidit ob nostrum fraternum amorem et vicinitatem, qua conjuncti sumus; rogamus autem te, ut fraternum amorem erga nos semper retineas. Propter christianitatem nostram, subditos tuos, qui captivi apud nos hic sunt, libere tibi dimittemus: quod quidem a te vicissim enixe contendimus, ut christianum sanguinem affundere desistas. Vielissum autem, Usvjat et Jesiorischa arces tibi libenter concedimus, eam potissimum ob causam, ut bellum contra nos illatum praeteritis annis dimittas. Insuper 400 millia florenorum Ungaricorum pro expensis in milites, quas fecisti, tibi libenter elargiemur: tamen rogamus humiliter te, tamquam Principem christianum, ut arcem nostram Vielichi Łuchi et Zavołociam nobis dimittas. Nam praedecessores tui, ut Sigismundus Augustus, frater noster carissimus, pacem, non autem effusionem sanguinis cupiebant, sed magis publica commoda cum Magno Moscoviae Duce exoptabant; quod minime dubito, te eamdem erga nos benevolentiam et fraternum amorem exoptare. Internuncios tuos, palatinum Masoviae ad nos senatoresque meos misisti cum iis conditionibus, quas nos recepimus, misimusque obviam illis senatores nostros, ut ad conditiones responsum honestum et Regno Poloniae utile darent. Illud etiam non praetermittendum duxi, nos graviter tulisse, quod tu internuntium nostrum, quem nos secundo ad te misimus cum litteris de Magno Ducatu Lituaniae et senatoribus ejus, in custodiam dedisti, nec ipse quidquam conferre potuit de pace cum Lituanis, qui a nobis hoc in mandatis habuit, ut secreto cum ipsis communicaret: nam nos desiderabamus amicitiam propter christianum Principem Stephanum. Tertium autem internuntium Petrum Haraburdam ad nos misisti cum literis inhonestissimis, et adversus nos conduxisti maximum exercitum; et conditiones illas, quas per internuntios tuos ad nos dedisti, inanes omnino esse censuimus, et ad nostrum internuncium, qui tunc temporis in Lituania erat, literas scripsimus, et ipsi mandavimus iterum de communi Reipublicae commodo cum Lituanicis senatoribus seriò agere, praesertim autem de Ducatu Livoniae, qui nobis in propinquo adjacet. Certiores facti fuimus, te contra nos bellum moliri, ideo Andream Michalcovum cum literis nostris ad te expedivimus, in quibus a te petebamus, ut secundum juramentum, nostrum per internuncium praestitum servares: quod non modo non servasti, quin imo ex Magno Ducatu Lituaniae cum magna infamia meos expulisti, tamquam fures et latrones. Post illos autem misisti nuncium Wenceslaum Lopatinski ad nos cum literis, in quibus nos multis modis illusisti: verum nos aequo animo ea tulimus. Posteaquam ad nos Andream nostrum internuncium misisti cum literis satis superbe ad nos scriptis, et tu ipsemet cum maximo exercitu, ex variis nationibus collecto, in maximum nostrum contemptum, Polociam venisti, eamdemque injuste et indigne, nobis nescientibus, occupasti. Illud etiam moleste audivimus, quod literas ad nostros subditos dedisti, ut arces nostras et civitates tibi traderent, et quod nos detrimentum

Reipublicae nostrae a nostris perfidis accipere gaudebas, nixus non virtute militari, sed perfidia. Quod cùm praeter opinionem nostram accidisset tam inauditum facinus, adducti jurejurando legatorum tuorum, ivimus ad defendendam patriam nostram Livoniam. Plescoviae accepimus, te cum ingente exercitu ad oppugnandam patriam nostram Polociam advenisse. Nos veriti frangere patrium foedus, nec ipsi in aciem prodivimus, neque exercitum collectum nostrum misimus. Interea tamen ad Socolum arcem nostram numerosum exercitum miseramus, ad explorandum de tuo exercitu, cum tuus castellanus arcem nostram Socolum expugnavit. Nos nihilominus expectantes modum, misimus internuntios nostros, qui cum tuo senatu de pace communi agerent: tu neglexisti internuntios nostros, et exercitum praeparasti. Quod vero in literis tuis per Wenceslaum Lopatinski missis legatorum nostrorum barbariem accusas, id accidit propter tuam arrogantiam, cùm tibi divinum honorem velis exhiberi. Quoniam id nobis antea inauditum erat, debebas aequo animo ferre. Literas vero salvi conductûs legatis nostris, quasi mercatoribus misisti: quem nos contemptum cùm non possemus ferre, misimus iterum legatum nostrum, qui tecum ea de re tractaret; hujus tu literas ne legere quidem voluisti, sed progrediabaris viâ instituta ad expugnandum arces. Iterum misimus nuntios etiam in medios exercitus tuos: tu vero interea Vielisum et Usvjat, arces nostras cepisti. Dum nuntii nostri legatione fungerentur, tu Vielicolucum arcem oppugnasti; ita nihil erat reliquum legatis nostris, de quo tecum tractarent. Respondisti igitur nobis per litteras satis inhumaniter atque superbe, Vielicolucum te expugnasse, alias etiam expugnaturum, nisi tibi ultro offerremus. Volebas etiam a me vi extorquere 400000 aureorum Hungaricorum, et foedus perpetuum, iniquissimas conditiones non tam pacis, quam servitutis. Itaque etsi in animum induxeramus Livoniam tibi dare, tamen mutavimus sententiam, desperantes pacem, nihil etiam per internuntios nostros tecum acturi; quoniam in dies cogitas nova, nec quidquam accipis, quae a nostris proponuntur. Omnino falso existimas, Livoniam ad tuum Regnum pertinere, cùm non possis demonstrare, quemquam ante Casimirum praedecessorem tuum Livoniae imperasse; quod si aliquo scripto, aut exemplo veterum confirmare possis, aliquem Poloniae Regem regno suo adjunxisse Livoniam, de hoc aliàs agemus. Hoc unum respondebis: anno 7067, cùm Lutherana haeresis in his regionibus serperet, et nos Germaniae Duces defenderemus, eo tempore Sigismundum Augustum, antecessorem tuum, Nicolaum Radivil palatinum Vilnensem et alios senatores egisse nobiscum per literas et nuncios, ne aliqua ratione christianorum caedis auctores essemus, neve pacem publicam violaremus, dum Germanos Lutheranam doctrinam asserentes, et suum archiepiscopum Rigensem de sede archiepiscopali deturbantes defenderem. Sed id cupiebant apud me efficere magis propter Christianae religionis amorem, quàm quod existimarent, ad se pertinere Livoniae administrationem. Postea, septies millesimo sexagesimo octavo anno mundi, suum internuntium Martinum Wolochum ad nos miserat idem Sigismundus Augustus de repetenda Livonia, quod ea sibi suisque antecessoribus tradita fuisset ab Imperatoribus Christianis, et quod pertineret ad Magnum Ducatum Lituaniae. Ipse tu, Stephane Rex, judica, an conveniat ferre tantam levitatem verborum Imperatori tanto, qualis ego sum? Antea agebat mecum de Livonia, quod Christiana esset, postea quod ad suum Regnum pertineret. Vel me doce, an umquam ante Polonus, vel Lituanus aliquis Livoniam administraverit? Ego

vero his literis, quarum jam exemplum tibi misi, et aliis etiam possum confirmare, avum meum, divum Iwanum omnibus Ruthenis imperasse simul cum Livonibus. Quod vero scribis, Casimirum Regem Poloniae cum divo proavo meo Imperatore Basilio pacta quaedam fecisse in Magna Novogardia de Livonibus; hoc non potes docere, tuam esse Livoniam, cum Rutheni omnes cum Livonibus nostris Imperatoribus servierint. Neque idcirco tua est, quod nos cum antecessoribus tuis foedus servaverimus, et quod non Moschos, neque Ruthenos, sed Germanos habeat Livonia: nam nostri praedecessores imperarunt Livonibus, quemadmodum tu Prussis. Neque hoc mihi persuadebunt tui senatores, meam non esse Livoniam, quod ego nonnumquam confirmaverim, me eam defensurum, et quod Livonia non Graecam, quemadmodum Moschi omnes, sed Romanam Ecclesiam agnoscerent; nam duo reges non possunt feliciter imperare in uno regno. Graeca enim, et Romana Ecclesia non pugnant inter se. Nam anno mundi sexies millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, cum esset Pontifex Romanus Eugenius, venerat ad eum Graecorum Imperator Carigroda Iwanus Manuilovitz, et cum eo Patriarcha Carigrodensis Josephus, ibique constituerunt, eamdem esse Graecam et Romanam doctrinam de fide. Neque vero tu probabis, Christianos tuos esse, cùm Christianos oppugnes, et tuorum clade gaudeas. Nec mirum erit, si perpetui hostes erimus, cùm ne juramento quidem tuo fides adhiberi possit. Neque id justum est, ut a me repetas arcem Siebiesium tu, qui advena sis in regno Poloniae, cum antecessor tuus Sigismundus a me puero repeteret, licet ejus haeres fuisset. Quod scribis, te fines nostros transiturum et regiones nostras populaturum, id jampridem scimus, te cupidissimum esse sanguinis christiani. Relinquerem ego tibi Siebiesium, sed minime hoc decet; potius tu, si veritatem amplecteris, acquiescere debes in iis, quibus erant contenti Sigismundus Primus et Sigismundus Augustus. Cum, Deo volente, inter nos pacem componemus, ego tibi captivos ipsos dimittam cum ipsorum possessionibus. Nuntium tuum Dziersceum dimissemus, si spes ulla pacis fuisset: sed tu es cupidus belli, ego non dimittam. Quod vero pecuniam postulas ad compensandos tuos sumptus, quos fecisti expediendis militibus, id iniquissimum est: nostras enim tu regiones, non vero nos tuas vastavimus; non est id christianum. Quid multis opus est? tu deditus es bello et populationi nostrarum regionum; gaudes caedibus, quasi Amalech et Senacherib, et Sarvar palatinus, qui dum oppugnaret Carogrodam, dicebat Carogrodensibus: «nolite tantum tribuere Deo vestro, cras vestram arcem capiemus.» Sed nos confidimus et spem nostram locamus in Deo supremo, et speramus in virtute Crucis vitam largientis. Et tu revoca in memoriam Maxentium Romanum, quanta vi Crucis vivificantis perierit; et omnes, quicumque sunt, arrogantes numquam interitum effugient, quemadmodum dicit Propheta: «vidi superbum efferentem et exaltantem se, quasi cedrum Libani, et praeterii et non erat, et quaesivi, et non inveni locum. Serva bonitatem et agnosce veritatem, qualis est finis hominis quieti». Et iterum idem Propheta dicit: «non salvabitur rex potentiâ sua, neque miles fortitudine sua. Dominus disperget congregationes gentium et dejiciet cogitationes hominum, lex autem Domini manet in aeternum. Nam non in fortitudine equi voluptatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei: beneplacitum est Domini super timentes eum, et in eum, qui sperat super misericordia ejus». Tu quandoquidem potens es, pugna: «Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo? bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homi-

ne; bonum est in Deo sperare, quam sperare in Principibus. Omnes gentes reliquerunt me, Dominus autem suscepit me, et nomen Domini eis opposui; circumdederunt me tamquam apes» etc. Datum in arce nostra Moscovia, anno 7089 Junii 29, indictione nona, regni nostri quadragesimo sexto, Ducatuum nostrorum Rossiensis trigesimo quarto, Casanensis vigesimo octavo, Astrakanensis vigesimo septimo.

Ex manuscripto Vaticano Ant. Possevini, Tom. 1. No. 14. Conf. Acta M. Ducat. Lithvaniae (Посольск. кн. Литовск. Метрики), *vol. II, pag. 140 — 157, ubi Ruthenus harum litterarum textus admodum plenius expositus.*

IV.

Summa litterarum M. Ducis Moscoviae ad Pontificem Gregorium XIII, quibus nuntiat, legatum Romanum jam advenisse Mosquam, simulac queritur, regem Poloniae nolle a bello contra Moscovitas cessare.

Выписка изъ посланія Царя Іоанна Васильевича къ Папѣ Григорію, коимъ увѣдомляя его о пріѣздѣ въ Москву Римскаго посла, жалуется, что Польскій Король не хочетъ прекратить войны съ Русскими.

Magnus Dux significat, pergratas sibi fuisse summi Pontificis literas, seque ea, quae ejus Sanctitatis legatus oretenus attulerit, perlibenter cognovisse, ipsumque legatum omni benevolentia complexum fuisse, et quod ejus fieri voluerit, prima quaque occasione expediri jussisse. Pollicetur etiam, se cum summo Pontifice et Imperatore Romanorum amicitiam perlibenter culturum, et contra ethnicos, quantum per se steterit, opem auxiliumque laturum. Significat vero, si communibus Christianitatis malis succurri debeat, prima quaque occasione in id incumbendum esse, quo foedus aliquod ineatur contra Turcam, ut a profundendo in posterum christiano sanguine aliquando cohiberi possit. Conqueritur etiam, ejusdem sanguinis christiani a serenissimo Rege (Poloniae) permultum jam profundi et ecclesias catholicas devastari diruique, neque vero finem illis rebus aliquando imponere eum cogitare; et id quidem in praesentia domini legati facere, Plescoviamque summa vi et militbus ex omni nationum genere, praecipue vero Germanico, collectis oppugnare. Dicit igitur, se dominum legatum ad serenissimum Regem remisisse, ut serenissimum Regem admoneat, quo a proposito aliquando desistat. Praeterea significat, serenissimum Regem cum aliquibus Germaniae Principibus foedus adversus se iniisse, eosque summo profundendi christiani sanguinis desiderio teneri. Postremo pollicetur, si in reditu ejus Sanctitatis legati de pace inter se et serenissimum Regem sancienda aliquid certi sperare possit, eumdem dominum legatum quamprimum a se dimissurum esse. Datum anno mundi 7090, mense Septembri.

Ex manuscripto Vaticano Ant. Possevini, Tom. 1. No. 15.

V.

Synopsis litterarum filii M. Ducis Moscoviae ad Romanum Pontificem Gregorium, de foedere a M. Duce Moscoviae, parente ejus, cum ipso Pontifice, nec non Romanorum Imperatore feriundo.

Выписка изъ письма Московскаго Царевича къ Папѣ Григорію, о готовности Московскаго Государя, отца его, вступить въ союзъ съ самимъ Папою и съ Римскимъ Императоромъ.

Magnus Moscoviae Dux scribit, se in literis, quas summus Pontifex ad parentem dederat, uti etiam ab ejus Sanctitatis legato oretenùs amanter salutatum esse, dicitque, sibi salutationem eam fuisse gratissimam, praesertim vero ob pollicitam a summo Pontifice sibi a Deo Optimo Maximo salutis et prosperae valetudinis diuturnitatem impetrandam. Dicit etiam, se cognovisse, quod ejus Sanctitatis apud parentem suum per dominum legatum est actum, in eoque fuisse, ut quàm fieri citissime posset, praedictus legatus a parente, responso accepto, dimitteretur. Significat etiam, parentem a foedere cum Pontifice maximo et Imperatore Romanorum ineundo animum non abhorrentem gerere, cupereque summam cum ipsis in posterum amicitiam colere, et contra ethnicos, quotiescumque opus fuerit, subsidium auxiliumque ferre. Postremo de ejus Sanctitatis bona diuturnaque valetudine sollicitum se esse ostendit, de eaque certi aliquid quamprimum audire cupit. Datum anno mundi 7090, mense Septembri.

Ex manuscripto Vaticano Ant. Possevini, Tom. 1. No. 16.

IV.

Relatio Possevini, M. Ducem Moscoviae paratum esse in foedus commercii cum Venetis ineundi, legatosque illorum expectare.

Записка Поссевина, о томъ, что Московскій Государь желаетъ заключить торговый союзъ съ Венеціянами, и ожидаетъ ихъ посольства.

Magnus Moscoviae Dux queritur, literas eas, quas Veneti legato suo Thomae Sefferigino tradidissent, ab eodem mercatori cuidam Lubecensi commendatas, qui cum in Moscoviam navigaret, interceptus sit, redditas non esse. Cumque Veneti Magnum Ducem per dominum legatum salutari petierint, seque Magnus Dux cum ipsis amicitiam cupere velle significaret, eorumque legatis et mercatoribus passûs literas concederet, significat, se easdem per commemoratum dominum Sefferiginum mittere, cumque ipsis amicitiam colere sese cupere; cùmque legatos suos ad se mittent, se eos libentissime auditurum pollicetur. Datum anno mundi 7090.

Ex manuscripto Vaticano Ant. Possevini, Tom. 1. No. 17.

VII.

Litterae M. Ducis Moscoviae legatis et mercatoribus Venetis, quibus salvus conductus in ipsius ditiones concessus.

Выписка изъ Царской опасной грамоты Венеціянскимъ посламъ и купцамъ, о свободномъ пріѣздѣ имъ въ Россійскія области.

Magnus Moscoviae Dux permittit et concedit his suis salvi conductûs literis serenissimo Venetorum Duci ipsique Reipublicae Venetiarum, ut legati ipsorum, quoscumque ad se mittere volent, libere tutoque venire, apud se commorari, et pro ipsorum libitu ex ditionibus ipsius ad suos commigrare rursus possint. Mercatoribus etiam, si qui cum legatis venturi fortasse sint, potestatem facit cum bonis et mercibus suis in ditionibus Mosci libere versandi, negotiandi, emendi, mercesque exportandi, eo modo, quo alii mercatores externi in illis suis regionibus utantur. Postremo pollicetur, se palatinis, nobilibus, et quibuscumque locorum praefectis mandata daturum, ut quicumque ex illis mercatoribus, qui cum legatis Venetis in Moscoviam pervenerint, ac in Persiam commeare instituerint, in ditionibus suis nusquam umquam detineantur; verùm ut quilibet eorum, tenore harum ipsarum salvi conductûs literarum, libere, tuto, et absque ullo detrimento molestiave, quocumque velit, tendere possit. Datum anno mundi 7090, mense Septembri.

Ex manuscripto Vaticano Ant. Possevini, Tom. 1. No. 18.

VIII.

Litterae Regis Poloniae Stephani ad pontificem Gregorium XIII, de Plescovia a Polonis oppugnata.

Письмо Польскаго Короля Стефана Баторія къ Папѣ Григорію, объ осадѣ Поляками Пскова.

Stephanus, Dei gratia Poloniae Rex etc. Cùm captâ Ostrovia, de qua superioribus proximis literis Sanctitati vestrae significavimus, Plescoviam movissemus, ad eam tertiis castris pervenimus, triduoque, postquam fieri potuit, proxime castra posuimus. Civitatem magnitudine ingentem, frequentem oppidanorum et e vicinia nobilium atque agrestium hominum multitudine, nec parvo militum praesidio firmam, situ vero loci ipsius aequabili, et ex parte una flumine Vielica, praeterea muris, propugnaculis, turribus lateritiis satis munitam, conspectu nostro comperimus. Munitiones, qua opportunissimum esse judicavimus, ex parte australi agi ad moenia jussimus, quae ingenti militum Polonorum atque Ungarorum labore, quinto tandem die ef-

fectae, et quo oportuit, perductae sunt. Ea enim, quae circa urbem planities est, maxima ex parte, non terra, sed contignis albi lapidis, quasi tabulis constat, ut non tam fodiendae, quam sarculis excidendae munitiones fuerint. Deinde ubi murum tribus ex partibus, biduo, summa vi tormentorum omnium verberassemus, proximis propugnaculis tribus perfractis et muro patefacto, visum nobis fuit, aliquem delectorum militum numerum intra ruinas immittere, qui diligenter explorarent, idoneane jam loca ad irruptionem effecta essent. Verum non tenuit se ardor ceterorum militum, qui non expectato eorum, qui explorare loca debebant, indicio, una sublatis lignis, irrumperent. Geri vero res ex sententia, ob loci intra moenia iniquitatem, et perruptum descensum non potuit; et tamen miles noster, illo suo ardore, locum ac propugnacula duo hostilia diutius tenuit et cum hoste acriter sclopetis depugnavit, tandemque imperio revocatus, sensim se intra munitiones nostras excepit. Ex captivo, qui postea e civitate a nostris exceptus est, facile cognovimus, rem majore cum hostium, quam nostrorum interitu ac detrimento gestam esse. Parvus enim pro acriore longioreque dimicatione numerus ex omnibus nationibus, minimus vero e Polonica desideratur. Nos, qui in civitate hac summam belli pacisque versari videmus, omne nostrum studium, curam, conatum, vires in eam expugnandam diligentissime conferemus. Ex castris ad Plescoviam, XIII Septembris 1581.

Scriptis hisce literis, Deus ad decimam septimam hujus mensis diem, res nostras feliciter secundavit. Nam, cum hostis certis cum copiis urbem irrumpere per flumen de nocte cogitaret, a nostris custodiis, quas eam in rem et in flumine et in terra collocaveramus, exceptus, partim demersus in flumine, partim cum in ripam concessisset, concisus est. Ex captivis et ex literis praesidiariorum constat, superiore proxima irruptione plurimos ex omni militum genere hostes cecidisse, magnamque cladem hostes Moscos in civitate accepisse.

Ex manuscripto P. Ant. Possevini, tom. 1. No 19.

IX.

Instructio patris Antónii Possevini ad patrem Stephanum Drenocium, dum ille Magni Moscoviæ Ducis nomine, ex oppido Staritia rediret Poloniæ Regem, Plescoviam civitatem oppugnantem, ut ageret jussu Pontificis Maximi Gregorii Papae XIII, de mutua inter eos Principes pace, pater vero Stephanus in Moscovia relinqueretur.

Наказъ Антонія Поссевина, данный Іезуиту Стефану Дреноцкому, при оставленіи его въ Москвѣ, въ то время, когда Поссевинъ, отъ имени Московскаго Государя, ѣздилъ изъ Старицы въ лагерь Польскаго короля Стефана, подъ Псковъ, чтобы въ слѣдствіе повелѣнія Папы Григорія, склонить его къ примиренію съ Царемъ Іоанномъ Васильевичемъ.

Cum ex his, quae hactenus in toto hoc itinere nostro, ad Divinam gloriam, Pontificis Maximi jussu et ex obedientia sancta suscepto, intelligere Vestra Reverentia potuerit, Divinam providentiam summa cum misericordia in omnibus periculis et magnis difficultatibus nobis affuisse;

speret, eamdem providentiam Divinam sibi in ista brevi commoratione non defuturam, si vitae sanctitate, orationibus, ac sanctis sacrificiis istam erga Deum spem foverit atque auxerit. Ad sanctitatem autem vitae bonumque Societatis nomen conservandum, nulla dies sit, qua aliquid regularum et constitutionum, quas ei relinquo, non perlegat, et statis horis meditetur attentius, statuens sibi ob oculos, praeter Christum Dominum ac Beatissimam Virginem, ipsum Pontificem Maximum, Christi vicarium in terris, ac felicis memoriae Patrem Ignatium, coelesti lumine praeventum. Ita enim sentiet Pontificis Maximi sollicitudinem, quam gerit omnium Ecclesiarum, et beati Patris nostri Ignatii, dum vixit, prudentiam una cum ingenti illa fide atque labore conjunctam, quae animarum saluti procurandae adhibuit, hujus nostrae missionis semina fuisse, quibus uterque, hic in coelis, et Pontifex Maximus in terris, ardentibus desideriis aliquod non minimo huic negotio procuraturi sint in Christi sanguine pretiosissimo incrementum.

Quo in loco sacrum faciet, caveat hoc initio, ne Divinam rem alicui scandalo vel injuriae exponat. Cum enim Moschi consecrari Eucharistiam non videant, neque eam adorare consueverint, fieri posset (quod in itinere nobis contigit), ut minus decenter hoc sacrum mysterium, et quidem stantes ac tecto capite, quasi ad spectandum et obloquendum, intueri vellent. Itaque cum id timeretur, satius erit paulo ante diem facere sacrum, quam ad rem quae mihi facultas Romae concessa est, Vestrae Reverentiae impartio. Ubi vero in ipsa civitate Moscua fuerit, caveat per eam sine aliqua necessitate spatiari, ne insolitas nostras vestes sacerdotales Moschi admirantes, aut Germani et Angli haeretici, qui ibi commorantur, irridentes aliquam turbam excitent, qua Princeps nostris postea vel manendi, vel redeundi viam praecideret. Quare occasiones hujus incommodi fugiat diligenter, atque ut effugere possit, petat continenter lucem ac vires a Domino.

Tantisper autem, dum ego Deo miserante, a Poloniae Rege redibo, abstineat a catholicis libris disseminandis, ne quis inde apud Principem de nobis maledicendi ansam arriperet, cui si hoc tractandae pacis officio arctius devinciri poterit (quam quidem Reverentia Vestra singulis diebus Divinae bonitati commendabit), tum sperandum est fore, ut erga nos magis afficiatur, eoque tempore ut ista opportunius tentari queant.

Cum Moschis si quid de religione illorumque ritibus colloquii inciderit, videat primum, ut animo pacato id agat; deinde nisi solidam habeat rationem, quam eorum interrogationibus afferat, quaerat de illis, quinam sint ea in re aut ritus, aut causa, cur iidem suis secus, quam nostris utantur. Sic enim habebit, unde divertat sermonem, vel aliquid interim in memoriam revocet, quo rationem illis afferat piam. At quidem si acrius urgerent, nec tamen Reverentiae Vestrae ratio ulla veniret in mentem, rejiciat istius modi tractationem in aliud tempus, nempe cum hoc placiturum Principi cognoverit; sic enim honeste rixandi occasio declinabitur. Perlegat interdum Rationale divinorum officiorum, quod una cum aliis libris Vestrae Reverentiae relinquo.

Studeat autem in responsionibus suis revocare potius homines ad interiora, ut sensim ad haec ab illis externis caeremoniis, quibus nimis addicuntur, queant adduci, finemque in illis haud statuant, sed intelligant, eas ad evehendum ad invisibiles et altiores sensus animum inservire. Deinde quiddam potissimum de pulcritudine virtutum, deque humilitate ac plenitudine fidei, quam perfecit charitas, loquatur id semper unum, spectans, ne alieniore animo fiant a nobis, quin vero ad unitatem cum Ecclesia Catholica accedant. Ceterum moralia ad veritatem

audiendam facilius eos disponent, quam si de dogmatibus et controversiis agatur.

Si quid de Spiritus Sancti processione ex Filio nobis objecerint, respondeat, id nos credere ex Verbo Dei expresso, ex Patribus sanctissimis Graecis, quibus sub anathematis poena, ut crederemus, sexta et septima Synodus, quas illi admittunt, jusserunt; ex rationibus item theologicis, quibus omnibus Graeci convicti eamdem saepe nobiscum fidem testati sunt, cum et Isidorus ipsorum Metropolita synodo Florentinae interfuisset, eamque fuisset amplexus.

Praeterea Reverentia Vestra eas habeat in promptu rationes, quas propter ipsam breviore et faciliore serie ex Gennadio collegi. Et has quidem optime perceptas habeat, cum si debemus parati esse ad reddendam omnibus rationem de ea, quae in nobis est fide, aliquando etiam accidere posset, ut cum ejusmodi viro loqueretur, cui si quid ejusmodi persuaderet, id magnam haberet vim ad multas tenebras dispellendas, quibus isti homines involvuntur.

Quod si urgeant, prima in Synodo hac de re haud praecise fuisse tractatum, respondeat, si una in Synodo debuissent omnia declarari, ne Nicaenam quidem, quandoquidem Apostoli primam coëgerant, indicendam fuisse. Verum enimvero, cum variis temporibus varia oriantur, quae Ecclesiae indigeant explicatione, Spiritum Sanctum praesentibus morbis praesentem adhibere medicinam consuevisse. Et tamen in Nicaena Synodo, quantum eo tempore satis erat, scaturire, Spiritum Sanctum ex Filio fuisse indicatum; quod et postea praecipui Patres, qui ei Synodo interfuerunt, diserte exposuerunt.

Si quis vero dixerit, veritatem in Ecclesia Romana post septimam Synodum defecisse, respondeat: quanam alia in synodo Pontifices Maximi tradita sibi a Christo auctoritate privati sunt? Quod si privati sunt, quaerat, ad quosnam Petri Apostolorum Principis et Vicarii Christi potestas translata est? Num ejus successio, usque ad consummationem saeculi duratura, evanuit? Num incredulitas humana divinam fidem evacuavit? Num denique ipsum, qui veritas est, Christum Dominum mendacem faciant? qui dixit: *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Atqui cum Catholica fides, ubi Apostoli alii Evangelium praedicarunt, magna ex parte defecerit, ea vero non solum apud Pontifices Maximos permanserit, sed ab iis quaquaversus, per omnes terrarum orbis partes propagetur, quod etiam nunc in novo mundo fieri manifestissimum est, quam solida haec ratio sit ad istam objectionem diluendam. Praeterquam, quod nec peccatum Pontificis alicujus satis est, cur auctoritas ipsa ad publicum bonum instituta deficiat, cum neque a Ruthenis, si eorum Princeps aliquod peccatum committeret, is privari sua dignitate statim diceretur. Verumtamen cum ipsi Metropolitas non semper habuerint impeccabiles, an si ob eorum peccata hujusmodi argumentum illis opponeretur, id esse validum existimarent?

Sed et eo redigendi sunt, ut intelligant, quo tempore ipsi Rutheni ad fidem Christianam venerunt, Graeciam a recto tramite defecisse; cum vero Poppos, id est sacerdotes, tam imperitos habuerint, mirum non esse, si veras historias non agnoscant, vel Synodos incorruptas et integras non habeant, vel Graecorum Patrum scripta, vel Divinam Scripturam male versam et mutilatam perlegant.

Si dixerint, ut solent, Regem Volodimerum, qui primus apud illos Christi nomen ac fidem accepit, meliorem omnibus religionem delegisse; respondeat, non fuisse dictum Volodimero, sed Petro: *tibi dabo claves Regni cœlorum;* non illud: *confirma fratres tuos,* aut: *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Nec denique in ethnici hujus opinione positum fuisse, ut quaenam vera esset aut illibata religio, decerneretur. Eam vero in Occidente, in Petri successoribus, multisque pro-

vinciis, ingentium populorum refertis, mansisse a Christo nato integram, milleque et centum annos, antequam ulla fidei fundamenta jacerentur in Moscovia, nostros fuisse Christianos, omnesque pietatis radices, concessione doctrinae, miraculis quamplurimis editis, vitae sanctitate atque probitate, successione Pontificum, altissime apud nos auctas fuisse.

Libellum igitur Gennadii Constantinopolitani Patriarchae, de Primatu Pontificis, perlegat attente; quoniam vere aureus est, ad cujus rationes hae quoque poterunt accedere. Nempe, Divinae providentiae immobile et constans esse signum, Pontificem Maximum omnibus aliis Episcopis praeesse, quod quantalibet haeresum et aliarum persecutionum mole, per sexdecim pene integra saecula, vexata sit Apostolica illa Sedes, incolumis tamen, Deo numquam mentiente, stetit; habuerit porro corpora Apostolorum Petri et Pauli, tamquam certa certae fidei pignora, apud quos extant adhuc Sanctorum Joannis Chrysostomi, et Gregorii Nazianzeni, et quasi innumerabilia Martyrum, Virginum, et Confessorum aliorumque corpora, sive reliquiae venerandae. Nec horum tantum, verum etiam Graecorum fere omnium Patrum Sanctorum, omniumque pene Apostolorum ossa, sicuti et Orientalium Doctorum integra scripta, et Synodos, a Graecis, tamquam a corpore Ecclesiae membris abscissis, ad Catholicos juste translata, sicuti et Imperio denique Orientis evenit. Interea vero, dum a Pontifice Maximo ad omnes orbis partes quam latissime operarii mittuntur, et passim regna convertuntur ad fidem, Patriarchatus Constantinopolitanus factus est sub Turca venalis, ita ut amplius Graeci non audeant hiscere. Quibus item ipsis Pentechostes diebus, Orientalis Imperii sedes, quae Byzantii erat, fuit ablata, quod a Patre ac Filio Spiritum Sanctum procedere negabant, quam quidem veritatem amplius negare non poterant, quod saepe antea, et non ita tum pridem, in Florentina Synodo sic eam agnoverant, ut cum eorum Imperatore, ac Patriarchis universis, tamquam in totius mundi theatro, constanter admiserint.

Jam si quid de caelibatu Catholicorum sacerdotum objecerint, quasi suorum sacerdotum uxorum ducentium potior ratio sit, quam nostra; respondeat, neminem Imperatori ministrare, nisi vestimentis claris et mundis indutum: quoniam vero Deus natura clarissimus est, ministros ejus anima magis, quam vestibus mundos esse oportere. Sic enim divus Augustinus adversus ejusmodi objectiones respondebat, qui et alibi diserte dixit: *Post resurrectionem praedicationemque Christi, quando jam ex omnibus gentibus filiorum spiritualiter gignendorum tanta suppetit copia, tale officium cesset ex carne filios propagare, quale primis temporibus fuit.* Haec ille. At et *cogitat,* inquit Apostolus, *virgo, ut sit sancta corpore et animo*, cum Deo se totam adjunxit. Sic igitur et illum facere decet, qui Christi vicem agit, quique quotidie debet aut orare pro populo, aut offerre, aut sacramenta ministrare, ac moribundis praesto esse, dieque ac nocte tamquam expeditus miles esse accinctus.

Si urserint, sacerdotes haud posse continere, quamobrem expedire, ut potius nubant, quam urantur; istis dicat, cur itaque tot monachi et sanctimoniales, qui apud eos sunt, addo item, eorum Episcopi, sive Wladicae, caelibes esse debent? an plusquam homines sunt? an singuli virginum Deo dicatarum sexu viri sunt inferiores? Praeterea cur Poppi ipsi, prima uxore demortua, alteram uxorem, ex eorum lege, ducere non possunt? Nonne porro certum est, eos castius et facilius hoc jugum laturos, si caelibes vixerint, et carnalibus amplexibus antea non assueverint?

Si adhuc pergant objicere, si desint uxores, a sacerdotibus patrari; respondeat, ob peccata

leges non esse infringendas, cum etiam propter innumeras humani generis fornicationes, nihil de praecepto suo adversus eas Deus numquam remiserit; quamobrem neque ipsius scriptum ob aliquorum peccata, sacerdotalis castitatis praescriptos terminos umquam voluisse perrumpi. Ac certe, si pensanda sit istorum Popporum uxorem ducentium vita, majores ad incontinentiam et adulteria pronitates, turpioresque foeditates eos committere solere, haud difficile inveniremus, ne dicam, Divinae rei tractandae admodum incommodam esse perpetuam eorum sollicitudinem, qua torquentur, dum filiis patrimonium, filiabus dotem comparare student. Quae quando verissima sunt omnia, non tamen omnia statim proferet; quandoquidem si Moschi in reliquis rebus cum Ecclesia Catholica consentirent, forsan perdifficile non esset, istam vivendi rationem tantisper illis relinqui, dum perfectionem illam saperent, quae perfectissimam Evangelii legem in sacerdotibus decet.

In festis diebus sanctificandis, si nobiles, ut solent, dixerint, satis esse, si ipsi ad sacrum audiendum adeant, diemque otiose traducant, dum tamen rustici et eorum subditi vel ipso Paschatis die laborant, ac quaelibet opera servilia iisdem diebus faciunt; dicat, non solum Vetere in lege divino praecepto istud caveri, verum etiam in Nova. Non enim solvit legem Dominus, sed adimplevit. Animas porro Christianorum esse tamquam agros, quae Dei verbo, sacramentis, et rerum coelestium contemplatione nisi excolantur, statim silvescant, sicque rudes fiant, ut appetente morte, vix ullum sensum pietatis retineant.

Quod si satius esse, dixerint, eos labori tempus impendere, quam otiari, et peccare, utique id verum esse, respondeat, si Ecclesia praeciperet, ut diebus festis peccarent, non autem Sacrificio, divinoque reliquo cultui, ac ceteris pietatis officiis interessent. At cum et laxando vel levando corpori, et menti imbuendae divinis praeceptis ii dies a ceteris secernantur, atque adeo assignati sint a Deo, qui communis est omnium Pater, optime Ecclesiam Catholicam facere, quae omnes convocet ad templum, indeque iis documenta salutis suppeditet.

Praeterea, si rusticos ad laborem impellunt, ne otientur, sane aut id faciunt, quoniam otium fugiendum est, aut ea se ratione existimant, suo magis dominatui Christianos homines subdere, ita ut neque audeant respirare. Verum sicut hoc Christianam non decet libertatem, quae spiritualium inprimis bonorum esse particeps debet, cum idem qui rustico est, nobili sit Baptismus, ac Dominus; ita neque otium in nobilibus esse deberet, qui vel ipsis considentibus, totos dies otiose traducunt, ac saepius potationi indulgentes, nec pauperibus tradunt quod ipsis ad ebrietatem superest, nec intelligunt, quanto magis expediret, si esset laborandum, ipsi ut potius id facerent, ut a nimio otio averterentur, illud autem Apostoli diligenter expenderent dicentis: *Quoniam ebriosi regnum Dei non possidebunt.*

Sed quoniam Rutheni de quibusdam Sanctorum suorum miraculis libenter gloriantur, propterea Reverentia Vestra libenter subterfugiat, quoad ejus fieri possit, ea colloquia, in quibus si vestram sententiam acrius exquirerent, respondeat, nos quidem habemus plurimorum Sanctorum hominum tum corpora, tum reliquias venerandas, quorum item memoriam celebrantes, opem apud Deum imploramus: verumtamen istorum vestrorum, quorum dicitis, integra habere corpora, vix adhuc ad nos ulla notitia pervenerat. Qui si vestro judicio sancti sunt, erit pietatis vestrae facere, ut vitas illorum perlegere, atque ad alios quoque Christianos transmittere possimus. Sic enim pacate posse rumoris occasio declinari, hoc initio videtur.

De Purgatorio igne multa habet Reverentia Vestra iis in libris, et in ipso Gennadio, quos ei relinquo, unde quidquid adversus illum solent effutire, facili negotio convincantur. Sed et unicum satis esset argumentum (nisi pertinaciae, aut inveteratae opinioni magis, quam veritati locum dare velint), cum ipsi quotidie ex liturgiis Joannis Chrysostomi et Sancti Basilii orent pro mortuis, ut Purgatorium esse credant. Quod si eo id fieri dixerint, ut qui decesserunt, minus injucundum locum ac statum assequantur, donec una cum corporibus resurrecturi ad ipsam extremi judicii diem perveniant, ante quam diem haud putant, animas beatitudine frui; petat, cur litanias recitant, curque Sanctos existiment esse in coelis? Quod si respondeant, jam illi quidem in coelo sunt, quia hinc vel ob martyrium pro Dei gloria susceptum, vel ob vitam sancte in terris traductam sine macula, migrarunt ad coelum; ergo et plurimos pueros (dicat), qui baptismate Christi a macula peccati originalis liberi, ab hac vita discessere, complures item alii, qui a peccato, Deo juvante, declinaverunt, coelestem beatitudinem assequi potuerunt. Quinvero maximos quoque peccatores, quos peccatorum ex toto corde suo poeniteat, fieri statim Paradisi gloriae participes negare non poterunt, si boni latronis meminerint, cui in Cruce dictum est a Domino: *Hodie mecum eris in paradiso.* Reliqui vero, quibus poenitendi, ac fructus poenitentiae integros, id est dignos edendi spatium non fuit, si in Deum sperantes decesserunt, ad Purgatorium ignem descendant, cujus a divo Paulo mentio fit, ac de ipso disertissime Graeci Patres scripserunt.

Si quis quaerat, cur Catholici in baptismo pueros totos haud immergunt, vel oleo non inungunt, respondeat, non uno et eodem per omnia ritu atque caeremoniis in Ecclesiis Occidentis, atque Orientis illa adhiberi. Neque enim hoc necesse est; satis autem est, oleum unctionis ad baptismum adhiberi, qui in Ecclesia et ecclesiastice administratur, sive totum corpus ungatur, ut apud Cyrillum Hierosolymitanum, et sanctum Dionysium Areopagitam reperitur *πανσώμως*; sive partes corporis, sicut est apud sanctum Clementem Romanum in Constitutionibus Apostolicis. Qui quidem est Ecclesiae Romanae ritus, sicut pueri in aliis Ecclesiis toti merguntur, in aliis tantum caput aqua perfunditur.

Si quis negaverit, esse plusquam unam Chrismatis unctionem, aut affirmaverit, a privatis sacerdotibus, non autem ab Episcopis dandum esse Confirmationis Sacramentum, haec ex patre Francisco Turiano in suis Commentariis in Sanctum Clementem ac Constitutiones Apostolicas afferat. In tertio enim earum libro, capite X scriptum est: *postea ungat Episcopus τῷ μύρῳ id est, unguento baptizatos.* Et cap. XVII: *Est,* inquit, *τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ἐξομολόγησις, id est, unguentum est confirmatio confessionis, scilicet fidei.* Usque in hodiernum diem remansit in consuetudine apud Catholicam Ecclesiam hoc verbum Confirmationis, quo mysterium hoc per universas Latinas Ecclesias appellant Christiani, quae est etiam Apostolicae hujus traditionis adstipulatio gravissima. Et libro 2, cap. XXIV, *hanc unctionem, qua baptizatus confirmatur,* ait, *esse sigillum promissionum.* Rursus in eodem libro 2, cap. XV, est precatio, quae adhibetur, cum jam baptizatus hac mystica unctione confirmatur. Sic Sanctus Dionysius Areopagita cap. 4. Eccl. Hierarchiae: *Ei qui baptizatus est, ipsa,* inquit, *perficiens donat adventum Spiritus Sancti.* Et sanctus Cyrillus Hierosolymytanus cum de hoc sacramento Confirmationis scribit quod a Sancti Apostolis Ecclesia Hierosolymitana acceperat, unde in secunda Catechesi de unctione ex oleo sancto, quae in baptismo fit, disseruit de ea, quae post baptismum ab Episcopo fit, ex eo quod Graeci vocant *μύρον*, ex

quo Chrisma sacramenti conficitur; sic in tertia Catechesi mystagogica ait: *Ut Christus postquam in Jordane baptizatus est, ascendit de aquis, et factus est super eum substantialis adventus Spiritus Sancti, simili super simile acquiescente; sic etiam nobis, postquam a sacro fonte ascendimus, datum est nobis chrisma illius, quo unctus est Christus, imago, qui est et Spiritus Sancti.* Haec igitur cum Reverentia Vestra dixerit, tum adjicere poterit aliquid eorum, quae divine Sanctus Melchiades de hoc mysterio Confirmationis scripsit. Sic enim in iis aliquod desiderium excitabitur, ad tantum donum aliquando per Catholicos Episcopos accipiendum. *Quia in hoc mundo*, ait, *tota aetate victuris, inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Callide ergo fecit serpens, cum persuasit, non induere post baptismum thoracem chrismatis, ne cum milite loricato decertaret. Sciebat ille, quae beatus Joannes de hac sancta unctione scriberet: Et vos, inquit, unctionem, quam accepistis ab eo, remaneat in vobis, et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Dum enim incorruptum est, et purum servatur Chrisma, tamdiu servatur in eo, qui Chrismate confirmatus est, spiritus intellectûs, qui est pars illius spiritus septiformis, quem Clemens et Melchiades dari dicunt in Chrismate; qui quidem spiritus, quamdiu in nobis manet, omnia, quae necessaria sunt, ut cuique convenit et sufficit, docet.

De azymo si nobis aliquid exprobraverint, quod eo utamur in conficiendo divino Sacramento; respondeat, hunc ritum non sine afflatu Spiritus Sancti ab Apostolis Petro et Paulo fuisse traditum Ecclesiae Occidentali, idque optima quidem ratione, sicut et laudabili ratione et Orientales in fermentato consecrant. Dum enim in consecratione Eucharistiae materia triticea, sacerdos, locus, intentio, et verba sint, quae instituit Christus, amplius quaerendum non esse. Nec porro debere nos credere, duos Christos, alterum, qui in azymo, alterum, qui in fermentato conficiatur. Porro ostendat Sanctum Gregorium Magnum, quem Graeci Dialogum vocant, et venerantur, quemque in magno habent honore Moschi, qui quidem Gregorius ante Ecclesiarum schismata vixit, cujus item commemorationem Ecclesia Graeca unoquoque anno cum laude facit, Occidentalem Ecclesiam azymum, Orientalem vero fermentatum antiquitus in usu habuisse, bonaque et laudabili ratione utramque ad id faciendum fuisse permotam. *Solet enim*, inquit in Registro, *multos deturbare, quam ob rem in Ecclesia quidam azymos, quidam offerant fermentatos. Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commistione suscepit carnem. Sed ceterae Ecclesiae offerunt fermentatum, propterea quod Verbum Patris indutum est carnem, estque verus Deus et verus homo. Item et fermentum commiscetur farinae, et efficitur corpus Domini nostri Jesu Christi vivi; sed sive in azymo, sive in fermentato conficiatur, Domini corpus et Salvatoris nostri sumimus.*

Ceteras autem rationes de azymo, in quo Christus ipse Dominus consecravit, et in quo consecrat universa Occidentalis Ecclesia, quia non verebatur fore, ut in ea, ubi cultus Judaicus haud vigebat, aliquid putaretur praecipi legale, petat Reverentia Vestra ex Gennadio. Dicat autem, si alteruter ritus sincere perpendendus est, decentius, ac tutius in azymo confici Sacramentum. Neutrum vero ritum esse damnandum, quemadmodum reprehendendum non est, sive in albo, sive in rubro, sive in dulci, aut acri id ipsum conservetur.

At vero, si quod Hotorius unus ex Pristavis objecit, Vestrae Reverentiae objiceretur, Christum Dominum licet in azymo confecit, nobis tamen id haud esse faciendum, quoniam etsi ille circumcisus est, nos tamen haud circumcidimur; respondeat, Christum baptismum in circumcisionis locum, quia erat legale sacramentum, suffecisse. Qui quoniam dixit: *baptizate omnes gentes*, propterea relicta circumcisione, baptizari. Sed de azymis ad Eucharistiam consecrandam nihil prohibuit. Quin vero dixit: *hoc facite*, nempe, quod ille fecit; quamobrem potior quoque haec ratio videtur esse in azymo, quam in fermentato, praeterquam quod ipsa materia azymi non erat ex seipsa legalis, sicut neque aqua, quae ad varia Judaeorum baptismata adhibebatur, ita erat legalis, ut postea baptismo Christi Domini, ac nostro usui esse non posset. Legale igitur erat azymum, si ad Judaicum Pascha et Agnum edendum adhiberetur. Quod quidem cum abolitum sit, jam ad Christianorum Pascha faciendum sic concursum est, ut ne substantia quidem azymi remaneat post consecrationem, sed in corpus Christi transsubstantiatur.

Ad id autem, quod Joannes Russiae quondam Metropolita in epistola sua ad Pontificem Maximum scripsit (quae extat in libro Baronis ab Herbestein), ex eo scilicet convinci, Christum in fermentato consecrasse, quod cum Agnum edebant, hunc Judaeos solitos fuisse stantes manducare ex lege, ipsos autem Apostolos cum Domino recubuisse, scriptum enim est: *et recumbentibus illis* etc.; respondeat, Christum in Coena typica Agnum, solito Judaeorum ritu, primum comedisse, postea se accinxisse ad suum Pascha faciendum, quod recumbens una cum aliis fecit. Cum vero tempore Paschatis nullus panis alterius, quam azymi esset usus, Christum in eo absque dubio consecrasse, non autem in fermentato.

At quoniam Graeci calumniabantur, Catholicos facere contra tertium Apostolorum Canonem, quasi agnum in die Paschatis una cum Eucharistia offeremus, cum Canon habeat: *Si quis Episcopus, aut Presbyter praeter dispositionem Domini, quam de sacrificio fecit, aliqua alia super altare offerat, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut artificio facta, aut aves, aut animalia, aut poma, aut legumina, praeter dispositionem Domini, deponatur, exceptis novis fructibus suo tempore, aut praeter oleum ad lucernam, et thus in tempus oblationis, nihil offere liceat.* Respondeat, si quidpiam tale contigerit, nos agnum umquam offerre cum Eucharistia. *Mentiuntur autem* (inquit Nicolaus I Pontifex Maximus ad Michaëlem et Basilium Imperatores), *nos agnum in pascha, more Judaeorum, super altare pariter cum Domini corpore benedicere et offerre; cibi autem interdum ad esum, non ad oblationem, aut sacrificium benedicuntur.*

Si quis de jejunio magno Catholicos abscindere hebdomadam objecerit, ac dixerit (id quod extat in epistola Joannis Metropolitae Ruthenorum), nos propter carnium voracitatem homines ad nos allicere; dicat, Catholicos ab Apostolis divis Petro et Paulo unam integram quadragesimam accepisse, quam jejunamus. Quae quidem vitae Christi imitationem habet, sicut Beatus Ignatius scribit ad Philippenses, scilicet: *quod ad Christi Domini exemplum, quicumque praestare id possumus, totidem dies jejunare debemus.* Quod si quis hebdomadam, et plures quoque dies quadragesimae velit adjicere, quibus se ad jejunium illud melius praeparet, id integrum cuilibet relinqui, sicut et laudabile est, quod complures faciunt religiosi apud nos viri, non unam tamen, sed plures quoque quadragesimas facere.

Si praeterea dixerint, habere praeter longiorem quadragesimam, adhuc plura, quam nos

jejunia; respondeat, nobis esse jejunia, quae pro ratione temporum ac regionum Apostoli, quique iis successerunt, Ecclesiae Spiritu Sancto dicente tradidere. Nec tamen improbare nos eorum jejunia, si recte fiant, quod sane haud semper faciunt, cum plerumque ac saepius eo ipso die jejunii comedant, potationibusque plus aequo indulgeant.

Deinde doceat, nos in pervigiliis Apostolorum aliorumque aliquot festorum dierum, uti Salvatoris nostri ac Beatissimae Virginis, jejunare solitos, quo diem insequentem vegetiores in orando, piisque operibus faciendis, visitandis carceribus et nosodochiis, consolandis afflictis, invisendis aegrotis impendamus. Duodecim praeterea dies esse, qui in quatuor anni tempora distribuantur, quibus juxta antiquissimum Apostolorum exemplum jejunamus, ut ea fiat ab Episcopis recta spiritualium operariorum ordinatio, quam ipsimet Apostoli jejunantes et orantes fecerunt, tum cum Paulum ac Barnabam, impositis eis manibus, sacerdotes crearunt.

Si objecerint ex Epistola divi Ignatii ad Philippenses, ex Concilio Gangrensi, et ex Apostolicis Canonibus, non esse sabbato ac die dominico jejunandum; respondeat, traditum esse eum ritum Ecclesiis Orientis, tum propter Simonianos inde ortos, qui mundum, a cujus creatione die sabbato Deus requievit, opus ejus esse negabant, tum quia divinitus afflati praenoscebant Apostoli futuros quoque haereticos in Oriente, Manichaeos, Eustachianos, Marchionistas, Lampetianos, et Messalianos, qui in Paphlagonia apparuerunt, qui quidem jejunabant sabbato simulate, in contumeliam resurrectionis Christi, cui resurrectioni a vespera sabbati, ut ait Magnus Leo Pontifex in Epist. 8. c. 1., initium constat adscribi. Porro jam fuisse caussam prohibendi jejunium sabbati, Synodus Gangrensis ipsa, et sanctus Athanasius Patriarcha Antiochenus exponunt, cum inquant, illos sabbato et dominico die jejunare διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, id est, ob simulatam abstinentiae exercitationem. Porro quia in Occidente eadem caussa non erat, prohibitum non est, quin ipso die alium ad finem (de quo mox dicetur) jejunare, sive a carnibus abstinere laudabiliter possemus.

Si mirentur, quod quarta feriâ non jejunemus, aut a carnibus (ut ipsi Orientis Ecclesias imitantes faciunt) non abstineamus; respondeat, non deesse apud nos, qui diem illum religiosa abstinentia observant. Sed ut quaedam antiquitus fuere inducta in commune jejunia, quae Synodus Gangrensis appellat εἰς τὸ κοινὸν tradita; sic fuisse alia non in commune tradita, id est, ut diximus, pro ratione locorum, variis diebus ab Apostolis relicta: Orienti quidem jejunium quartae et sextae feriae, Occidenti autem feriae sextae, et sabbati; utrique vero Quadragesimam, sive jejunium magnum in commune. At vero ut Orientalis, sic Occidentalis abstinentiae consentanea rationi causa est, et decorus in Ecclesia Dei cultus. Apud Graecos quidem quarta et sexta feriis, quod ablatus iis fuerit Sponsus; feriâ enim quarta pactus est Judas Domini proditionem, sexta vero crucifixus est pro nobis benignissimus Dominus. Sed apud Occidentales feria sexta, ob eamdem quae dicta est caussam. Sabbato vero, quod et in sepulcro latuit, et quae dies quietis erat Judaeis, nobis adhuc fuit doloris; nec reliquias illorum sabbatismi jam christiani velle se indicarent, qui etiam diei insequentis dominici celebrandae festivitati, et communioni Eucharisticae plerumque se praeparabant, ac praeparant. Porro tantum abest, ut ob hanc caussam Ecclesia Catholica ritum illum Orientis damnaverit, ut etiam, quod quidem ad Ecclesias eas attinet, defenderit, sicut B. Augustinus contra Urbicum, et Tertullianus in Apologetico fecerunt. In quo ut Catholicae Ecclesiae benignitatem agnoscere possint, ita eos debere facere, si ab eodem Capite,

qui est Christus Dominus, eumdem Christi Spiritum velint accipere.

Praeterea quando Moschi ita mordicus suas abstinentias retinent, ut piaculum putent, si vel a moribundo solvantur; doceat eos, finem praecepti esse charitatem, exercitationemque istam corporalem, quae sic nudata charitate rigorem illum retinet, ad modicum certe, pietatem autem ad omnia valere; proinde Occidentis Ecclesiam aegrotantium et aliorum quorumdam rationem habere, ut iis vel abstinentiam, vel perfectum jejunium laxet, ne afflictis major detur afflictio.

Si obstrepant, quod adversus Apostolorum decretum, non abstinemus a suffocato et sanguine; respondeat, decretum illud fuisse latum adversus idolorum cultores, qui immolatum et idolothytum edebant, et calicem, quem Apostolus vocat daemoniorum, bibebant. Servandum autem esse, sicut et a Catholicis servatur, illud decretum; ubicumque inter gentes, quae idola adorant, immolatitia sunt. Porro eo decreto immolatitia fuisse prohibita, non autem reliqua, gravissimi testes sunt B. Cyrillus Hierosolymitanus in quarta Catechesi, Justinus Martyr in Quaest. 45, Gregorius Nazianzenus in Sermone in sanctum Pascha, Origenes libro 3. contra Celsum, et Magnetes antiquissimus auctor lib. 3. Apologiae pro Evangelio contra Theostenem Evangelia calumniantem. Qui omnes summae auctoritatis Patres in Oriente vixerunt, ne quid dicam de Tertulliano, qui fuit Africanus, id ipsum in Apologetico antiquissime comprobans.

De Crucis signo, quod illi ad laevam finiunt, quoniam ad Patris dexteram Filium considentem putant, ea consignatione, quam ad dexteram partem faciunt, designari, si vestrae Reverentiae negotium facessant; respondeat, nos quidem alteram piam, et mysterii plenam in nobis sanctae Crucis signo consignandis habere consuetudinem; qui ut illorum non improbamus sensum atque pietatem, sic non posse laudare, quod cum ad sinistram signo se Crucis muniunt, id propterea dicunt sese facere, quod Spiritus Sanctus ad sinistram Patris sedeat; esse vero aliud, quam pro humano captu de Sanctissimae Trinitatis mysterio credendum et judicandum. Ceterum nostrae consignationis hanc esse rationem, ut cum eam a capite inchoamus, inde Patrem caput, et fontem omnium bonorum, atque adeo primarium fontem reliquarum personarum Sanctissimae Trinitatis agnoscamus. Cum vero tres primos digitos dexterae dimittimus, nomen Filii nominantes, tum ejusdem in ventre Beatissimae Virginis incarnationem recordamur, qua recordatione testamur, mysterium illud, temporibus aeternis tacitum Angelis, et mundo, sicut testatur Apostolus, innotuisse, nobis autem summum omnium beneficium fuisse collatum. Ad laevam porro, ac dexteram pectoris partem Spiritus Sancti nomen adsciscimus, ut eum a Patre et Filio procedentem, contra impiam Eunomii haeresim, aliosque haereticos confiteamur. Sic autem finire nos eam consignationem ad dexteram, quoniam dextera in divinis scripturis perfectionem significat. Semper vero nobis ad perfectionem esse tendendum, quippe quod id Deus potissimum velit, qui omnia, quantum in se est, perficit. Sicut in Missa quoque Evangelium, tamquam rem perfectiorem, in dextero cornu legimus, Missaeque sacrificium eodem in cornu absolvere solemus, tamquam omnium perfectissimum opus.

Si quis a Reverentia vestra quaerat, quemadmodum ex me solebant, num Caesar, et alii Crucem de collo pendentem ferant, quod quidem singuli ipsorum sic faciunt, ut quando non ferrent, haud christiani ab aliis censerentur; respondeat, et Caesar et alii Catholici vel ferunt, vel qui ob reverentiam sese indignos existimant, eam in loco decenti religiose asser-

vant, ac venerantur. Quin vero erga Crucem tanta Catholicorum religio est, ut in plateis, publicisque viis passim ea excitetur, atque in vexillis militum pingatur, et in nummis cudatur, ut nobis omnibus innotescat, unde rectum ad beatitudinem iter, et in militibus victoria, et in omnibus verae divitiae prodeant, sicque jugis memoria in christianorum cordibus haereat, ubi praecipue hoc signum ostensum est Constantino Imperatori. Lutherani vero et haeretici, quoniam Crucem non venerantur, ideo inimici Crucis Christi habentur a Catholicis, et anathemate feriuntur, et nisi resipiscant, comburuntur.

Si mirari se, dicant, quod cum oramus, versus templa, aut imagines pias faciem haud convertimus; dicat, orationem esse elevationem mentis ad Deum. Templa quidem, ubi divinus cultus administratur, et Sanctorum imagines nos venerari, ac si eae adsint, ante illas nos perlibenter orare, ut vel mens collectior sit, vel cum eos, quasi socios nostrarum precum, uti digniores adhibemus, simul inde meditandarum piarum rerum uberior occasio suppeditetur. At si desint imagines ac templa, ad quae nos commode conferre non possimus, scire nos, venisse tempus, sicut Samaritanae dixerat Dominus, cum Deum ubique colamus, Sanctosque invocantes, orationes omni in loco, sed potissimum in ecclesiis ad Deum fundamus. Vestra vero Reverentia ea occasione posset ostendere, aliam quoque esse rationem efformandi nobis rerum divinarum imagines, qualem in praeludiis exercitiorum nostrorum spiritualium Patris nostri Ignatii beatae memoriae scriptam habemus, si quem, scilicet, ad pietatem virum propensiorem, ac cordationem nancisceretur.

Si autem significent, mirari sese, quod piis imaginibus nomina eorum Sanctorum, quos repraesentant, non adscribamus, ut ipsi faciunt; respondeat, si nominum illorum adscriptio necessaria est, ut quos repraesentant ii agnoscantur, jam eam haud necessariam esse iis, qui illas cognoscunt. Catholicis autem primo adspectu innotescunt Christi Crucifixi, Beatissimae Virginis, et pleraeque aliae Sanctorum imagines. Praeterea, si nominis adscriptio necessaria sit, quid illa faciat idiotis legere nescientibus, quales plerumque omnes sunt Moschi, cum potius ipsaemet imagines loco literarum et scripti adhibeantur? Quod si dixerint, in ipsa nominis adscriptione virtutem aliquam consistere (id enim aliquando ex ipsis audivi), jam suaviter docendi erunt, in notis illis haud sitam esse vim, aut virtutem ullam, sed in sensu, ac viva fide. Laudare tamen nos, si quod ex pietate, non ex superstitione nomen imaginibus adscribatur, ut alii quod ignorant, intelligant, eaque ratione pias a profanis imaginibus dignoscant; quod quidem plerumque Catholici faciunt. Ergo haec, et alia ejusmodi sunt, quae ad manum habere vestra Reverentia poterit.

Si vero a Metropolita invitaretur, ut publice in templo, aut etiam alibi (quod a nobis extorquere cupiebat Smolenscensis Episcopus) vestra Reverentia manum illi deosculaof, benedictionem ab eo accepturus; caveat, ne id publice, ac ne private quidem faciat; satis vero erit, nisi congressum illius poterit declinare, quasi ex officio humano illius manum attingere, eumque amice salutare. Ceterum expediret, si hoc fieri commode posset, ne ante reditum nostrum ad eum accedat, excusans se, quod ea de re perspectam habere Magni Ducis cupiat mentem. Interea vero se paratum ostendat ad omne christianum officium ei exhibendum, quotiescumque poterit.

Porro quidquid novi interea eveniet, id in libello, tamquam in diario paucis adnotet, ut cum mihi redeunti eum monstrabit, uterque

ad divinam gloriam, simul uberiorem lucem haurire possimus.

Cum autem neminem interim alium sacerdotem vestrae Reverentiae possim relinquere, sic vivat, ut singulis diebus, tuta conscientia sacrum facere possit. Brevissime vero scribat ea singulis saltem octo diebus, quae ad conscientiae suae levationem referenda mihi, cum, Deo miserante, rediero, judicabit.

Michaëlem Morienum, fratrem nostrum, qui solidis virtutibus est praeditus, perhumaniter tractet in Domino, eumque interdum de spiritualibus rebus, ut solet ille percupere, alloquatur, cujus etiam consilio in rebus alicujus momenti, quae sese offerent, uti non dedignetur, illumque ab otio avertat.

Res vero omnes tamquam Christi Domini diligenter custodiat, ut earum omnium reddere rationem Deo, ac Superioribus nostris possimus.

Interea precatus vestrae Reverentiae plenissimam una cum ejus socio benedictionem, facultatem ei impertior absolvendi in foro conscientiae in omnibus casibus, etiam in bulla Coenae Domini, utque possit altaris paramenta, lapides, et calices, ad eumdem altaris usum benedicere; idque tantisper, dum Deo adjuvante revertemur, prout nobis Romae concessum est. Jesus sit cum vestra Reverentia ejusque socio, fratre nostro in Christo carissimo Michaële. Stariciae ad Volgam fluvium, die XIV Septembris 1581.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I. No. 1.

X.

De fontibus, e quibus Possevinus suum Commentarium hausit.

О матеріалахъ, которыми Поссевинъ пользовался при сочиненіи книги: Commentarius de rebus Moscoviticis.

Primo, antequam Roma discederet (Possevinus), legit quidquid Sigismundi Augusti Poloniae Regis Legati, in Moscoviam missi, ea de gente, moribusque Magni Ducis Moscoviae retulerant; quae D. Porticus Archiepiscopus Ragusarum legenda tradidit.

Deinde D. Cobenzelli Relationem, qui a Maximiliano Caesare ad Magnum Moscoviae Ducem missus, de toto suo itinere illo litteras uberes illustrissimo Cardinali Commendonio scripserat; has autem litteras dedit illustrissimus D. Cardinalis Comensis patri Possevino.

Praeterea litteras Leonis X, et Clementis VII ad Magnum Ducem Moscoviae; deinde quas Julius Pontifex Maximus una cum Instructione putabat esse mittendas, habita ea de re a Cardinalibus congregatione, sed eas non misit, Sigismundi Augusti Poloniae Regis permotus rationibus.

Deinde litteras, et Instructionem Pii V, missas D. Portico, Nuntio apud Sigismundum Au-

gustum, quem D. Porticum Pius V deliberaverat ad Magnum Moscoviae Ducem mittere, sed audito Magni Ducis ingenio, iisque rebus, quas illum patrasse retulerant Poloni, sententiam mutavit, eamque legationem revocavit.

Praeterea Instructionem ac Brevia Gregorii XIII missa ad illustrissimum Cardinalem Morenum, piae memoriae, qui Ratisbonae apud Maximilianum Caesarem cum esset Legatus a latere, Moschique Legatos invenisset, eam occasionem opportunam existimavit, qua ab ipso Pontifice Maximo aliquis ad Magnum Ducem nuntius allegaretur, quod et Maximilianus Caesar primo postulaverat. Itaque doctor Clenchen ei legationi destinatus est ab eodem Pontifice Maximo, sed a consiliariis Maximilianus Caesar admonitus, eam legationem, ac cum Mosco Pontificis Maximi conjunctionem in Sedis Apostolicae nimiam auctoritatem, vel amplitudinem cessuram, profectionem doctoris Clenchen impedivit.

In itinere postea idem pater Possevinus multa elicuit ex Thoma Severigeno, a Magno Moscoviae Duce ad Pontificem Maximum misso, et ex Vilelmo Poplero ejus interprete, atque ex Francisco Palavicino Mediolanensi, altero ex ejusdem Severigeni interprete.

Ex colloquio item sat longo Graeci in Stiria cum eodem domino Cobenzelio habito, qui, ut dictum est, a Maximiliano Caesare ad eumdem Magnum Moscoviae Ducem missus fuerat.

Ex libro Sigismundi baronis ab Herberstain Basileae impresso, qui a Ferdinando Caesare, cum tamen ille nondum esset electus in Imperatorem, vivente Carolo V, missus ad Basilium hujus Magni Ducis patrem fuerat. Ex Commentario Pauli Jovii eidem libro adjuncto, quem Jovius, relatu Demetrii Erasmi, ut ille scribit, Lascaris ante, ut mihi Moschi retulerunt, conscripsit; is enim Demetrius ad Clementem VII, a Basilio Magno Moscoviae Duce missus fuit una cum Paulo Centurione, mercatore Genuense: sed in eo Commentario non omnia vera fuisse invenimus, quae Demetrius retulerat, quemadmodum suo loco adnotavimus.

E Commentario Levendae de bellis per decem annos gestis a Mosco cum Lituanis ac Livonibus, qui liber eidem Sigismundi baronis libro adjunctus est; sed ut ille Levenda dicitur haereticus fuisse, caute legendus est, cum etiam in quibusdam falsus sit, quae ad historiam attinent.

Ex tribus longis colloquiis habitis Vilnae in Lituania, Dzisnae, et Polociae in Alba Russia cum Serenissimo Stephano Poloniae Rege.

Ex trium dierum colloquio habito cum Joanne Thedalto, mercatore Florentino, septuaginta octo annos nato, qui decies in Moscoviam ierat, ibique aliquando tres annos haeserat, et inde literis commeatus, seu fidei publicae a Magno Duce acceptis, in Persiam per mare Caspium et Circassos iverat. Quorum colloquiorum summam, sicut et aliorum cum Poloniae Rege habitorum, pater Possevinus ad Summum Pontificem, et illustrissimum Cardinalem Comensem misit.

Ex libello Alberti Campensis ad Clementem VII de rebus Moscoviticis scripto, quem patri Possevino ipsemet Pontifex Maximus Gregorius XIII dederat.

Ex colloquio per sex dies interdum habito cum Basilio Heribun, nobili Rutheno ac Cassacorum centurione, quem Rex Poloniae patri Possevino ducem itineris Polocia usque Orsam tradidit; is enim sex annos in Moscovia captivus mansit, quique nobiscum, Deo miserante, ex Rutheno factus est Catholicus.

Ex relatione Christophori Dzierzek nobilis aulici Serenissimi Regis Poloniae, qui, antequam Polocia discederemus, retulit patri Joanni Paulo Campano, socio patris Possevini, quidquid ille observaverat in Moscovia, cum ad Magnum Moscoviae Ducem a Stephano Poloniae Rege missus fuisset. Porro ipsa relatio, scripta a patre Joanne

Paulo Campano, missa est ad illustrissimum Cardinalem Comensem a patre Possevino, cum esset Polociae.

Ex observatione earum rerum, quas vidimus ipsi in ecclesiis et monasteriis Moscorum.

Ex relatione interpretum et pristavorum, qui nostri curam habebant.

Ex colloquiis habitis non semel a patre Possevino cum senatoribus Magni Ducis, qui aliquando ad quinque horas protrahebantur.

Ex scriptis, quosque Magnus Dux ex ipsis archivis dari patri Possevino jussit, cum pacem inter ipsum, ac Poloniae Regem ageret, quae omnia Romam mittuntur. Ad haec omnia accedebant, quae patri Possevino relata saepe fuerant ab ipso Rege Sueciae Joanne III hujus nominis, cum ille veteres minutias in mentem revocaret, qui decennium gesserat bellum cum Mosco, et multa a Polonis de Magno Moscoviae Duce accepisset, quae identidem eidem patri narrabat.

Extat vero cujusdam Guagnini liber, qui editus jampridem in lucem, multa continet, quae commisisse Magnum Moscoviae Ducem scribit.

Ex manuscripto Ant. Possevini, Tom. I. No 2.

XI.

De rebus Moscoviticis, ad Religionem spectantibus Commentarius(*).

Записки о Московскихъ дѣлахъ, относительно Вѣры.

Magni Ducis Moscoviae ditio, cum longe lateque ad septentrionem atque ad ortum solis pateat, duodecim([1]) tantum habet episcopatus, quorum praecipuus est Moscuae, quem Metropolita, qui ceteris omnibus praeest, administrat; Rostovium autem, ac Magnam Novogardiam([2]) Archiepiscopi duo. Reliquas civitates, Cortizam([3]), Resaniam, Columnam, Susdaliam, Casanum, Volochdam, Tveriam, Smolenscium, Derpatum([4]) Episcopi administrant. Cum vero a Patriarcha Constantinopolitano Moscoviae Metropolita olim confirmaretur, nunquam hoc Principe confirmatus est amplius, licet plures eo munere sint functi, ac vel([5]) interfecti, vel ad monasteria ablegati. Ab ea vero confirmatione petenda cessatum esse putatur, postquam pater hujus Principis Basilius Graecum in vincula sacerdotem conjecit, quem a Constantinopolitano Patriarcha evocaverat. Sed sacerdos cum Moscos non solum a Graecis, verum etiam a Latinis in fidei dogmatibus, ac ritibus quibusdam dissidere comperisset, libere id Basilio objiciens, numquam (ne acriter quidem id urgente per literas Imperatore Turcarum) e custodia, in qua diem obiisse fertur, liberari potuit. Porro Metropolita deligitur jam ab ipso Principe, consecratur a duobus tribusve Episcopis; atque is ad duodeviginti millia talerorum, qui circiter tredecim aureorum nummûm millia faciunt, in redditibus annuis habere([6]) dicitur. Ab eo tamen, ut et a reliquis Episcopis, non illis quidem adeo opulentis, interdum tributum, sive subsidium, ut vocant,

(*) In editione Colon. Mylii, an. 1595, reperiuntur anomaliae textûs sequentes:

([1]) undecim. ([2]) *add.* quae Nouigrod dicitur. ([3]) *pro* Crutizam. ([4]) *haec vox deest.* ([5]) ac denique. ([6]) e reditibus percipere.

exigit Princeps; sine cujus scitu ac permissu, nihil, quod magni(1) momenti sit, faciunt. Attamen, licet aliunde, hoc est(2) a Constantinopolitano Patriarcha confirmatio Metropolitae haud petatur: ei, audio, quingentos aureos nummos in eleemosynam singulis annis a Principe numerari. Ceterum Episcopi omnes ex monachis, tamquam perfectioris vitae hominibus, deliguntur. Quare neque uxores habent, nec umquam carnes edunt, sicut nec ipse Metropolita, neque annulos gerunt in digitis; et sanctitatem prae se ferentes, apud omnes in veneratione habentur. Dioeceses suas, in quibus Archimandritas et Igumenos, seu Praepositos in monasteriis confirmant(3), non solent, ut apud Catholicos fit, obire, aut invisere, fortasse quod Principi haec res foret suspiciosa. Verumtamen quibusdam in oppidis laicos aliquos, quasi vicarios foraneos, singulis annis statuunt, quibus vitam poppororum (hi sacerdotes sunt)(4) observandi cura cum demandetur, ii, si quis sacerdos crimen committit, pecunia fere mulctantur. Vocantur autem Episcopi Wladycae, a voce Ruthenica Wlodars, quae oeconomum ac dispensatorem designat. Parochi vero, ac reliqui poppi, Graecorum more sacerdotum, uxorem(5) ducunt, qua demortua, si monasticam vitam agere velint, pergunt sacerdotio fungi; sin alteram ducunt, nullum jam sacerdotii munus obeunt, nec adeo sacerdotes vocantur(6), cum et aliqui tamquam diaconi in ecclesiis inserviant, quasi character sacerdotalis ex primae uxoris vita penderet, ea mortua deleretur. In iis omnibus, sicut et in monachis (quorum plura(7) ejusdem ordinis habitusque(8) monasteria cernuntur) mira interiorum literarum ignoratio est, ita, ut nec quis sit sui auctor instituti, responderint(9), cum id de iis quaereremus. Divi tamen Basilii quamdam esse speciem conjicitur. Monialium item non desunt monasteria, sive domicilia, sed quae longe absunt a cultu custodiaque nostrarum. Quibus autem in universum Moschi erroribus implicantur, ex eo intelligi potest, quod ante quingentos annos, Duce Moscorum Volodimero, christianam fidem a schismaticis Graecis(10) acceperunt. Ea imbuti, ac proinde maximo beneficio sese devinctos putantes, facile crediderunt, quidquid de Latinis Graeci (Romanae gloriae atque pietatis aemuli) obloquebantur. In ea vero opinione alti, et a teneris educati, Chronicaque corrupta legentes, nec habentes, qui istas ex eorum animis calumnias serio possent abstergere, a Catholicis valde abhorruerunt, ita, ut(11) cum ingens alicui malum imprecantur, «utinam te, inquiunt, Latinae fidei videam». Cum vero imaginem aliquam piam ex iis, quibus Catholici utuntur, a suis simplicioribus coli animadvertunt, «ne colas, ajunt, quia nostrae fidei non sunt».

Cum autem nobiscum, jubente Principe (officii ne, an observandi causa), nobiles quidam (pristavos nominant)(12), assignati necessariis rebus procurandis, comedere soliti essent, nec assurgebant, cum mensae benediceremus, aut gratias Deo ageremus; nec item nostras imagines venerari, aut ullo in honore habere (cum suas tantum non adorent), nec alia id genus facere volebant. Quin vero Princeps, quotiescumque externos legatos alloquitur, iis recedentibus (sicut et nobis contigit), manus e deaurata pelvi, quae super scamno conspectui omnium patet, quasi ad expiationem, solet abluere. Quo facto, proceres ac ceteri nobiles, qui Bojarii vocantur(13), quorum frequens solet esse consessus, sic in suo schismate, atque a nobis christianis aversione obfirmantur, ut nihil supra. Ego vero,

(1) *add.* alicujus. (2) *hae tres voces omissae.* (3) collocant. (4) *add.* seu aliorum. (5) *add.* virginem, antequam sacerdotes sint. (6) censentur. (7) omnia. (8) et vestitûs. (9) aliqui respondere sciverint. (10) haereticis. (11) itaque. (12) *ambae voces desunt.* (13) *hae tres voces omissae.*

licet expectandum esse tempus, quo ingenia illa maturescant([1]) ad pietatem, intelligebam, aegerrime tamen hoc ferebam, sperans quidem, non longius futurum, cum vel alii christiani Principes id Mosco objiciant, aut legatos sese ad eum non missuros amplius significent([2]), nisi ab illa sordida ablutione desistat. Ita porro Moschi, tradito per manus a majoribus suis instituto, a teneris loqui ac sentire de suo Principe soliti sunt, ut interrogati saepius respondeant: «solus Deus, et magnus Dominus (ita enim Principem vocant ([3])) hoc scit; ipse([4]) novit omnia; is unico verbo omnes nodos ac difficultates potest solvere; nulla religio est, cujus ille ritus ac dogmata nesciat: quidquid habemus, aut cum recte equitamus, vel valemus, id clementia magni Domini obtinemus». Is vero hanc de se existimationem apud suos mira diligentia fovet, prorsus ut quasi Rex suorum([5]), simulque Imperator videri velit. Pontificiam autem, ac plus quam regiam majestatem ipsis in vestibus, consessu, ac reliquis prae se ferat. A Graecis Patriarchis et Imperatoribus mutuata esse illi omnia, aliquis dixerit, atque ad sui honorem, quae ad Dei cultum referebantur, traduxisse. Tiaram enim unionibus ac gemmis ornatissimam, eamque non unam, tamquam ([6]) ostentandae amplitudini mutat identidem, cum ex Byzantio sibi delatam dicat, aut apud se habet, cum sedet in throno, aut gestat in capite. Pedum, seu pastorale in manu laeva, chrystalli sat magnis globis, tamquam nodis distinctum([7]); talarem vestem, quali fere Pontifex Maximus uti solet, cum solemniter procedit ad sacrum, et manus plenas annulorum gerit cum praegrandibus gemmis. Imaginem item Salvatoris ad dexteram, ac Beatissimae Virginis supra cathedram, in qua sedet, binosque albis sagis indutos, atque bipennibus ad humeros munitos habet, utrinque stantes, quasi regii corporis stipatores. Ceterum subsellia interioris et anterioris cubiculi referta hominibus, qui vestibus aureis, quas ([8]) Princeps, legatis advenientibus, solet illis utendas dare, induti usque ad talos, referunt diaconos ([9]), cum sacerdotem sacra facturum prosequuntur. Hi autem miro silentio, ab ore nutuque Principis pendent; cujus ad sinistram major natu humiliore in loco filius sedet, tiaram et ipse, licet minorem, habens in scamno, oblongaque veste, et ea pretiosissima indutus. Atque hi duo, pater et filius, cum mensae accumbunt, pluribus crucis consignationibus se muniunt, antequam unum quodque ferculum, aut potum gustent, vel delibent. Ad sacrum autem, atque ad templum quotidie, nec semel eunt; in eoque([10]) numquam sedent, nisi cum pars aliqua homeliae, vel Sancti alicujus apud eos viri vita recitatur. Quin vero ipsi quoque fronte humum ex religione percutiunt, jejuniaque sua sedulo observantes, eam, quam dixi, pietatis speciem([11]) in subditorum animis defigunt([12]), ac fovent. Principi vero ipsi confessarius laicus([13]) sacerdos est proprius, qui eum quacumque comitatur, Moscua exeuntem; cui etiamsi Princeps singulis annis peccata confitetur, Eucharistiam tamen non sumit amplius, quod ei, qui plures, quam tres uxores duxerit, fas non sit, ex eorum legibus, Christi Domini corpori communicare. Nam Princeps, ut([14]) ex Anastasia prima uxore, quae olim decessit, duos, qui adhuc superstites sunt, filios suscepit, sex alias uxores (sive quo nomine alio vocet quis) virgines duxit, quarum aliquas variis de causis in monasteria intrusit; cumque adhuc aliquae earum vivere dicantur, septimam tamen, quae vocatur Maria, filia Theodori Nagoj, quam superiore anno sibi in suo illo ma-

([1]) maturescerent ([2]) significabunt. ([3]) hoc est, princeps. ([4]) *add.* noster magnus dominus. ([5]) sacrorum. ([6]) non unam tantum, quam *et cœt.* ([7]) interstinctum. ([8]) *add.* nisi ipsi habeant. ([9]) speciem diaconorum. ([10]) dumque id fit. ([11]) opinionem. ([12]) figunt. ([13]) *h. v. deest.* ([14]) ubi.

trimonii genere adjunxit, apud se habet. Johannes item major natu filius, non plus viginti licet annos natus, tertiam habet uxorem, primis duabus, sic patre jubente, filio autem dolente, inclusis ([1]). At Theodoro alteri filio ea, quam primo duxit, adhuc est, adolescenti, ut ferunt, satis innocenti, nec a Catholicis abhorrenti. Quamquam ut statura corporis non aequat aetatem, et vero barbam habet, quae primogenito deest, non permittitur venire in conspectum eorum, qui a Principibus externis ad Magnum Moscoviae Ducem mittuntur. Porro Johannis primogeniti uxor (si ita vocanda sit) Helena vocatur, Johannis Scheremetoni nobilis Moschi filia; Theodori vero Hirene, cui Theodorus Godunen ([2]) est pater.

Jam vero Princeps cum suarum omnium provinciarum, quaeque in iis sunt, haeredem se agnoscat, et dicat, bona et praedia, quibus vult, tradit, quibus autem vult et quando libet, adimit. Quae res etiam facit, ut a suo schismate discedere non audeant, et in bella quisque sine stipendio prodeat. Pendent vero sic a Principis nutu, ut quocumque mittuntur, advolent, idque faciant, non tam sui causa, quam liberorum, quibus, si specimen aliquod praebeant, eorumque parentes recte se gesserint, aut omnia, aut partem bonorum Princeps concedit. Sic bonorum, et corporum, animarumque, ac quasi cogitationum vult esse integer Dominus. Cum autem velit omnia noscere, quae inter suos geruntur, fit, ut nemo pene audeat hiscere; aut si quid proferat, id ad gratiam aucupandam, vel ad supplicium declinandum spectet. Ad externos autem declinare ([3]), commigrare absque illius scitu, et adeo missu, non licet. Itaque etsi mercatores aliarum regionum in Moscoviam navigant, aut commeant: nemo tamen ex Moschis ad alienos transmigrat ([4]), nisi missus; ac ne naves quidem habere permittitur, ne ea ratione diffugiat, aut nimia cum externis consuetudine contracta, aliquid denique Principi incommodum afferri putetur. At vero ne iis quidem, quos ille interdum ad christianos Principes allegat, licet, ut eosdem, quos mutuo iidemmet Principes ad Magnum Moscoviae Ducem mittunt, alloquantur; quemadmodum nec Thomae Severigeno licuit nobiscum loqui, amicissime licet ac perhonorifice per Italiam, Pontifice maximo jubente ([5]), a nobis deducto. Quod tamen eo mirandum est minus, quod Legatis quamtumlibet magnis, etsi in civitate Moscovia datur amplum hospitium, sic tamen est praealtis molibus ([6]) circumseptum, ut inde nec domos aliquas intueri, nec cum ullo omnino loqui, ne educere quidem (ut et nostris aurigis accidit) ad aquandum equos possint. Sed nec ipsis medicis, quorum duo tantum in universa Principis ditione sunt, alteri Italo, Belgae alteri licet, aegrotum invisere, nisi id Princeps commiserit ([7]). Porro nec Collegia, nec Academiae ullae sunt, sed scholae dumtaxat aliquae, in quibus legere et scribere docentur pueri, idque ex Evangeliis, Apostolorum Actis, Chronico quod habent, et quibusdam vel sancti potissimum Joannis Chrysostomi homeliis, vel Sanctorum, vel quos existimant sanctos ([8]), historiis ac vitis. Quod si quis majorem in literis progressum facere velle intelligeretur ([9]), vel alias scientias imbibere, is nec suspicione careret, nec impune abiret. Eo enim spectasse videntur Magni Moscoviae Duces, ut non tam, quam inde oriri posse ([10]) haeresum occasionem putassent ([11]), amoverent, quantum ipsam praeciderent viam, qua ipso Principe doctior, aut sapientior aliquis haberetur. Atque inde fit, ut

([1]) *add.* in monasteria. ([2]) Godonus. ([3]) *h. v. deest.* ([4]) solet transmigrare. ([5]) vestra beatitudine jubente. ([6]) sudibus. ([7]) concesserit. ([8]) habent pro sanctis. ([9]) videretur. ([10]) non tantum quae inde oriri posset. ([11]) *h. v. deest.*

neque amanuenses et scribae (sic enim vocant, qui sunt a secretis), nec ipse cancellarius, qui eis praeest, vix quidquam scribat, vel respondeat iis, qui ab externis Principibus veniunt. Quin Magnus ipse Dux longa satis, neque necessaria vel titulorum et rerum propositarum repetitione dictet; dictatum deinde senatores nunciis, aut legatis sic ex scripto referant, ut partitis inter se schedis, omnes ordine suam ([1]) recitent. Quod mihi aliquando per quatuor integras horas contigit, cum respondisse ad omnia minus unius horae spatio potuissent. Antequam vero quisquam aliquid recitat, assurgentibus ad Principis nomen omnibus, dicit: Magnus Dominus totius Russiae jussit tibi legato, vel nuntio, talis et caet., haec referri; quae nec unus ipse pergit usque ad finem proferre, sed ab altero mox interceptus, ex scheda eidem proposita respondente, ut et aliqui alii faciunt([2]), nectit consequentia.

Sed et tanta, quasi dixerim, religione in mensis assurgunt omnes, quotiescumque Princeps alicui propinat, vel cibum mittit, nihil ut antiquius videantur habere, quam ut ipsi continuum ([3]); neque umquam intermissum omnibus in rebus tributum venerationis pendant, ac fere juge suorum animorum sacrificium offerant([4]). Quanta libet autem auctoritate polleat aliquis, is si grave, aut quod grave videatur, commiserit crimen, jubente, vel annuente Principe, extremo supplicio plectitur, ac plerumque in aquam demergitur, aut verberibus afficitur. Nec tamen id usque adeo dedecori ducitur, quin etiam verberibus affecti Principi gratias agant.

Porro ad haec, quae tractandis rebus et insinuandae religioni non minima videri possint incommoda, hoc accedit etiam, quod cum legati Principis Vilnam saepe aliasque ad Polonici regni provincias de pace induciisque inierint([5]), varias etiam haereticorum sectas, quibus ea civitas scatet, acceperunt: quare et Lituanos([6]), dicunt, «quod mane credunt, id a prandio pernegare»; et ejusmodi catholicos esse omnes, atque adeo ipsum serenissimum([7]) Poloniae Regem Stephanum, sic gratis([8]) affirmabant. Sed hoc illis, et senatoribus constanter exemimus. Cum autem Lutherani ex Germania, et Calviniani reliquaque faex([9]) ex Anglia in Moscovia soleant habere commercia, hi jampridem([10]) duo templa obtinuerant, nomine Romanae religionis, cui sese esse addictos, inter hanc gentem rerum istarum haud peritissimam, jactitarunt, non levi certe sathanae astu, qui ea ratione vel iis conciliare auctoritatem, quasi essent catholici, vel in catholicos dissensionis atque illorum improbitatis culpam conjicere poterat([11]), ut sic([12]) nostris ad ostium fidei pandendum aditus impediretur. Sed magna judicia et abyssus multiformis sapientiae Dei, non sinunt quidquam occultorum non revelari, ac tandem in eorum caput malitiae spicula retorqueri, quae in alios intorquent haeretici, vere semen maledictum. Princeps igitur ante biennium, sive quod aliquid inavdiverat ejusmodi, sive quod suis metueret, ne eo fermento inficerentur, variasque sectas introducerent, concessa illis duo templa comburi mandavit; sicque in hypocaustis([13]) res suas agunt. Hanc autem de Romanis opinionem, quasi iidem essemus cum Lutheranis aliisque haereticis, necesse fuit ex Principis ac senatorum animis evellere: cum nobis pro aliquibus sacerdotibus, si qui venturi essent ex Italia, locum petentibus, primo negasset praecise Princeps, se ecclesiam concessurum; sed tamen postea dixerit, se per-

---

([1]) sua. ([2]) respondente — faciunt, *hae voces omissae.* ([3]) continens. ([4]) *add.* ei. ([5]) iverint. ([6]) de iis. ([7]) *h. v. deest.* ([8]) satis. ([9]) reliquique. ([10]) jam diu. ([11]) conabatur. ([12]) videlicet. ([13]) *add.* secretò.

missurum, aliqua ut in domo religionem suam colerent, catholicique Romano cultu([1]), sicut alii Germani, in campo ipsis assignato sepelirentur. Illum ergo de tota re liquidius docentes, fidem publicam pro ipsis catholicis sacerdotibus, ac mercatoribus, nec non alteram pro legatis ac nunciis Apostolicae Sedis sic obtinuimus, ut ingressuris in Moscoviam novas litteras commeatus, seu salvi conductus ea de re petere, non opus fore videatur. Quae quidem res a Clemente VII cum Basilio hujus Principis patre tentata, non potuit ad exitum perduci. Sed et transitum, atque itineris duces pro sua ditione Princeps pollicitus est tradere iis, quos Pontifex maximus ad Regem Persarum mittere judicaret, si quando in Asiam promovendum([2]) esse fidei negotium per eas regiones, aut Turcam profligandum([3]) censeret. Adversus quem se Pontificis maximi hortatu fore paratum, qui arma sumpturus sit, mihi dicto scriptoque Princeps recipit, si pax, de qua agimus, cum serenissimo Poloniae Rege sanciatur([4]).

Jamvero quod attinet ad sacrum officiave divina, haec omnia Ruthenice, seu potius lingua Moscovitica recitantur, quae non omnino([5]) eadem est, qua subditi Poloniae Regis Rutheni utuntur. Libros autem omnes ipsi describunt, nec typis cudunt, nisi cum pro ipso tantum Principe aliquid praelo subjicitur, in oppido, quod Sloboda Alexandrovska dicitur, ubi typographiam habet; idque oppidum viginti([6]) Italicis milliaribus, quae ipsi verstas nominant, Moscua distat. Ceterum, quos ipsi libros fere lectitant, aut etiam peritiores monachi versant, eorum nomina, quantum hoc tempore assequi potuimus, erunt in calce hujus narrationis adscripta, una cum illorum Calendario, ex quo intelligi possit, quorum anniversarios dies Sanctorum celebrant, vel item aliorum, quorum sanctitas Latinis et Graecis nec dum innotuit.

Quod autem in suo de Moscovia Commentario scripserat Jovius, quatuor Latinae Ecclesiae doctorum et aliorum patrum scripta circumferri apud hanc gentem, in ejus linguam conversa, quam item Slavicam esse putabat, id modo resciri non potuit, licet([7]) accurate perquisitum sit. Quin vero ne illorum quidem nomina, nisi divi Ambrosii huc pervenisse, satis verisimile est, quod ea neque in Calendario (in quo tamen quorumdam Pontificum Romanorum, Sylvestri, Gregorii Magni et aliorum mentio fit), non sunt inscripta; et apud aulicos ipsos, qui solent Principem comitari, fuisse videntur([8]) hactenus inaudita. Nec vero Slavicam linguam norunt, nisi quantum haec cum Polonica, Ruthenica, et aliis ejusmodi sic habet affinitatem, ut quem Moscuam misi patrem Stephanum Drenocium, Societatis nostrae sacerdotem([9]), natione Slavum, is pleraque jam multa Moscoviticae linguae([10]) assequebatur, cum contra Moschi Slavicam difficilius percipere viderentur.

Cum ergo tantum Ruthenice noscant, fit, ut neque ulli commodo sit Graeca lingua, Synodusve Florentina edita Graece, quam in consessu procerum frequenti Principi illi, ejus Sanctitatis nomine([11]), in arce Stariciae ad Volgam fluvium tradidi. Neminem enim habet, qui eam calleat linguam, nisi quod relatum est nobis, anno superiore venisse Byzantio quosdam Graecos, qui Principis mandato Moscum([12]) docent, ut interpretis ea in lingua operam praestet; verum corrupta est([13]), quali Graeci hoc tempore utuntur, eam potius esse credo, quam priscam, aut illam, qua Patres antiqui libros synodosque conscripsere. Itaque ne ipsa quidem([14]) Unionis Bulla, seu diploma ab Eugenio IV latum, no-

([1]) ritu. ([2]) *add.* eò. ([3]) *pericope haec desideratur.* ([4]) adversus — sanciatur, *tota haec periodus omissa.* ([5]) fere prorsus. ([6]) nonaginta. ([7]) *add.* a me. ([8]) *add.* illa. ([9]) misi sacerdotem, *reliquae voces desunt.* ([10]) *add.* statim. ([11]) vestraq beatitudinis nomine. ([12]) *add.* aliquem. ([13]) corruptam. ([14]) *add.* quae dicitur.

*

bisque ex ipso exemplari ab illustrissimo Cardinali S. Severinae traditum, usui esse potuit, quamvis Latine, Graece, ac Ruthenice scriptum fuerit. Qui enim bullam illam(1) Ruthenice scripserat(2), eum nec characteres, nec linguam omnino Moscoviticam novisse, sed mixtam aliquam ex Bossinensi ac Croatica animadversum est ab iis, quos mecum ex Russia(3) et Austria adduxi, quique et ipsam, et fidei Professionem, a Pio IV editam, ut verterent in Ruthenicum idioma, quali hodie utuntur, curatum est, eo animo, ut ab aliquibus peritioribus in regiis castris, ad quae propero, ubi fuerit examinata, quamprimum Vilnae edatur in lucem; sicque utrique Russiae, Polonici regni ac Magni Ducatus Moscoviae consulatur, Deo adjuvante.

Nec vero nisi paucissimos habent, qui Latinam linguam calleant, qui quidem praeter medicos illos, de quibus dictum est supra, trium numerum haud excedunt, hique Poloni sunt omnes, Jacobus Taborovskj, Joannes Bucovskj, et Christophorus Cajevskj(4). Illi quidem duo multos ante annos ex Polonia(5), hic vero ante triennium, cum ad Bogdanum Alexandri, suum dominum et Valachiae Vojevodam, quem putabat(6) esse superstitem, venisset, a Principe retentus est; quem etsi peritissimum Latinae linguae esse dixerunt, eum tamen nobiscum agere(7) haud permissum fuit. Inde ergo factum est, ut laboratum sit vehementer, antequam ea, quae scripto (uti petierat Princeps) traderemus, vel quae cum senatoribus subinde agebantur, ad ipsorum plenam notitiam pervenirent. Inepte enim illi pleraque, neque ad rem saepe nostram vertebant, earum vero praecipue rerum maximam partem omiserant, quas Principi fore molestas, aut certe sibimet ipsis aliquid periculi creaturas ab eo timebant; cujusmodi erant, quae ad negotium de religione primarium spectabant. Quod eos aliis quoque in Principum litteris, licet Ruthenice ex Lithuania scriberentur, facere, quibus in rebus dictio non eadem est cum Moscovitica, valde mihi probabile est. Attamen divino beneficio, incommodum hoc quoque superatum est, insinuatione tandem nostrorum interpretum, quos antea nolebant admittere, scriptisque nostris omnibus ab iis integre versis, quae Principi ac senatoribus tradita fecere, ut responsionem nobis uberiorem non in colloquiis solum, verum etiam scripto tradiderint. Versionis autem illius, a nostris interpretibus factae, exemplum Ruthenicum, praeter Latinum exemplar, isthuc mittemus(8), ut si quis aliquando huic operi successerit, eadem vel Principi huic, vel ejus filio, ac posteris revocari possint ad mentem.

Porro populus vix umquam ab opere vacat, nisi ipso die beatissimae Virginis Annunciatae; sicque dominicis diebus, ac reliquis omnibus diebus profestis (ne excepto quidem Paschatis die) operantur: ut sibi persuasum habeant, spectare tantum ad nobiles, ut ad sacra templaque(9) proficiscantur, contenti autem(10) sua supplicatione(11), plurimaque crucis consignatione, et reverentissimo erga pias imagines cultu, quas decentissime pingunt, et ad vivum exprimunt, nudas in eis corporis partes omnino exhorrentes. Jejuniorum autem, et a carne ac lacticiniis abstinentiae tenacissimi, ecclesias raro, nobiles vero mulieres ac virgines nunquam eas pene invisunt, nisi quo tempore (Paschatis nempe) Eucharistiam sumunt. Concionatores non habent; sed tantum, quas diximus, vitas Sanctorum, vel eorum, quos tamquam sanctos(12) venerantur,

(1) diploma illud. (2) verterat. (3) ex Russia regis Poloniae. (4) *pronomina haec ad idioma Latinum sic sonant:* Tabo-rouius, Bucouius, Cajevius. (5) *add.* ex oppido Vredoco. (6) *add.* adhuc. (7) hactenus. (8) mittam. (9) *add.* tam saepe. (10) *add.* populares. (11) simplicitate, (12) pro sanctis.

atque homiliae partem ex divo praesertim Chrysostomo, a poppis suis audiunt. Orantes stant, interdumque fronte percutiunt terram, quod illis quoque in salutandis primariis viris, aliquando et in clementia ([1]) petenda solemne est. Quatuor candelae ad quatuor fontis partes accensae ponuntur, quibus deinde extinctis, baptisma adhibetur infantibus, trina totius corporis mersione. Aegroti vix ullum remedium habent ([2]), quam vel cremati vini potum([3]), vel aquae a sacerdotibus orationibus sanctificatae aspersionem, vel nuncupationem votorum, quae plerumque beatissimae Virgini Mariae, iisque etiam, quos habent pro sanctis, offerunt. Restituta valetudine, imagines quoque argenteas iisdem affigunt, antiquissimae Ecclesiae morem servantes, nisi in sanctorum apud eos quorumdam existimatione errarent. Moribundis Eucharistiam afferunt ([4]), eosque extrema unctione inungunt, peccata sua in primis sacerdoti confitentes; quod et singulis annis, cum valent, atque aliquando saepius faciunt. Cum funus effertur, id poppi laicique, candelis quibusdam parvulis ardentibus, quas gerunt in manibus, prosequuntur, nulla praelata cruce, imagine tantum pia demortui pectori haerente, qui sic linteamine totus obvolvitur, sola ut facies cerni possit. Nihil aliud vero concinunt, praeter illud trisagion: Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte et immortalis. Cum autem cadaver mandant sepulturae: recordare, inquiunt, Domine, animae hujus; ac quaedam in eum sensum, ex Graecorum liturgiis, aut ex divo Dionysio Areopagita verba proferunt; mortuum osculantur. Si quis autem nobilis([5]) moritur, hunc Metropolita, quique alius adesset in civitate Episcopus, comitantur, quousque in sepulturam illatum sit cadaver. Ceterum divum Nicolaum, Myreae Episcopum, magnopere venerantur, quemque non depictum tantum, verum etiam pene totum exsculptum vidimus non procul a Novogardia Magna; cum (quo in loco religiose imago ne, an statua illa esset exposita) monachi nobis obviam venissent, in altera patina aquam benedictam et crucem afferentes ([6]), in altera vero panem ac sal, ut solent, offerentes. Vocant autem sanctum Nicolaum czudothvoretz, quasi *θαύματοῦργον*, id est, miraculorum patratorem, quem non adeo colunt, ut vel Christo Domino aequent, vel sanctorum maximum existiment, nisi quis, minus veritatem edoctus, in ea re erret. Obliquas deinde, ut ipsi dicunt, et curvas ferias sextas quasdam habent, Niedziela Wsiejedna nominatas, quibus designatur, totam hebdomadam esse quasi dominicam. Nam a Domini Nativitate usque ad Epiphaniam, et octo post Pascha dies, ac quibusdam aliis, qui jejunium, quod ipsi vocant Sancti Petri, antecedunt, ut et iis, qui magnam Quadragesimam praecessere, carnes edunt, lautiusque vivunt. Pervigilia vero, ut Catholici, non habent. Si quis profestus, vel anniversarius alterius celebrationis dies in Paschatis incidit diem, eum in alium haud transferunt. Bis in anno, semel in die Epiphaniae, iterum ante beatissimae Virginis Assumptionem, benedicit Metropolita flumini Moscuae, alii vero sacerdotes aliis fluminibus; et in eo multi mares faeminaeque, indusio tantum indutae, ceterum nudae ([7]), trina mersione toti immerguntur. Equi item, et imagines quoque baptizantur, ac propterea id Chresczenie([8]), id est, baptizatio dicitur. Qui mos, sive ritus, licet non praeceptus sit omnibus, plures tamen ex religione eum sic servant, ut aegroti quoque, qui sibi ea ratione putant ad valetudinem consulere, summo in gelu effossa glacie,

---

([1]) in eleemosyna. ([2]) adhibent. ([3]) *add.* vel aquae, in quam sanctorum reliquias imposuerint. ([4]) *add.* sine facibus. ([5]) nobilior. ([6]) *h. v. deest.* ([7]) *hae quinque voces omissae.* ([8]) *add.* eorum lingua.

per foramen in aquam demissi, eximantur. At et cum essem in Alba Russia, relatum est mihi, in ea, quae Rubra dicitur, quaeque item, ut Alba, Poloniae Regi subdita est, Drochobitii puteum esse aquae salsae, cui cum solemni supplicatione sacerdotes, ubi benedixerint, ea populum aspergunt. Inter sacerdotes autem sunt protopopi, qui archipresbyteri, et archidiaconi, quibus major, ut etiam apud nos fit, honor defertur. Ex his igitur, quae hactenus hoc in itinere vel ipsi vidimus, vel ex Moschis audivimus, intelligi potest, quanto Divini cultus et Ecclesiae bono fuissent, qui Europae atque Asiae fines attingunt, si Orthodoxam ab initio fidem hausissent, vel adeo haurirent; Catholici autem Principes, huic genti viciniores, eamdem (cum facile olim potuissent) in re Catholicae religionis, quam hi servant in schismate, constantiam([1]) servari procurassent. Quoniam vero Moschi aliis ritibus et erroribus impliciti sunt, ii partim ex Instructione patri Stephano Drenocio relicta, quae huic narrationi erit adjuncta, partim ex Epistola patris Pauli Campani, professi ex Societate nostra, quam ille de toto hoc itinere texit ac adscribit admodum R. P. Generali nostro, peti poterunt: cum si quid aliud erit adjiciendum, id vel in reditu nostro a Rege Poloniae ad Magnum Moscoviae Ducem fiet, vel ex iis libris ac scriptis colligi poterit, quae aut legi, aut isthuc ad illustrissimum Cardinalem Comensem misi, qui tituli ex sequentibus foliis cognoscentur([2]).

Difficultas, Spes, Ratio Catholicae religionis in Moscoviam provehendae.

Cum ex iis, quae dicta sunt, perdifficile videatur, fore negotium insinuandae in Moscoviam Catholicae fidei; tum eo difficilius videri posset, si cetera, quae dicenda sunt, brevi attigerimus. Primum, cum maxima populi pars ignoret, quid schisma sit, religionis autem ritus, et dogmata, quae credunt, numquam habuere, qui a recta fide aliena esse illis ostenderet: si quis catholicus sacerdos ad eos accesserit, vereri([3]) poterit (cum adhuc Evangelio et veritati praedicandae non omnino pateat ostium), an illis injicere debeat de illorum schismate scrupulum, ceteroquin in sua simplicitate, quibus aliud nihil innotuit, salvandis([4]).

Cum autem gravissime plecteretur, qui de Ruthenis ritibus, aut dogmatibus quidquam mutire([5]) auderet; concionandi autem omnis facultas tollatur, qua fere unica via inferendae Evangelii luci uti solita est divina sapientia; nec vero (sicut dictum est) magna pars accedat ad templa: res plena periculi videtur, si quis ejusmodi aliquid tentet, cum praesertim, nisi hoc ex voto succedat, majores posset facere([6]) difficultates.

Accedit, quod Aulici cum Principe, in quibus rei totius summa posita est, cum de Catholicis, atque adeo de Romanis, multa ex mercatoribus, qui pene omnes haeretici sunt, audiverint et continenter audiant, ea pervertunt in pejorem partem, numerum prope innumerabilem catholicorum, et plurima pietatis opera, consensumque in fide unanimem, ac Divini cultus majestatem, quae apud nos est, numquam audientes. Cum vero Antistites et sacerdotes nostros cum suis Episcopis et monachis conferunt, hos esse sanctiores, ac proinde sin-

([1]) *add.* a suis populis. ([2]) *orationis ultimae circuitus est brevior, aliterque legitur*: Quoniam vero Mosci aliis ritibus et erroribus impliciti sunt, propterea hi, cum a Poloniae rege ad Magnum Moscoviae Ducem reversus fuero, sic a me perscribentur, ut simul, quid iis refutandis responderi possit, Deo aspirante, adjiciam. ([3]) *add.* fortasse. ([4]) ceteroquin rudioribus, in sua simplicitate forsan salvandis. ([5]) obloqui. ([6]) parere.

ceriorem cultum, verioremque religionem habere sese putant ([1]).

Natura vero schismatis cum ea sit, ut pietatis speciem, remque ipsam magna ex parte retinens, his contenta sit (quo fuco etiam nostro tempore haeretici populos deceperunt); caput vero ministeriale non agnoscat ([2]), et proinde neque primarium habeat, unde spiritualis vitae sensum et motum accipiat; vixque rationis ullius vim admittat intrinsecus, aut si quid veritate cogente, admiserit, hoc vix retineat diu. Itaque operam et oleum inter hos, qui ex Scythis Tartarisque permisti sunt, viderentur ii perdere, qui alibi futuri essent utiliores. Nam et quam pervicaces fuerint D. Augustini tempore Donatistae, cum pleraque omnia retinerent, ab ipso Christi Vicario tamen (si tantummodo dicendum est, idque est maximum) sejuncti, Ecclesiae notum est. Atque etiam Graeci ipsi, unde hi schisma ebiberunt, cum summam charitatem, sumptus, et veritatem Sedis Apostolicae experti, se quaterdecies vel publica confessione nobis adjunxerint, ac tamen semper ab ea recesserint; ostendunt, quid de pullo mali ovi sperandum sit.

Sed et Magnus Moscoviae Dux, cum a suis legatis, qui de pace venerant Vilnam, cognovisset, me ad serenissimum ([3]) Poloniae Regem a summo Pontifice ([4]) venisse, scripserat per Christophorum Dzierzek ([5]) ipsi Regi, Moscos a synodi Florentinae tempore cum Ecclesia Catholica fuisse eadem religione conjunctos, seque sinere, ut Catholici in Moscovia suis ritibus uterentur. Verumtamen se nihil minus plane indicavit ([6]), cum ad rem ventum est, summique Pontificis monita ea de literis perscripta, et longiore a me scripto proposita, sicut mihi ejus Sanctitatis nomine, illustrissimus Cardinalis Comensis mandaverat, ei obtulissem ([7]). Quin vero cum Livoniae magna parte subacta, Catholicos inde ad unum ejecerit, cultumque Ruthenicum armis passim invexerit, ac diligentissime statuerit, avum, qui id ipsum Novogardiae fecerat, patremque secutus. Cumque longa cum ejus consiliariis colloquia habenti, deprompta mihi fuissent ex penitioribus archivis scripta, et formulae, quas ad res suas, adversus Poloniae Regem tuendas, Pontifici maximo cupiebat esse cognitas; satis inde ([8]) collegi, quidquid de amicitia continuanda cum Pontifice maximo, Caesareve ([9]), aut aliis Principibus, a tempore Leonis X et Clementis VII, ejus pater Basilius, vel hic ipse modo cum ejus Sanctitate ([10]) tentavit, id ad suae ditionis, ac schismatis terminos recuperandos ([11]) et propagandos, armaque ad hanc rem sibi comparanda spectasse. Non secus ac superioribus annis Turca fecerat, qui per quorumdam amicitiam christianorum Principum ([12]) in Europae viscera pervasit.

Nam quod ad Regios, et adeo Caesareos titulos attinet, nihil ille a Sede Apostolica ([13]) petit, qui sibi illos vindicavit, Caesarem vero ipsum ([14]) eo adduxit, ut se fratrem ipsius ([15]), Czar vero, id est, aut Regem Casani et Astracani, aut Imperatorem in literis vocet. Quibus nominibus cum a Pontifice maximo non appelletur, nec ipse ejus Sanctitatem alium, quam Pastorem et Doctorem Ecclesiae Romanae nominat: et quamvis aliquid de hac re ipsi proposuerim, non tamen suam mutavit ille inscriptionem, licet publice honorificentissimis titulis summum Pontificem Christi vicarium, et quaedam ejusmodi pronuntiauerit. Quin

---

([1]) *add.* quod ab haereticis miras (uti hi solent) blasphemias audiant ([2]) non habeat. ([3]) *h. v. deest.* ([4]) a vestra beatitudine. ([5]) Dzerzecium. ([6]) *add.* hactenus cogitasse. ([7]) cum ad rem — obtulissem, *haec orationis continuatio e contextu exclusa.* ([8]) certò. ([9]) *in plur. num.* ([10]) cum vestra beatitudine. ([11]) *h. v. deest.* ([12]) quorumdam malis artibus aut quaesitam, aut oblatam christianorum amicitiam. ([13]) aliunde. ([14]) eminentes vero principes quosdam. ([15]) Caesaris.

vero aegerrime tulit, quod ab ejus Sanctitate nobilis tantum, et Magnus Moscoviae Dux solum appelletur([1]). Sed haec fortassis ejus Sanctitas([2]) perpendet, si quando ob vastitatem provinciarum istius Principis, spemque illum ad meliora alliciendi, aliquid addendum sit, ne calamus quassatus conteratur. Et vero sic ei scribatur, ut Dominus non totius Russiae, sed Russiae tantum, neque Livoniae haeres, aut simile aliquid, in alienum praejudicium, vocetur([3]).

Praeterea non minima difficultas est, quae Moscos in schismate detinet, quod([4]) corpora quorumdam, qui schismatici fuerunt, integra sese habere glorientur, eorum, per quos miracula frequenter edi, caecis visum restitui, aegrotos sanari, constantissime affirmant, ut plurimi periculi res esse videatur, si quis illorum corporum elevet sanctitatem([5]), aut dubius quaerat, num ii vere sancti martyresve fuerint. Inter alios autem numerantur Cleb et Boris, Petrus Metropolita, Alexius, quorum corpora exstare ajunt Moscoviae; Sergius item, quidam monachus, ante 190([6]) annos mortuus, qui in monasterio Trinitatis asservatur, procul ab ea civitate milliaribus Italicis sexaginta. Quo in monasterio ducenti fere monachi esse feruntur([7]). Eo vero ad diem ipsius Sergii anniversarium celebrandum, etiam Princeps ex arce Stariciae, triduo post discessum nostrum, cum nos quarta decima die Septembris([8]) inde versus Plescoviam in viam nos dedissemus, excurrit; inde in Slobodam Alexandri oppidum, mox ad suam Regiam, quae Moscuae est([9]), profecturus.

At et aliud magni momenti esse videtur, quod difficillime sacrum Ruthenicum Moschi relinquerent, ut Latino uterentur, aut etiam Graeco([10]). Quod quidem si ad tempus eis concederetur, jam sedulo esset examinandum, num quae ex Divina Scriptura([11]) et Evangeliis recitantur, recte sint versa; quae res numquam fortassis, ne a Graecis quidem, facta est. Nec vero fieri facile potest: cum qui Moscoviticam linguam proprietatesque harum phrasum una cum Graeca, seu Latina lingua intelligat, et simul in Theologia jecerit aliqua([12]) fundamenta, arbitror, esse neminem([13]).

At quidem Episcopos Ruthenorum, qui serenissimo Poloniae Regi subditi sunt, audio([14]), Graece facere sacrum, quam tamen linguam vix eorum ullus novit. Quamobrem neque ab iis, si quis ad Ecclesiam catholicam accederet, id sperari posset; cum etiamsi utramque linguam callerent, Theologiae prorsus sint ignarissimi. Uni vero, aut duobus ejusmodi tantam rem committere, judicium esto ejus Sanctitatis([15]), an expediat.

Spes, et Exempla.

Verum enimvero nos animat nonnihil([16]) ad meliora speranda is, apud quem non est impossibile omne verbum; quique ut quaerentibus serio Dei regnum multa solet adjicere,

([1]) *ambae ultimae periodi aliter leguntur:* Quibus nominibus cum a vestra beatitudine non appelletur in litteris, non adeo contentus est; quin vero aegre tulit, quod in iis alia saltem inscriptio non esset, adnumeratis aliquibus provinciis, quibus praeest. ([2]) vestra beatitudo. ([3]) appelletur. ([4]) *add.* licet res plane fabulosa sit. ([5]) *add.* praeceptam animis. ([6]) undeviginti. ([7]) *add.* universae Moscoviae primario, ac satis opulento. ([8]) XVIII Cal. Octobris, *quod impar non est.* ([9]) *tres voces desunt.* ([10]) Ruthenicum sacrum desererent et cum Latino permutarent; vel ipsi adeo Graeco uti nos permitterent. ([11]) ex divino vetere codice. ([12]) *add.* solida. ([13]) neminem hactenus cognoverim. ([14]) *add.* interdum. ([15]) vestrae beatitudinis. ([16]) *h. v. deest.*

ita hoc potissimum saeculo, in remotissimis Indiis, ad ortum, occasum, atque meridiem, deletis idolis, trophaeum Crucis([1]) excitavit, eademque Latina lingua sacrum dici in diversissimis nationibus exiguo annorum spatio fecit. Cumque quarta haec mundi pars, quae vergit ad septemtrionem atque ad orientem, restare videatur, in qua necesse sit Evangelium recte annunciari: magnum in ea ostium aperiri posse Orthodoxae fidei, divina Providentia ostendit, si([2]) his rationibus longanimique, ut ita dicam, diligentia, quibus tot([3]) regna Christi jugo subjecta([4]), negotium hoc promoveatur. Nam et aliquid est, nec sine divino Numine factum, quod aditus([5]) in Moscoviam patuerit hoc Pontifice maximo([6]), cum operarii coguntur, et ad excolendas vineas institui curantur. Quodque Deus id effici voluerit post Synodum Tridentinam, quae afflata divinitus, istud seminarium([7]) unicum esse remedium ad propagandum Evangelium, ostendit. Rege item Poloniae Stephano, qui armis in Moscoviam ostium Catholicis patefecit, atque([8]) in gratiam summi Pontificis([9]), summo licet in bello fervore, concesserit, ut in Moscoviam ipsi tuto procederemus([10]): quod ne in pace quidem alii Poloniae Reges cum pontificiis nunciis haud permisissent, haeresum interea flagello egregie afflicti sunt([11]). Accedit ipsius Magni Ducis erga nos perhonorifica exceptio, qui nec omnia nobis negavit, et vexatione belli dante intellectum, fortasse mitior ad reliqua fiet, quam de ejus ingenio fama percrebuerat. Vix vero credibile est, ut minimus omnium sacerdos([12]) eam libere loquendi et interiora pene omnia introspiciendi([13]) occasionem nancisci alio tempore potuisset, nisi divina Providentia, aliquam hujus inchoandi negotii horam venisse, et ipsi demum negotio se adesse indicasset. Quin vero, cum oblata peropportuna occasione, Principi significassem, videt, num juste a Deo tanti belli moles ejus humeris incumberet, quod Christi Vicario de negotio religionis nihil responderet (nectebat enim moras, et dissimulabat hoc totum), se quidem eo verbo vehementer affici, ostendit. Verum([14]) mitiora cogitare coepit, seque in reditum saltem meum responsum([15]) daturum dixit; quod ut tunc saltem([16]) faceret, illum rogaveram. Et quidem etiam aliqua dixisse eum, ferunt; unde se templum concessurum, atque adeo (si pax sequeretur) aedificaturum nostris, intelleximus: sed serio ne, an justa belli vexatione impulsus, cum egere Pontificis maximi opera videatur, haec dixerit, tempus declarabit. Quamvis ut nihil aliud esset, quam id, quod de catholicis mercatoribus et sacerdotibus([17]) concessit, quodque de pace cum duobus, Poloniae atque Sueciae Regibus inceptum est agi; quod item de foedere([18]) christianorum Principum jam ordiri velle, Deus ostendit([19]). Haec non usquequaquae contemnenda esse videantur, iis praesertim, qui sciunt, aedificia non uno tempore fieri([20]) integra, nec in fidei negotio solere Deum sine summis laboribus, atque perseverantia([21]) vim suam exercere. Sic autem jam inchoata re, non una ansa praeberi poterit de religione agendi, variaque serendi cum consiliariis et aulicis de pietate colloquia; alii vero vel voce, vel saltem exemplo doceri poterunt: alumni interim institui, gentis lingua addisci, libelli eo idio-

---

([1]) *add.* passim. ([2]) *add.* praesertim. ([3]) *add.* alia. ([4]) *add.* fuere. ([5]) *add.* nunc. ([6]) vestra beatitudine, clauum Ecclesiae regente. ([7]) seminariorum. ([8]) *add.* ac cum sapienter intellexisset, profectionem hanc nec suae dignitati, neque reipublicae incommodatum, in gratiam, *et caet.* ([9]) vestrae beatitudinis. ([10]) *in num. sing.* ([11]) *brevius:* quod ne in pace quidem aliis permissum est semper. ([12]) omnium hominum, qualis ego sum. ([13]) pene omnia, ac satis quidem cito sciendi. ([14]) quamobrem. ([15]) *add.* mihi hac de re. ([16]) certò. ([17]) *add.* modò. ([18]) de arctiore vinculo. ([19]) *add.* si serio publicum bonum ii plus, quam privatas res spectent. ([20]) non unico tempore extrui. ([21]) *add.* eorum, ad quos pertinet, de ovibus.

mate et caractere conscribi, atque in lucem edi(1). Quae omnia sane aliquam, ac sine multo strepitu, viam ad rem Dei bene gerendam solent complanare.

Quod vero ad schismatis naturam, Graecorumque ingenium pertinet, quod adeo frequenter ad vomitum rediit (2), ausim dicere, si cum primum absoluta fuerit synodus Florentina, libelli ea de re ad populi captum, et communem linguam per orientem iterum atque iterum sparsi fuissent, scholaeque alumnorum Graecorum institutae, qui veritatem illam in primis(3) hausissent, non satis fuisset unus Ephesius Marcus tam solido ac divino operi subvertendo. Et vero tum, si Ruthenis quoque convertendis eadem ratio fuisset adhibita, jam segetem foecundam haberet Ecclesia: quae, ut ita dicam, non potest consolari, quia non est. Sed et praeter Eugenium IV, si Innocentius III, Gregorius X, Alexander VI, Leo X, et Clemens VII hoc negotium aggressi, non ipsa synodorum confectione(4), aut unius hominis, atque epistolae missione contenti fuissent, sed variis illis modis, qui Christi legatorum et Apostolorum proprii semper fuere, sedulo rem saepeque ursissent; Russiam autem, quae ad Poloniae regnum attinet, Catholica (quod licebat) (5) religione imbui curassent, jam eam haberemus, tamquam validissimam machinam, quae Moscovitico schismati expugnando posset admoveri. Qua propiore provincia (6) praetermissa, et interiore negotio (7), ac forsan praepostere tentato, Deus, qui ordinate omnia dispensat, quique prius, quam mundi conversionem aggressus esset, triennium Apostolis et discipulis catechizandis insumpsit, neutrius negotii hactenus integrum exitum juste (8) permisit (9).

Jam cum Moschi ex Scythis et Tartaris permixti sunt, hoc nequaquam fido Christi operario negotium facessere debet: nam etiam his Dominus opus habet, qui eos ad imaginem et simulitudinem suam creatos, vult salvos fieri. Apostolicae(10) autem Sedi dictum est, ut doceat omnes gentes; quae sedes mirifice juvatur a Deo, cum quod hoc Apostolicae (11) nomine designatur, id praestat; nempe cum ad revocandas animas ex errorum baratro mittit operarios, qui pro Christo, non pro se, aut pro negotiis tantum humanis legatione funguntur. Quamquam (ut ad hoc redeam) si nonnulla, quae sunt in hac gente, cum nostris, jam antiquissime excultis (12) conferantur, (quae quidem ad simplicitatem, ad abstinentiam, ad blasphemiae ignorationem, aut declinationem spectant), est quod non minimam spem faciat, fore, ut pietatis aliquando et Catholicae religionis tenaciores evadant. Sed et coelestis gratiae virtus, tandem naturae depravatae et immaniores quoque attemperat mores: nec porro Christus bene valentibus, sed male habentibus venit, ut mederetur.

Porro si quis cogitaret, oleum se atque operam perdere, si huc missus, non haberet initio, cum quibus talentum expenderet; cogitet, quod Andreas Oviedus Societatis nostrae, in Aethiopiam cum aliquibus aliis sociis missus, vir quidem singularibus donis praeditus, triginta (13) totos annos fecerit; cui si

---

(1) *add.* praesertim, si Polociae ac Derpati (si Livonia restitueretur a Mosco) nostri esse potuerunt, qui tuto in loco Moscos eâdem opera possint excolere. (2) *add.* cum Rutheni, seu Mosci eorumdem vestigiis insistant, Graeci autem adeo frequenter ad vomitum redierint. (3) illico; *post haec add.* dum plerique adhuc ex synodo illa recentes in Graeciam transmiserant. (4) non autem sola - convocatione. (5) facile licuisset; *add.* cum ea conditione, Poloniae reges Graecis episcopis privilegia concessissent, si synodum Florentinam fuissent amplexi. (6) sed Russia illa, licet propiore *et caet.* (7) magis incerto Moscoviae negotio. (8) non solum integrum exitum, sed ne progressum quidem. (9) *add.* quoniam ad exemplar, quod nobis monstratum est in Christo, non omnia facta sunt. (10) *add.* ut autem Apostolis, sic apostolicae. (11) apostolico. (12) *add.* in ecclesia catholica. (13) *add.* hosce.

minus, quae spectabatur, Principis illius[1] conversio successit, suorum tamen laborum semen reliquit, quod aliquando, Deo numquam mentiente, laturum sit fructum. Qui etiamsi nihil fecisset omnino, passus est tamen multa, viamque trivit aliis exemplo patientiae, quam imitentur[2]. Quod si alumnorum ex Aethiopia emittendorum, aut ratio, aut facultas ei sat pauperi constitisset, aliqua citius messis erupisset. Verum hoc forsan a summi Pontificis[3] caritate, ex iis reliquiis[4], quas bonus ille vir excitavit, a schismate procurari poterunt, cum ex Aethiopia Hierosolymam Abyssini vel mercatores, vel alii, religionis gratia singulis annis invisant[5].

Ergo non usque adeo levis momenti est[6], asciscì tamquam lapidem vivum, super quo Scythae, Tartari, gensque remotissima orientis extrui possit, quae peregrinatur a Domino. Cum item, quod saepe theologico, ac prius philosophico curriculo absolvendo, aut etiam linguis aliquibus, quae vix unquam in rem conferuntur[7], tempus impenditur; ei si biennium ad utiliores has linguas perdiscendas adjecerint, quibus nimirum vivi hominum libri ac corda perlegi possunt, numquam futurum sit, ut eos poeniteat. Sed et hoc ipso in Moscoviae solo id efficere, ubi doctrina, probitate, sanctissimis sacrificiis, eadem opera[8] vel haereticorum calumniae, vel malae de catholicis conceptae opiniones tollantur, acutum iis addere poterit calcar, quorum vocationis finis est salus animarum, quique norunt, bonae memoriae Franciscum Xaverium de Societate nostra cupivisse corpus ipsum, tamquam mancipium, ethnico alicui Indico vendere, ut ea ratione (quando alia non licebat externis) inter Sinas invectus, lucem inferret Evangelii; quam etiam ex vinculis Paulus Apostolus Romae intulit, ubi trecentos annos totos ipsi Pontifices maximi sanguinem fuderunt, unam ut urbem Christi jugo subderent[9].

Quod autem hic Princeps[10] in sui dumtaxat commodum, schismaque propagandum, amicitiam cum Pontifice maximo ceterisque Principibus christianis quaesiverit, et hinc quoque mirabiles esse divinae Providentiae vias cernimus, qui comprehendit astutos in astutia sua, sinitque, ut non quod spirituale, sed quod animale est, praecedat, ne glorietur omnis caro. Dicet autem, ut spero, aliquando Ecclesia: quam magna est misericordia Domini, qui Spiritu illo suo unico atque multiplici, de lapidibus potest excitare filios Abrahae! Quod si nullo alio stimulo urgeremur, quam ut, quod Princeps hic in schismate, nos idem in catholica unitate[11] promovenda faceremus, id judicio Dei declinando permultum prodesset, ne in eo surgens ille nos condemnaret; cum praeterea hoc christiani Pastoris[12] pietatem saperet, ac vere esset in odorem suavitatis acceptissimum holocaustum Domino[13].

Rationes promovendae in Moscovia Catholicae religionis.

Inprimis ergo Seminarium instituendum videtur, quod paternam Pontificis maximi[14] erga Ruthenos curam orbi terrarum ostendat; operarios autem, sine quibus nihil[15] solet hujusmodi

(1) *add.* qui Aethiopiae praeerat. (2) incedant. (3) vestrae beatitudinis, *et sic passim.* (4) seminibus. (5) adeant. (6) *add.* a Deo. (7) ad usum adhibentur. (8) *ambae voces desiderantur.* (9) *haec pericope aliter contexta*: et ex compedibus et crypt s pontifices maximi, non solum in urbem, verum etiam in totum orbem prioribus illis seculis invexerunt. (10) magnus Mo coviae dux. (11) fide. (12) pectoris. (13) *ordo verborum permutatus.* (14) vestrae beatitudinis. (15) *add.* unquam.

Deus efficere, suppeditet huic sanctissimo aedificio excitando. Cum vero hoc, si Romae institueretur, splendorem quidem Apostolicae Sedi, bonumque apud ceteras omnes, ac praecipue apud hanc gentem nomen conciliaret; ac quod cum Collegio Graeco isthic fit, id etiam forte Ruthenis magna ex parte prodesset. Cogitanda tamen videntur viatica, itineris longitudo, fastus, quem vel oculis ipsis haurire solent in urbe harum homines regionum septemtrionalium, putantes, id sibi deberi, quod ex caritate fit. Qui tamen, si quasi in probatione, tanquam pauperes, aliquamdiu solidam humilitatem([1]) imbiberint, solertiores aliqui et pauci postea Romam mitti possent, eo magis, quod irritus esset labor ac sumptus, eos isthuc mittere, qui antequam Latinam([2]) linguam norint, Italicam perdiscere debeant. Quam in rem temporis multum impendendum est, sicut adolescenti illi Mosco contigit, quem ante triennium Romam adduximus([3]).

At Vilna quidem Lituaniae metropolis est, in qua Collegium et Universitas Societatis nostrae, ab hoc summo Pontifice([4]) confirmata, bonum habet numerum scholasticorum. Ad eam vero cum Rutheni quoque nonnulli confluant, hi, si pauperes sunt, qui ferme plerique sunt, eo referunt studia([5]), quae privatae rei procurandae judicant([6]) esse commodiora: sin ditiores sint, hi aliud spectant, quam ut suos labores ad divinam rem promovendam referant. Accedit, quod cum Magnus Moscoviae Dux neminem adhuc permiserit e suis foras emigrare ad litteras addiscendas, id tanto minus facturus esse creditur, si apud Lituanos id esse faciendum audiret, quibuscum aut bellum, aut animi perennis aversio est. At vero utrique, ut genti Ruthenicae consulatur, si quaereretur, ubinam Seminarium istud esset instituendum, primum Vilnae([7]), dicerem, pro Ruthenis Poloniae regni, proque iis, qui hujus triennii bello in Moscovia capti, minus difficultatis afferre negotio possent. Qui vero ex Moscovia adveherentur, hi vel Olomucium, vel Pragam mitterentur, ad pontificia Seminaria, in quibus ex ejus linguae affinitate cum Ruthenica, facilius, quantum satis esset doctrinae haurirent. Quod si fieret, demandanda videretur omnino alicui fido ac prudenti operario cura, ut illos ceterosque septemtrionales Sueciae, Gothiae, ac si qui sunt alii, interdum inviseret, per eosque et litteras et libros quaquaversum ad suos mitti curaret; jam vero satis instructos, ad diversa loca, tamquam in vineas emitteret, alios vero eorum in locum substitueret, ex toto hoc septemtrionis et orientali tractu. Quibus item omnibus is ipse procuraret, quoad ejus fieri posset, ut loci victusque ratio a Principibus ac Regibus, atque ab episcopis non deesset. Alioquin nec facile operarii ex Seminariis suppeditabuntur, quorum praefecti satis habent quod agant, si regulas observari ab iis, ac litteris operam dari studeant; nec ipsimet alumni, quibus non statim solet ardor convertendarum animarum exciri, iis potissimum disciplinis vacabunt, quae proposito huic scopo sunt necessariae.

Interea, quod Pontificis maximi([8]) nomine coeperam agere cum serenissima Venetorum Republica, acrius urgendum est modo, ut unum alterumve mercatorem, privatos licet homines, sed probos in Moscoviam mittant, qui oblatam occasionem juvent, qua catholici sacerdotes in hac regione figant sedem([9]). Quod cum prudentissimis illis viris, ad Divinam gratiam([10]) uberius promerendam, magni momenti futurum sit,

([1]) humanitatem. ([2]) *add.* aut Graecam. ([3]) *add.* cum Ruthenis nonnullis Romam rediens ex Suecia, ad vestram beatitudinem adduxi. ([4]) a vestra beatitudine. ([5]) ea amplectuntur studia. ([6]) videant. ([7]) *add.* aut Polociae. ([8]) vestrae beatitudinis. ([9]) pedem. ([10]) gloriam.

certe nec inutile aliquando foret, si foedus ipsum, de quo agitur, inter christianos Principes fuerit adversus Turcam sancitum[1]. Eam ob causam curatum est, ut Moscus ad eos litteras scribat amantes, quas isthuc ad eos per certum hominem mittam[2], simulque fidem publicam, qua tutus illis aditus atque exitus pateat. Hac vero in mercatorum missione non est, quod dubitent, aut ob itineris longitudinem, aut ob merces emendas vendendasve, maxima pecunia opus esse. Cum si tantum, ut quid hic mercium habeatur, venirent inspecturi, milleque tantum aureos nummos[3], sive in pelles, seu in ceram, mel, coria, et alia ejusmodi expenderent, nec ipsi jacturam ullam facerent; nec si terrestre iter per Poloniam instituerent, id multum pecuniae exhauriret: cum etiam acceptis a Poloniae Rege litteris, quas in summi Pontificis gratiam, spero nos esse consecuturos[4], vix quidquam periculi incommodive futurum sit in via. Quin vero, si ipsi sericum, et alia illa, quae vestibus ornandis ex oriente illuc advehuntur, aut illic parantur, in Moscoviam afferrent; uno curru multum per Poloniam mercium, sine gravibus illis vectigalibus, quae in Italia penduntur, in Moscoviam rectissima via posset importari. Quod si oblatae huic rei Respublica illa serenissima[5] cunctaretur manum admovere, tum fortassis expedire cogitaret ejus Sanctitas[6], ut quaecumque in hac mea profectione acta sunt cum hoc Principe, Venetis, tamquam filiis, paterne ac fidenter, sive eorum Oratori communicarentur, ut ea ratione jam, quo referenda sunt Reipublicae tam insignis studia, tanto suo cum bono altius perciperet, perceptum mandaret executioni. Ac quod est[7], optime ego acceptus ab ea Republica, non diffidebam fore, quin rediens, illi totam hanc rem, foederisque aliquid ulterioris texendi rationem, Deo adspirante, fortasse persuaderem[8]. Verum necessitas ad hunc Principem[9] revertendi, aliaque agendi, quae inchoata sunt, id non permisit, quod non ita post multos menses, si Divinae placitum fuerit voluntati, ac quidem maturiore cum occasione, per eos effici poterit, quos ejus Sanctitas[10] aptiores in Domino esse judicabit.

Interea tantum cogitare dignabitur ejus Sanctitas, num aliqui Roma, aliundeve cordati et pii mercatores huic itineri cum duobus sacerdotibus quamprimùm possent accingi: quandoquidem a Magno Moscoviae Duce patentes litteras alteras obtinui, quibus summo Pontifici concedit, ut quoscumque ille miserit, ii tuto venire, ac commorari in Moscovia possint. Mittam autem fortassis, unà cum P. Paulo Campano, Societatis nostrae professo (qui visitatis Seminariis in itinere, quamprimum poterit, isthuc perveniet), aliquem horum itinerum peritum, qui, si quis ad nos mittatur, eos sine mora deducere possit; nam de Campani valetudine vix spero, tam cito illum isthuc perventurum[11].

Quoniam vero sic suas litteras ejus Sanctitati Magnus Dux concessit, ut ab ea pares expectet[12], quibus libera in Italiam Moschis legatis et aliis commeatio sit; propterea dignabitur[13] eas pergamena papyro pulcherrime[14], et magna paterni amoris significatione conscriptas, cum additione item aliquorum titu-

---

(1) *lectio latius extenta:* si vel superstite hoc principe, vel altero mitiore, aut fortasse catholico succedente, id, de quo agitur, inter quosdam christianos reges constitueretur. (2) quas unà cum meis v. b. ad illos mittam, *posthac add.* cum primùm in regiis castris fuero. (3) mille — nummos, *haec phrasis omissa.* (4) quas (si pax inter istos principes coibit) difficile non erit assequi. (5) *h. v. deest.* (6) vestra beatitudo, (7) ac quidem. (8) *lectio brevius contexta:* rem, atque adeo aliquid aliud fortasse persuaderem. (9) ad Moscum. (10) ista sancta sedes. (11) Mittam — perventurum, *periodus haec tota desideratur.* (12) *haec protasis exquisitius expressa:* quoniam vero aequum esse videtur, ut cum Moscus vestrae beatitudini litteras istas concesserit, alteras ipse pares consequatur. (13) supplico beatitudini vestrae, ut eas, *et caet.* (14) *hae tres voces desunt.*

lorum, quos ipsos alii summi Pontifices Magno Duci adscribunt ([1]), jubere ita parari, ut advenientibus iis, quos ex castris Poloniae Regis isthuc mittam, possint ad me perferri. Gens enim haec his maxime externis officiis ducitur, praestatque hoc ansam ad redeundum, atque iis de rebus agendum, quas in primis ad eorum salutem procurandam ipse Deus exoptat.

Quoniam vero, ut dictum est ([2]), Moschi Russia ex ea, quae Poloniae Regi subjecta est, ita pendet ob eundem Ruthenium ritum ([3]), ut aliquando ([4]) Moscoviae episcopi a Metropolita ([5]) Chioviae, quae in Russia Regis est, confirmarentur; maximi vero ponderis futurum sit ad Moscoviam convertendam, si Episcopi, sive Vladycae regiae Russiae se Catholicae Ecclesiae aggregarent: propterea huc serio incumbendum videtur (quod facillime tentari posse, et quidem quatuor, sexve mensium spatio spem habeo, maximo cum fructu totius Lituaniae tractus) ([6]). Id vero est, si amantia Brevia summus Pontifex scribat iisdem Vladycis, qui octo sunt, adnumerato eorum Metropolita, Vilnae commorante; ad quos per suum ([7]) Theologum afferrentur, non expresso alicujus nomine, ut is, qui tum rectius et commodius praestare poterit hoc negotium, ad hoc ipsum proficisceretur. Eos autem Pontifex maximus ([8]) ad veritatem agnoscendam invitaret, eaque omnia ab Apostolica Sede expetenda, quae a Patre ac Pastore universalis Ecclesiae, tamquam filiis ([9]), conferri possent. Sperandum est enim, ut si iis cum Brevibus, cumque aliquibus Synodi Florentinae Graecis voluminibus, et adeo libellis, qui interim Vilnae eduntur, serenissimi Poloniae Regis litterae ad eos afferantur, quibus illis significet, cupere se, eumdem ut Theologum tamquam seipsum audiant, et Ecclesiae Catholicae adjungantur; fore, ut aliquid effici possit, quod aliquando ulterius fidei negotium promoveat: ac quidem eadem opera et itinere, Lituani, et quidam Duces Rutheni, aliis cum Brevibus ac litteris regiis possent adiri, qui cum rationes ac Pontificis maximi pietatem intelligerent, non esset desperandum, quin aliqui redirent ad cor ([10]). Nam cum in hoc itinere ([11]) nobiles aliqui, Rutheno addicti schismati ([12]), conversi sint, nobis autem dixerunt ([13]), si ea, quae a nostris audierunt, apud illos umquam dicerentur, maximum momentum ad eorum conversionem allatura. Habent enim ii Duces, quales sunt Ostrogiae et Slucensis, typographias et scholas, quibus longe lateque ([14]) schisma fovetur; cum etiam Leopoli, praeter archiepiscopum catholicum et wladycam Ruthenum, sit Armenus episcopus, cum suis Armenis, quibus quidquid Catholicae fidei accederet, id in Armeniam usque, Deo juvante, pervaderet.

Denique illud considerandum videtur, num ad tempus jam aliquid catholicis Ruthenis concedi posset, ut sacrum sive Ruthenice, sive Graece (sed Ruthenice imprimis) facere possent: ea enim magna videretur commoditas, sensim Ruthenos docendi et ad fidem Catholicam sic alliciendi, ut paulatim a ritibus minus bonis abducti, aut antiquas et legitimos Graecos amplecterentur, aut dein-

---

([1]) cum additione — adscribunt, *series haec linearum abolita.* ([2]) *hoc insertum deest.* ([3]) Moscovia, quod ad religionem pertinet, pendere quadantenus solita esset ex Russia, quae Poloniae regi subjecta est. ([4]) non ita pridem. ([5]) *add.* Rutheni ritus. ([6]) quod — tractus, *verborum ambitus, parenthesi cinctus, plane deficit.* ([7]) per unum, ([8]) vestra beatitudo. ([9]) erga filios. ([10]) *idem, sed multo secus:* Tum nam alterutrum sequeretur, ut his rationibus auditis, et piis ad eam rem libris acceptis, quos Vilnae edi Ruthenice curabo, melius sapere inciperent; aut certe, dum et in hoc pastoralis ista vestrae beatitudinis virga invigilaret, coram Deo justificaretur; atque eodem itinere reguli quidem Rutheni (quorum jam aliqui ad catholicam fidem conversi sunt) pietatem istius sanctae sedis obviis ulnis exciperent. ([11]) cum per Russiam regiam in Moscoviam veniremus. ([12]) qui schisma suum deseruerunt. ([13]) *add.* fidenter. ([14]) *ambae voces desunt.*

de ad Latinum ritum accederent. Certe hoc facultatem praeberet, dogmata Synodi Florentinae insinuandi, et multa bona faciendi: cum praesertim ipsi Vladycae Rutheni, Poloniae regi subditi, uxorem non cognoscant, in eum gradum evecti; qui deinde aliis sacerdotibus aut idem essent persuasuri, aut si illis conjugium ritu Graeco esset permittendum, facilius ad eadem saltem credenda, quae Catholica credit Ecclesia, possent accedere (1).

Quibus autem modis nostri aliive sacerdotes in Moscovia versari debeant, tum jejuniorum, quae plura Moschi habent, tum quorumdam festorum dierum tempore, quos in honorem eorum celebrant, quos habent pro sanctis (cum schismatici fuerint, ut dictum est), cumque praesertim iisdem diebus abstineant, atque aliquando jejunent; quid item agendum sit ante eorum imagines, alioquin pias, cum ipsi nostras non venerentur; quive honor ab eo, qui a summo Pontifice (2) mitteretur, exhibendus sit Metropolitae, aut ipsorum Vladycis; quidque agendum sit cum iis, qui simpliciores sunt, ne scrupulo de schismate injecto, fortassis postea non salvarentur: ejus Sanctitas (3) pro charitate, qua suos filios atque operarios prosequitur, dispicere, ac quam primum videre (4), ut respondeatur, contenta erit (5).

Rationes aliae, quibus Moscovia, Russiaque ad Regis Poloniae regnum pertinens possint juvari:

1. Ut quae per modum Interrogationum et Responsionum ex Gennadio collecta sunt, Vilnae statim imprimantur, Ruthenisque in Collegio studentibus dono dentur, tanto numero, ut ad affines, aut consanguineos, et amicos suos, qui ea possint capere, si qui linguam Latinam sciverint, ipsimet studiosi possint mittere; ad quod essent a suis praeceptoribus et confessariis animandi.

2. Ut ex quinque Gennadii Tractatibus, postremus de Primatu Pontificis maximi edatur. Sic enim minore sumptu disseminabitur, et libentius legetur. Propterea pecunia ea de re mittitur. Ubi hic erit impressus, tum erit distribuendus iismet, quos dixi, studiosis, parsque mittenda nostris Jaroslaviensibus, qui prope Leopolim Collegium habent; item D. Joanni Erbesto, in Russia verbum Dei serenti, ac Seminariis, Olomucensi, in quo sunt aliqui Rutheni, et Pragensi, ut Bohemi catholici iis utantur ad Hussiticum schisma tollendum.

3. Porro tam hi, quam Catechismus ordinarius Petri Canisii erunt Ruthenice vertendi et in lucem edendi; quam ad rem si pecunia deerit, spero in Deum, nos statim suppeditaturos.

4. Ad haec, tamquam Enchiridion breve esset edendum, per modum Interrogationum et Responsionum, aut simile illius, quod Echius utilissime scripsit adversus Lutherum, in quo facile solverentur, quae Rutheni catholicis objiciunt. Ea vero bona ex parte ex Instructione, quam Stephano Drenocio sacerdoti no-

(1) denique illud — accedere, *sectio hoc tota omissa.* (2) ab ipsa sancta sede. (3) vestra beatitudo. (4) jubere. (5) *add.* Ex pago Bor ad Schocolnam (*legendum* Scholonam) fluvium, in ditione magni Moscoviae ducis, dum equitum aliquos turmas a Poloniae rege expectamus, qui nos in castra deducant; die sancto Michaëli Archangelo sacra, anno 1581. Distat autem hic pagus Novogardia Magna quinquaginta, Plescovia vero centum milliaribus Italicis.

stro reliquimus, peti possent, ac diligentius examinata Latine ac Ruthenice emitti.

5. Quae item Sanderus in sua Monarchia scripsit de schismate, ea duobus tribusve foliis curare, ut ederentur, ac per aulicos aliosque studiosos spargerentur. Per D. autem Jassinscium, secretarium linguae Ruthenicae apud Regem Poloniae, multa ejusmodi possent etiam inter alios scribas et amanuenses Ruthenos disseminari.

6. Item acceptis a reverendissimo et illustrissimo domino episcopo Vilnensi litteris, ad suos vicarios foraneos scriptis, quaquaversum per Lituaniam mitti; ut et ad archiepiscopum ac Capitulum Leopolitarum.

7. Libellus autem D. Thomae adversus Graecorum errores separatim esset cudendus: nam, ut inter magna illius volumina fertur insertus, vix pene unquam studiosi facultatem, aut otium habent eum perlegendi.

8. Pater autem Petrus Scarga si in epitomen redigeret, quae Polonice de schismate satis erudite scripsit, idque Ruthenice curaret edi; magnum momentum afferret ad animas schismaticorum convertendas. Nam ut longior liber ille est, quam ut facile legatur, utque jam ejusmodi non extant exemplaria, cumque aliena a Ruthenis lingua et caractere impressus sit; non ea fert commoda, quae alioquin ferret, cum praesertim Rutheni, non Poloni, schismatici sint: nisi quantum haeresis schisma quoque secum involvit, ea vero Poloni multi laborant.

9. Unionis Bulla, sub Eugenio IV edita, poterit Graece et Latine edi, ac Ruthenice; vera cum ea versione, quae Ruthenica hujus aetatis lingua est, procuratum est, ut fieret.

10. Professionis Fidei, a Pio IV editae, versio Ruthenica et Latina, quam mitto Vilnam: eam enim ut Magno Moscoviae Duci daremus, jusserat in sua mihi tradita Instructione illustrissimus Cardinalis Comensis, eis Sanctitatis nomine.

11. Vitae aliquae possent excipi ex libro Vitarum Sanctorum, quas pater Scarga Polonice scripsit, eaeque Ruthenice fieri, ut in Ruthenorum templa legendae insinuarentur, et in quibus praesertim aliquid esset, quod eos sensim abduceret a schismate. Tales vero libri, dono dati poppis, seu sacerdotibus Ruthenicis, libenter acciperentur: cum qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus et metat.

12. Cum autem haec certe, si quis hanc posset suscipere curam, non adeo multorum mensium spatio perfici possent; tum deinde commodius Evangelia, Psalmi et Orationes Ruthenorum perspici possent et emendari, ubi eorum versio esset aliqua labe aspersa. Sic illorum Vitae, μήνια, id est ordo menstruus canendarum in ecclesia laudum, ac Chronica et caet., essent perpendenda, ut correctiora ederentur; sicque maximae tenebrae, quibus inde a pueris offunduntur, Ruthenorum genti dispelli possent.

13. Catechismi Romani versio in Ruthenicam linguam, et alia ejusmodi possent suo tempore succedere.

14. Inprimis autem caritas, qua subinde aliqui viva voce optime instituuntur, eoque spiritu, Deo afflante, imbuuntur, ut cognoscant, quam gratum sit Deo impendi et superimpendi, pro animabus Christo Domino lucrandis, summi erit momenti ad gloriam Dei.

Is vero, qui Romam ibit, ibi haec, quaeque in aliis foliis de ratione convertendorum Ruthenorum scripsi, reddat iis, quibus reddenda erunt, illustrissimo cardinali sanctae Severinae, cardinali Sirleto, patrique Turriano es-

sent ostendenda, ut aliquid lucis, et auxilii, cum ipsi multa collegerint, huic negotio afferant.

Interea vero expectamus a reverendo domino Stanislao Socolovio, Praeposito Cracoviensi, librum, quem ille adversus Lutheranos scripsit, in quo dogmata Graecorum, quaeque Graeci illis responderunt, sic examinavit, ut ad Ruthenorum errores tollendos is valde pertineat([1]).

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I. № 3. Conf. opus ejus, sub tit. Moscovia, *pag. 1—11.*

XII.

Possevini allocutio ad Magnum Moscoviae Ducem, de commercio inter Venetos et Moscovitas ditiones instituendo.

Записка, поданная Поссевиномъ Царю Іоанну Васильевичу, объ учрежденіи торговыхъ сношеній между Россіею и Венеціянскою республикою.

Quoniam Serenitas tua Pontifici maximo inter alia scripserat, ut a Venetis commercium cum tua ditione vellet procurare; propterea summus Pontifex ad eos me cum Thoma Severigeno, aulico tuo, misit. Qui cum utrumque nostrum perbenigne accepissent, illum quidem perpulchro dono, ut solent, in tui gratiam ornarunt, litterasque illi ad te salutationis amicissime dederunt; me vero, de tuis rebus atque potentia fusius tractantem, tertio in secretum suum ac primarium consilium admiserunt. Inprimis autem Pontificem maximum summis laudibus cumularunt, quod pacem inter Serenitatem tuam, ac Stephanum Poloniae Regem consiliari tam studiose procuraret. Se enim probe intelligere, dixerunt, si pax firma inter utrumque vestrum statuatur, et consentientibus animis, arma adversus Turcam convertantur, fore, ut vos duo soli Principes cornua immanis illius inimici contundere, atque in Asiam terminos imperii (quod caput est), ad divini nominis gloriam, latissime propagare possitis. Potentiam enim tuam ingentem, quam scimus, a Deo te agnoscere, sicuti illam majores tui a Deo acceperunt, ipsi illustrissimi Veneti cognoscunt. Quamobrem et me gravissime ac prudentissime cohortati sunt, ut in istam pacem conciliandam totis viribus incumberem: cum ipsi, qui res Orientis optime noverunt, numquam tam bene gerendae rei occasionem tantam fuisse, quanta nunc se offert, afflictis, scilicet, Turcicis rebus, intelligant, et ipsis pene oculis cernant. Ceterum, quod ad suorum mercatorum cum tuis provinciis commercium pertinet, responderunt, sibi quidem istam animi tui regii humanitatem valde placere, verum interea cupere sese intelligere, quibus rationibus et quanam via id, non solum inchoari, verum etiam continuari tuto posset. Nam cum ex altera parte Turca id posset habere suspectum, ex altera vero longissimi maris ambitus sint trajiciendi, si per mare Mediterraneum in Oceanum, atque inde in mare Balticum atque Livonicum trajiceretur: cogitandum est, num

---

([1]) *Appendix ultima, inscripta* «Rationes aliae» *et cet., in edit. Colon. ex toto deficit.*

quid damni a classi Danica, vel Suetica essent passuri. Per Pontum vero Euxinum, atque inde per Maeotidem Paludem, in quam influit Tanais, aliquanto brevior fortassis esset navigatio. Verumtamen, quando per Turcicum imperium esset cursus instituendus, arcesque non desint, in quibus Tanais ostia Turcae observant, res suis difficultatibus non careret. Restat autem terrestris itineris ratio per Poloniam ac Lituaniam. De quo itinere, nunc, sine pacis inter te et Poloniae Regem conciliatione, nihil solidi videtur effici posse: ac propterea forsan, pro tua sapientia, indicabis expedire, ut cum Poloniae Rege de his rebus inter reliquas conditiones pacis agatur, nempe, ut aliis quibusdam nationibus, praesertim ob mercaturam faciendam, tutus ac liber aditus per regnum Poloniae ad tuam ditionem pateat. Praeterea intelligere debes, Venetos, quemadmodum Imperator et ceteri alii omnes Reges faciunt, fidem Romanam et Catholicam perpetuo retinuisse, proque ea constanter maxima bella gessisse, bonamque Graeciae partem suo imperio subjecisse, quam etiam nunc, ut Cretae regnum in maris Aegaei faucibus, ipsisque in oculis Turcae retinent. Quamobrem non solent eorum mercatores alicubi commorari, quin sacerdotes aliquos Latinos habeant, rituque catholico religionem colant. Id enim et Alexandriae in Syria, et Tripoli, atque Constantinopoli etiamnum faciunt. Itaque erit tuae Serenitati dispiciendum, quid hac de re statuas, quid ego primum Pontifici maximo, deinde illis respondere possim. Quod si hoc admiseris, atque judicaveris, pro Latinis mercatoribus externis aliquos Latinos sacerdotes libere posse in tuo imperio manere, templaque aliqua posse habere: magnopere tuo desiderio consules, illosque facilius allicies; intelligentque omnes christiani, te de hac re atque commercio serio cum Pontifice maximo egisse, sicut tam christianum ac pium Principem decet, sicut es tu. Ego vero, si volueris, a Pontifice maximo datum iri fidelissimos aliquos sacerdotes Latinos, ex iis, qui mecum ejusdem jussu venerunt, et eosdem praestantes et maxime pios tibi tradam, ea conditione, ut illis de secura commoratione, atque exitu libero, quandocumque eis placuerit, per publicum salvum conductum caveas. Mihi autem ea de re ad Pontificem maximum, atque Venetos alterum salvum conductum pro iisdem mercatoribus des, quo illis egregia erga christianos Principes, et potentissimam illam Venetorum rempublicam sinceritas tua et pietas constet. Certe hac commercii occasione, praeter eam utilitatem, quam ex illorum industria, mercibus, ingenio, navigandi arte, moribus humanissimis capies, non parum terroris, suo tempore, immani Turcarum tyranno incuties, cum te viderit animo, ac pietate, reque ipsa una cum Sancta Apostolica Sede, cumque illa serenissima Republica conjunctum; sicque arctius cum reliquis christianis vinculum, et animorum atque caritatis commercium, quod summopere exoptat Deus, eo juvante, a tua Serenitate cum ditionibus tuis contrahetur. Illud denique scito, si hoc commercium cupis utilius institui, expedire, ut declarari jubeas, quas potissimum merces in tuam ditionem importari cuperes, an vero aliquam tantum itineris spatium emensuris, immunitatem ad aliquos saltem annos concedendam esse, judicares.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 4.

XIII.

Litterae Magni Moscoviae Ducis ad Imperatorem Rudolphum, de foedere contra Turcas, rogatu Pontificis, incundo.

Грамота Царя Іоанна Васильевича къ Императору Рудольфу, о союзѣ противъ Турковъ, въ слѣдствіе ходатайства Папы.

In nomine Sanctae Trinitatis. Deus recte credentium ac verorum christianorum, largitor omnis sapientiae et claritatis in excelsis, nos dirigat in veritate sua, ut secundum ejus voluntatem coram populo suo loquamur. Hunc nostrum Deum in Trinitate laudamus, et secundum ipsius voluntatem Ruthena tenemus sceptra. Nos Ioannes Basilii, Magnus Dominus, Imperator et Magnus Dux totius Russiae, Moscoviae, Novogardiae, et Magnus Dux Smolenscii, Dominus, haeres et rector Livoniae, Theutonici Ordinis, et multarum aliarum regionum Dominus; nostro caro et dilecto fratri Rudolpho, Dei gratia electo Romanorum Imperatori semper Augusto, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Slavoniae, etc. Regi, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Brabantiae, Styriae, etc., Marchioni Moraviae, Duci Luxemburgensi, superioris ac inferioris Sylesiae, Wirtembergensi, Principi Sueciae, Comiti Habsburgensi, Landegravio Alsatiae, Monarchae Romani Imperii, etc.

Carissime frater! Reddidit nobis literas tuas Antonius Possevinus, Papae Gregorii, pastoris et doctoris Romanae Ecclesiae legatus, in quibus scribis, misisse Papam Gregorium ad Caesaream majestatem nostram suum illum legatum, ut nobis ac omnibus christianis rem ea ratione gratam faceret. A nobis ergo petis, ut in sui gratiam, ipsum Antonium Possevinum cum omnibus illis, qui cum eo ad nos venirent, benigne exciperemus. Nos fratris nostri carissimi literas cum voluptate audivimus. Papa Gregorius in suis literis scribit, suoque legato, ut ea de re nobiscum ageret, mandavit, ut cum ipso Papa, ac tecum fratre nostro, Imperatore Rudolpho, cumque aliis christianis Principibus in fraternitate, amicitia, necessitudine, ac bona pace permaneamus, contra Turcas et omnes infideles dominos. Nos Papae Gregorii legatum Antonium Possevinum libenter admisimus, estque nobis legatio ea grata. Fraternitatem, quae nobis cum Papa Gregorio, tecum fratre nostro Rodulpho Romanorum Imperatore, aliisque christianis Principibus intercedit, tuebimur adversus omnes hostes, ut in pace simus et tranquillitate, ne ipsi infideles aliquid contra nos possint, sanguinemque christianum effundant.

Misimus superiori tempore ad te, Imperator Rudolphe, frater carissime, cum literis nostris famulum nostrum Scheferiginum, ut per te omnes naves, quibuscumque oneratae mercibus, liberum haberent in nostras regiones transitum. Respondisti nobis quidem per eumdem illum nostrum hominem, verum non satis, quae scripsisti, conveniebant cum iis, quae inter antecessores nostros, et patrem tuum, piae memoriae Maximilianum, et Imperatores Ferdinandum et Carolum fuerunt constituta atque transacta. Antea, nimirum, omnes omnino merces, sine ulla exceptione, in nostras Ruthenas provincias importari poterant, uti hanc rem nova confirmavit constitutione Maximilianus pater tuus. Tu vero, Rudolphe Imperator, frater carissime, tormenta, bombardas, loricas,

pulveres, sulphur, aes, aliaque ad rem bellicam pertinentia, a Romani imperii regionibus ad nos evehi prohibes ac vetas; ea quidem, quae aliis temporibus inferre impune licebat.

Nos certe, ut a nobis contra veterem consuetudinem quidquam proficiscatur, quod tibi, frater noster carissime, grave esset, numquam patimur, memores eorum, quae Papa Gregorius, pater tuus Maximilianus, tuque ipse, Rudolphe Imperator, a nobis petivistis, nosque polliciti vobis sumus: e nostris regnis exportari ad vos inque Romanum Imperium possunt omnia. Ita enim existimamus, non debere nos n minimis (cujusmodi merces sunt) deesse ei, cui fidem in maximis rebus servamus. Contra infideles bellum gerendum esset: at tu, frater carissime, e regionibus tuis administrari ea non vis, quae vel maxime ad expeditionem necessaria forent. Abrogabis ergo, Rudolphe Imperator, tuum hoc prohibitorium edictum, et nos nullum omnino Romani Imperii, quascumque res habeat, mercatorem excludemus, ut sic in re hac omnis contentio prorsus tollatur. Datum in civitate nostra Grodtke, anno a creatione mundi 7090, mense Septembri, indictione 10, Rutheni imperii nostri trigesimo quarto.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I. No 5.

XIV.

Litterae Possevini Ioanni III Regi Sueciae, de pace ineunda cum Magno Moscoviae Duce. (*)

Письмо Поссевина Шведскому Королю Іоанну III, съ убѣжденіемъ его заключить миръ съ Московскимъ Государемъ.

Serenissimo et clementissimo Regi Antonius Possevinus.

Quod ex Magni Moscoviae Ducis ditione regiae[1] Majestati vestrae me numquam potuisse litteras mittere existimassem, id cum faciam nunc[2], eo mihi jucundius est, quod vestra Majestas intelliget, quacumque in regione sim, in ea me operam dare, ut benignitatis vestrae Majestatis erga me saepius collatae memoriam gratissimam servem. Nam et apud ipsum Magnum Ducem, cum Stariciae (quae ipsius arx est), Moscovia civitate[3] triginta sex milliaribus germanicis distantis, egissem[4], incidi peropportune in sermonem eum, qui mihi a summo Pontifice, atque adeo ab hoc serenissimo Poloniae Rege antea injunctus, spectabat

(*) In opere ejus, sub titulo «Moscovia», edito an. 1595 Coloniae, recitantur anomaliae textûs sequentes:

(1) *haec vox deest.* (2) ac tamen nunc facio. (3) ipsius regia. (4) *add.* mensem commoratus fuissem, saepeque cum eo, ejusque consiliariis egissem.

ad pacem statuendam. Quam Princeps ille non tam cum serenissimo Rege, quam cum vestra Majestate cupere quidem visus est, sed ita, ut in proponendis huic rei pacis conditionibus vestra Majestas non adnumeraretur([1]), ac tamen, si pacis aliqua inter vestram Majestatem et ipsum Principem tractatio esset futura, ea ut per legatos vestrae Majestatis cum illo ageretur; quibus fidem omnem publicam, tutique et honorifici commeatus, sive passus literas se traditurum pollicitus est. Ego vero, qui probe noram, quid ille vestrae Majestatis legatis intulerat, quidque saepe de eodem Principe vestra mihi Majestas referre dignata fuerat; respondi, mihi numquam credibile videri, ut prius vestra Majestas legatos ad illum suos allegaret, quin suos praemisisset isthuc, quos tuto et clementer acceptum iri, pro certo habebam. Quippe qui pro Pontifice maximo, Regis autem Catholici, et Rudolphi Caesaris rebus (qui sororem nuptui cupiebat vestrae Majestatis filio tradere), cum non semel legatione functus isthic fuissem, eram expertus, qua fide non ipsos tantum Pontificis aliorumque Principum legatos, verum etiam ipsos Tartaros Majestas vestra solebat excipere. Sed cum ille tum per consiliarios suos, tum per Michaëlem Andreae Beginum, senatorem inter praecipuos suum, hac de pace agi se velle, mihi quinquies indicasset; ac propterea de me quaereret, num ego jussu, vel impulsu vestrae regiae([2]) Majestatis, pacis aliquas conditiones afferrem, respondi (id quod res erat), nihil prorsus a vestra Majestate regia([3]) mihi mandatum fuisse: Pontificem tamen maximum, quicum summa vestrae Majestati regiae([4]) intercedit necessitudo, mandasse mihi, ut, cum mihi de pace inter serenissimum Poloniae Regem, atque ipsum Magnum Moscoviae Ducem esset agendum, vestra regia([5]) Majestas ne praetermitteretur, sed ea, quae debet([6]), dignitatis et quietis regnorum istorum ratio haberetur. Accessisse serenissimae Poloniae Reginae preces, serenissimo ejus conjugi Regi ea de re ex se ipsa oblatas, ne, si pax inter ejus Majestatem et Moscum sanciretur, vestra regia([7]) Majestas excluderetur; sicque eadem pace, tres inter potentissimos Principes ac Reges stabilita, vestra Majestas pietatem latius restitueret: christiani autem reliqui Principes, ipsorum exemplo, adversus christiani nominis hostes arma converterent. Quod quidem a summo Pontifice rogaverat Moscus, ac postremo ejus Sanctitati id ipsum literis suis testatus est, se quamprimum, pace absoluta, confecturum. Ergo cum haec acta essent, quaesivit de me Moscus, ecquid ipse de tota re cogitarem: an vero, si quas cepisset vestra Majestas arces, easdem restituere vellet? Fore enim, ut ita cum vestra Majestate pacem perpetuam([8]) coleret. Tum ego: quantum([9]) mihi rationes serenissimi Sueciae Regis ignotae sunt, audio vero, eum sub signis copias habere victrices; si quid mihi, tu Princeps, proposueris, unde tractationem istam ordiar, id persequar, nec eum Regem abhorrentem a pace([10]), si ad justas conditiones veniatur, spero. Ad haec idem ipse Michaël Andreae Beginus, Mosci consiliarius, ad me confestim a Principe remissus: «Vide, inquit, Antoni, quanam hoc ratione effici possit; nam ut Princeps meus ad Sueciae Regem mittat legatos, id nequaquam decet: soliti enim erant aliquando Sueciae Reges, aut ipsa Finlandia, Plescoviensibus, aut Novogardiensibus, qui sunt imperio nostri Principis subditi([11]), tributum pendere». Ego vero, inquam, id nescio;

([1]) sed ita — non adnumeraretur, *pericope haec delita.* ([2]) *h. v. deest.* ([3]) *item.* ([4]) *item.* ([5]) *item.* ([6]) decet. ([7]) *h. v. deest.* ([8]) veram. ([9]) quoniam. ([10]) pacem detrectaturum. ([11]) subjecti.

hoc tamen ([1]) scio, me duorum auctorum ([2]) historias legisse, quibus constat, regnum illud semper habuisse Reges, qui nemini subderentur; scio item, Catholicum Regem ac Caesarem, uti et summum Pontificem, non ita multo antea ad eum misisse legatos: praeterquam quod, si ratio habenda est serenissimi Regis Sueciae uxoris et filii, et illa regio ex stemmate orta est, et princeps jam grandis natu est, cui, qui inter christianos Principes primarii sunt, virgines suas non detrectant nuptui dare. Itaque, quando nec serenissimus Sueciae Rex fortassis huc missurus est legatos suos, nec tu videris ad id propendere, ut mittas tuos: scribam ego per me ipse eidem Regi, cui summus Pontifex non semel litteras misit, quibus eum rogabat (quod hactenus benignissime fecit), mihi ut omnem in omnibus fidem adhiberet. Quod cum ille ([3]) non solum non abnuisset, sed (ut animi sui propensionem ostenderet) addidisset, mihi, quidquid pro istiusmodi rebus tractandis, aut hominibus mittendis expendissem, se liberalissime repensurum: existimavi, mihi faciendum pro eo, ac debeo, ut vestram Majestatem quamprimum de omnibus certiorem facerem, tentaturus, quacumque ratione possem, ut hae litterae ad Majestatis vestrae manus, quam citissime hoc anni tempore fieri poterit, perveniant. Cum autem ipsius Moschi rogatu, ex Staricia ad hunc serenissimum Poloniae Regem in castra venissem, nuncius mihi allatus est, de Narva ab exercitu vestrae Majestatis capta, tum de Iwanogorod, Albo lapide, totaque Vica, quae fere Pernaviam cum aliis arcibus attingit, eadem felicitate in potestatem Majestatis vestrae redactis. Quae omnia, ad eam pacis tranquillitatem istis in Majestatis vestrae regnis comparandam, non mediocre allatura esse momentum, putantur: cum vel ipse Moscus ad aequiores conditiones descensurus sit. Et quod ad serenissimum Poloniae Regem attinet, facilius cum eo (qui nec Polonus est, si quid hoc dubitationis Majestati vestrae ingereret) ([4]), et vero summa animi in gerendis negotiis moderatione geratur ([5]), res illas veteres, vel forsan alia, quae nova tractatione egebunt, et si quae restant adhuc, quas mihi vestra Majestas olim referre dignata est, transigere poterit ([6]). Quod cum factum fuerit, videor, mihi intueri animo igniculos illos pietatis, qui a Spiritu Sancto in vestrae Majestatis corde non semel excitati sunt, in flammam ingentem erupturos, quae tenebras istas errorum dispellat, pietatique locum avitum, gratissimi erga Deum animi ergo, restituat; sicque regnum illud, quod est omnium maximum (nempe, sempiternum), vestra Majestas sibi ac populis ([7]) comparet. Ceterum, cum apud eumdem Magnum Moscoviae Ducem duos Ordinis nostri reliquissem, pollicitus ([8]) sum, me quamprimum (sicut Deo aspirante ([9]) faciam), ad eum rediturum, ut reliqua ad bonum commune, religionemque Catholicam spectantia, si non absolvam, saltem firmius insinuem. Nam et pro externis, atque pro iis, quos summus Pontifex Venetique mittent in Moscoviam, fidem publicam, sive literas salvi conductûs ([10]) mihi dedit, quibus in ejus ditione Catholicam religionem colere et sacerdotes catholicos habere possint. Dona item sebellinarum pellium summo Pontifici, per hominem e nostris misit; meque a finibus regionum suarum usque ad ejus aulam honorificentissime, in Pontificis maximi gratiam, accepit ([11]), convivioque exceptum ([12]) splendidissimo, omnibus officiis humanitatis tractavit ([13]). Quae uti vera sunt, ita nolui non

([1]) unum. — ([2]) duorum millium annorum. ([3]) Moscus. ([4]) qui nec — ingereret, *hae voces, parenthesi cinctae, desunt.* ([5]) fertur. ([6]) *ordo verborum confusus.* ([7]) *add.* suis. ([8]) *add.* ei. ([9]) volente. ([10]) *hac quatuor voces desunt.* ([11]) deduci jussit. ([12]) *h. v. omissa.* ([13]) accepit.

scribere ea vestrae Majestati, ut intelligat, potentem esse Deum, qui inflectere animos quamtumvis duros queat, quique soleat nos in multa patientia expectare, ut resipiscamus (¹).

Quod autem ad hoc negotium spectat, dispicere vestra Majestas dignabitur (²), num quid mihi mandet (si quid aliud effici antea non potuit), quod sincerissime et fidelissime agam. Num vero aliquem, utriusque ditionis finitimum locum designari expediret (communicato, si vestrae Majestati videbitur, cum hoc Rege negotio), ut et legati Moschi, et qui a vestra Majestate mitterentur, sic convenirent, ut pax inter omnes statui posset. In qua, si quid Pontificis maximi auctoritas inservire (³) vestrae Majestatis commodis possit, video, non minimum pondus apud eum Principem hanc esse habituram. Quoniam vero credo, post duos menses fore, ut ad Regem Poloniae serenissimum ex Moscovia (⁴) revertar, summopere autem cupiam pro eo, quod mihi Pontifex maximus mandavit, toti huic negotio coronidem imponere: obsecro vestram Majestatem, ut mihi animum suum per litteras quamprimum aperiat. Ad eas vero litteras, quas per sacerdotem e nostris, a Pontifice maximo et a serenissimo Poloniae Rege, de mense Iunio, Vilnâ vestrae Majestati misi, non dubito, quin responderit, quinve paullò post de iis aliquid sim accepturus, quod ejus Sanctitati quamprimum mittere possim. Vestrae autem Majestati fausta et felicissima omnia a Dei bonitate precor (⁵). Ex castris regiis (⁶) ad Plescoviam, die XIX (⁷) Octobris, 1581.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 7. Conf. opus ejus, sub tit. Moscovia, *pag. 63—65.*

XV.

Litterae Possevini ad Magnum Moscoviae Ducem, de aditu ad castra Regis Poloniae, et de impedimentis in ordiunda cum illo pacis tractatione (*).

Письмо Поссевина къ Московскому Государю, о прѣѣздѣ его въ лагерь Польскаго Короля и о предстоящихъ затрудненіяхъ къ начатію мирныхъ съ нимъ переговоровъ.

Serenissime Magne Domine! (¹)

Misi Serenitati tuae, cum primum ad Stephanum Regem perveni, Andream Apollonium, domesticum (²) meum (³), cum literis, quibus significabam, quantopere tuis rationibus consulturus esses, si quam citissime ad propiorem locum, quàm Moscua sit, legatos mitteres tuos; quem ad locum darem operam diligen-

---

(¹) soleat — expectare etiam Moscos, ut resipiscant. (²) dispiciet. (³) usui esse. (⁴) *h. v. deest.* (⁵) vestrae — precor, *conclusio haec deest.* (⁶) *haec vox item omissa.* (⁷) die 20 Octobris.

(*) In «Moscovia» ejus, edita Coloniae, sequentes textûs anomaliae insunt:

(¹) *prooemium hoc omissum.* (²) *h. v. deest.* (³) nostrum.

tem([1]), ut suos item legatos Stephanus Rex mitteret, cum quibus omnibus ipse quoque, Deo juvante, ad pacis tractationem absolvendam convenirem. Verum, quoniam pollicebar etiam Serenitati tuae, me quamprimum aliquid responsi a Stephano Rege elicere potuissem, ad ea, quae mihi in itinere ad ejus epistolam rescripsisti, id ad te missurum; literarum autem earumdem alterum exemplar statuebam ad te mittere, quas per Andream Apollonium misi, ut, si quid illi vel inter militum excursiones, vel in reliquo itinere accidisset, ad te tamen meae pervenirent. Neutrum sane praestare potui, quamvis id sedulo curaverim. Nec enim Stephanus Rex respondere aliquid voluit rescriptioni tuae, inquiens, ista terendo tempori inservire: cum bellum re ipsa, non verbis, sit omnino continuandum; aut, si ad justas pacis conditiones descenderis, pacem ipse stabilem ac firmissimam, non ullam autem aliam amplecti velit. Interea vero, dum haec agerem, supervenit in haec castra novus miles([2]), ac pulveris tormentarii et globorum ex civitate Riga([3]) ingens vis; quibus in civitatem ipsam Plescoviam iterum summo conatu irrumpere statutum fuit. Quamobrem pro viribus egi, ne id hactenus fieret, summi primum Pontificis usus auctoritate, deinde sistens me quasi vadem ipsi Stephano Regi, te ea, quae mihi([4]), tuo nomine, a senatoribus tuis promissa sunt, nulla arte, vel cunctatione, sed christiana sinceritate, sic esse praestiturum, ut reliquis omnibus christianis Principibus nullam umquam fidei, vel promissionum tuarum suspicio injici possit; mihi autem tabellarium meum cum celeri responso te remissurum. Qui quoniam ad hanc usque diem non venit (quae quidem dies isti itineri faciendo, homini praesertim currenti, satis ipsis esse futura putabatur), angor animi vehementer: quia cum me non satis veracem suspicari possint, fortassis jam minorem in ipsa pacis tractatione fidem adhibebunt, quae tamen non inutilis([5]) futura videatur. Quod si tu ea respondisti, quae maxime ad tranquillitatem rerum tuarum comparandam respondisse te credo, ille vero([6]) quamprimum redierit: enitar id, quod summo Pontifici, ac mihi optatissimum est, ne christianus sanguis amplius effundatur. Sin minus, video([7]), non solum maximam stragem hominum futuram, verum etiam, quod antea tibi scripsi, hujus exercitus latissimam in tuas pacatas regionem excursionem([8]), ex hacque viciniâ belli crudelioris nexum: quod jam exercitus in his regionibus sit hyematurus([9]). Quod rursus praedictum tuae Serenitati volui, ne Pontificis maximi studium, aut operam meam tibi umquam defuisse, si quid secus acciderit, intelligas. Scito autem, me certe difficillime consequi potuisse, ut has tibi literas mitterem; misisse autem ad Sueciae Regem([10]) alias literas, ut ordiri ex me pacis illam tractationem possem, quae dignitati et quieti tuae sit, ut spero, commodatura. Deus te sua gratia, et coelestibus donis uberrime cumulet. In castris Stephani Regis ad Plescoviam, die XXI([11]) Octobris, 1581.

Serenitatis tuae addictissimus in Christo servitor Antonius Possevinus([12]).

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I. No 6. Conf. Moscovia, *pag. 66.*

([1]) diligenter. ([2]) *in num. plur.* ([3]) *ambae voces desunt.* ([4]) *add.* a te, et tuo *et cet.* ([5]) *add.* tuis rebus. ([6]) meus vero tabellarius. ([7]) audio, *posthac add.* vel nunc, vel primo vere. ([8]) *add.* ac vastationem. ([9]) ex hacque — hyematurus, *hae lineae deficiunt.* ([10]) in Sueciam. ([11]) 22 Oct. ([12]) *chirographum deest.*

XVI.

Litterae Magni Ducis Moscoviae ad Possevinum, de legatis suis missis ad conventum, ratione pacis, mediante illo, cum Poloniae Rege statuendae. (*)

Письмо Царя Іоанна Васильевича къ Поссевину, объ отправленіи уполномоченныхъ на съѣздъ, для заключенія мира съ Польскимъ Королемъ, при его посредствѣ.

Misericordia et benigna clementia Dei nostri, qui nos in Oriente ex altissimis praefecit, quique dirigit gressus nostros in viam pacis, ejus Dei nostri in Trinitate benedicti gratiâ, a Magno Principe, Imperatore et Magno Duce Ioanne Basilii, Wlodimiriae, Moscoviae, Novogardiae Imperatore et cet. (1), Gregorii XIII Papae legato (2), Antonio Possevino. Scripsisti ad nos in literis tuis, per hominem tuum Andream, quod veneris ad castra Stephani Regis incolumis, et cum Stephano Rege et dominis (3) senatoribus, quae nostra Magnificentia (4), praescripsit, locutus sis, et privatim ab eis interrogatus, et auditus sis; ac Stephanus Rex responsum tibi dederit (5), et omnes domini (6) senatores libere (7) dixerint, quod aliter tibi faciendum non esset, primum, nisi ut famulum (8) tuum Andream Apollonium ad nos mitteres, qui nos de omnibus rebus sufficienter certiores faceret, quas tibi Rex Stephanus respondendo dixisset; et quod de legatis Lituanicis multum Regi Stephano suaseris (9), ut eos ad nos Stephanus Rex mitteret, vel tabellarium (10): quodque cum fieri non potuerit (11), Regem Stephanum, nomine Pontificis maximi Gregorii, adduxeris (12), ut nobis legatos suos ad aliquem locum (nobis id ipsum facientibus) mitteret. Quam ad rem nos quoque, ut tibi a Gregorio Pontifice maximo mandatum est, adduces (13), ut, scilicet, propter pacem christianam nostros legatos mittamus, non procul a nobis, in terram Novogardiensem, aut alibi (14), data illis plena instructione: Rex vero Stephanus ad eumdem locum mittat legatos suos, pacis statuendae gratia; tu autem ad eumdem locum, ad legatos nostros cum legatis regiis venias, et agas nobiscum de omni bono christiano, et de pace statuenda (15). Ac famulum tuum Andream Apollonium ut nos absque omni mora remittamus, tibique de his rebus respondeamus (16). Et nos literas tuas, quas per hominem tuum Andream misisti, audivimus et intelleximus (17). Ac nos, ut sumus Princeps christianus, semper optavimus, ut inter nos et Stephanum Regem sanguinis cessaret effusio, et initio id noluimus (18). Qua de re tibi, Antoni, omnia aperte explicavimus (19), cur, scilicet, inter nos et Stephanum sanguinis copiosior facta sit effusio. Propter pacem autem christianam, ob tuam admonitionem et injunctum tibi munus a Papa (20), et

(*) In «Moscovia» ejus, edit. Coloniae, textus sic variatur:

(1) *titulus regius plenius conscriptus.* (2) pontificis maximi nuncio. (3) *h. v deest.* (4) majestas. (5) *dictio haec tota connexa ad normam locutionis infinitivae.* (6) *h. v. iterum deest.* (7) *item.* (8) *item.* (9) *norma locutionis infinitivae continuatur.* (10) internuncium. (11) assequi non potuisses. (12) in gratiam Pontificis — tibi accessisse. (13) ad rem, tibi — mandatam, nos quoque hortaris. (14) aliò. (15) de pacis compositione. (16) *periodus haec aliter legitur:* quamobrem tuum Andream Apollonium misisti, ut eum audiamus. (17) *periodus haec ex toto omissa.* (18) voluimus. (19) diserte exposuimus, *posthac add.* ac postea uberrimas litteras dedimus. (20) a pontifice maximo.

nunc et postea id volumus, ut christiani sanguinis effusio inter nos et Stephanum Regem cesset, et consequenti tempore non fiat(1). Legatosque nostros ad conventum, via Velicolucensi ducente a Novogardia(2), inter Porcoviam et Zavolociam, ad Zapolscii pagum, dictum Jamum, mittimus, data illis plena instructione de illis omnibus rebus, de quibus ad nos in literis tuis(3) scripsisti, loquendi, ac loquendo et tractando confirmandi, ita ut(4) inter nos et Stephanum Regem aequum est res constituere. Tu vero, Antoni, Stephano Regi loquere et persuade, ut a Plescovia discedat, et exercitum in omnibus locis(5) sanguinem christianum effundere prohibeat. Nos etiam similiter(6) exercitum nostrum per omnia loca idem facere jubebimus, et ne praelium committatur ullum, praecipiemus, tamdiu(7), quamdiu nostri legati cum legatis Stephani Regis in conventu mutuo, in bonis negotiis(8) aliquid statuerint, ut ex utraque parte effusio sanguinis christiani quiescat(9). Et ante legatos praemisimus(10) ad Stephanum Regem nostri salvi conductûs literas(11), propter legatos Stephani Regis, per expeditum et celerem cursorem(12) Zachariam Boltinum. Tu itaque, Antoni, juxta praeceptum Pontificis maximi, cum legatis Stephani Regis venias ad eumdem locum, inter nos et Stephanum Regem, cum nostris legatis pacem constituturus(13); et cogites, quomodo(14) tuis consiliis, effusio sanguinis christiani inter nos in christianitate cesset, resque ad pacem deducatur, et in posterum etiam immobilis fiat. Ac quamprimum noster prodromus, cum nostris salvi conductûs literis(15), ad Regem Stephanum venerit, Rex quoque Stephanus eumdem prodromum, cum salvi conductus literis(16) pro legatis nostris, quàm primum remittat, quas literas nostri sequentur legati: et cum Stephani Regis legatis, ac nostris, inter Porcoviam et Zavolociam, concurras, tractaturus et constituturus pacis negotia in eodem loco(17). Interim nostri legati cum nostra instructione et plena praeceptione, eunt celeriter per Novogardiam(18), et expectabunt(19) Novogardiae Stephani Regis salvi conductûs literas(20). Et literas fidei per legatos nostros mittemus(21), ut sciatur, ea, quae in conventu illo egerint legati nostri cum legatis Stephani Regis, esse res(22) voluntatis nostrae. Stephanus quoque Rex legatis suis similiter(23) fidei literas tradat, quibus liqueat, ea, quae egerint legati ejus cum legatis nostris, esse voluntatis Stephani Regis; ut et nostris et Stephani Regis legatis, tecum, qui legatus es Pontificis, in conventu illo, de omnibus negotiis statuere et confirmare liceat, quò inter nos in posterum firma, fraterna amicitia et societas cum Stephano Rege stabiliatur immobiliter. Scriptae in principatu(24) nostro, in Aula Slobodiensi, anno a creatione mundi 7090, mensis Octobris die 23.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 8. Conf. Moscovia, *pag. 65 — 66.*

---

(1) *quatuor voces ultimae desiderantur.* (2) quà Velicolucum Nouogardia est iter. (3) *ambae voces omissae.* (4) ea, quae. (5) ubique. (6) *h. v. deest.* (7) *item.* (8) recte. (9) cessat. (10) antequam legatos nostros mitteremus. (11) fidei publicae literas. (12) *tres voces hae desunt.* (13) compositurus. (14) quanam ratione. (15) fidei publicae literis. (16) *item.* (17) ibidem. (18) *absque praepositione.* (19) expectaturi. (20) literas passûs. (21) mittimus. (22) *h. v. deest.* (23) similes. (24) in imperio.

XVII.

Litterae Possevini ad Cardinalem di Como, secretarium Status, de conatibus suis in pace, Principes inter Moscoviae, Poloniae ac Sveciæ constituenda.

Письмо Поссевина къ Папскому Статсъ-Секретарю, Кардиналу di Como, о посольскихъ его дѣйствіяхъ къ примиренію Московскаго, Польскаго и Шведскаго Государей.

Ieri avendo già scritto a V. S. illustrissima, comparve un corriere del Moscovito con lettere, et avviso, che il suo Principe mandava un internunzio coll' uomo, che già un mese io mandai, et che verrebbono a Novoguardia, quasi 200 miglia Italiane lungi di qui i grandi ambasciatori suoi (come avevo per le mie a lui proposto) acciochè o là, o qui si continuasse il trattato della pace. Cosi ora si manda da questa Maestà (il Re di Polonia) salva condotto, et persone pel detto internunzio, et si significa al palatino di Novoguardia che subito dia avviso dell' arrivo dei detti ambasciatori. Piacerà pertanto a V. S. illustrissima di supplicare a nostro Signore, che faccia raccomandare questo negotio a Dio Signor nostro, et la coda del negotio, che resterà a trattarsi col Re di Suetia, acciocché non sia seme di nuova guerra. Si prepara parimenti di mandare oggi quattro altri pezzi d'artiglieria al castello de Piegiari per espugnarlo, se si potrà. Gli heretici fra tanto, che sono in questo esercito, come stanchi della guerra, mostrano di non havere altra speranza, che nell' autorità data da Christo Signor nostro a sua Santità, la quale se con parole niegano, confessano in fatti, non senza mirabil giudicio di Dio, il quale conceda a V. S. illustrissima ogni bene. Dal campo sotto Plescovia, il di 9 di Novembre, 1581.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 11.

XVIII.

Litterae Poloniae Regis Stephani ad Magnum Moscoviae Ducem, de legatis suis missis ad conventum, ratione pacis cum illo statuendae(*).

Письмо Польскаго Короля Стефана Баторія къ Царю Іоанну Васильевичу, объ отправленіи уполномоченныхъ своихъ на съѣздъ, для мирныхъ переговоровъ.

Serenissimo Moscoviae Duci Poloniae Rex (1).

Dedisti ad nos litteras tuas per prodromum tuum Zachariam Boltinum, significans, misisse ad te sanctissimum et maximum Pastorem Gregorium XIII, Pontificem Romanum, reverendum legatum (2) Antonium Possevinum, qui

(*) In Posseuini «Moscovia», ed. Coloniae, reperiuntur anomaliae textûs sequentes:

(1) *in hacce inscriptione notatum*: ex Rutheno idiomate, *subinde sequuntur regii tituli, iique plenius conscripti.* (2) nuncium suum.

*

certiorem te per litteras fecit de iis rebus, de quibus ratione constituendae pacis(1) nobiscum est locutus. Tu vero, pacis christianae gratia, tuos legatos expedis(2) ad conventum, inter Porchoviam et Zavolociam, via Vielicolucensi, in Jam Zapolscii, faciendum(3), data plena illis instructione, de omnibus rebus statuendi et confirmandi. Litteras quoque fidei per eosdem mittis, tuae voluntatis illa esse declarans, quae tui legati cum nostris egerint in illo conventu. Nos vero hortaris, ut ad eumdem locum cum similibus(4) litteris nostros mittamus legatos: quo et nostris, et tuis legatis cum legato sanctissimi et maximi Pastoris Pontificis Romani, reverendo patre(5) Antonio Possevino, in conventu illo de omnibus rebus loqui et eas confirmare liceat; utque nos a Plescovia discedamus, et exercitum nostrum ab effusione sanguinis christiani arceamus(6), id quod fieri non potest, antequam inter nos et te pacis confirmatio fraternae caritatis(7) et amicitiae sanciatur. Nos vero, ut semper, ita et nunc animum nostrum voluntate Dei omnia scientis firmamus(8), ut cum Principibus christianis, et simul tecum, ob bonum christianorum hominum(9), in bona amicitia et tranquilla vita(10) vivamus, et effusionem sanguinis christiani vitemus: nec ad eam rem umquam, sine justa causa, accedere voluimus, nec id optamus(11). Unde saepius aperte(12) tibi declaravimus et nunciavimus(13) propensionem nostram ad pacem, propter christianam tranquillitatem, modo ex parte tua sincera justitia accedat(14). Et hoc tempore(15), post tuam ad nos internuncii expeditionem(16), mittimus legatos nostros(17), data illis plena instructione ac facultate, de omnibus rebus, quomodo(18) in illo conventu(19) pacem statuere et omnia ordinare(20) ac decenti confirmatione stabilire(21), atque ad exitum perfectum deducere, ita, ut par erit, valeant. Addimus et litteras fidei, quibus potestatem facimus legatis nostris omnes actiones nostras perfecte constituendi(22). Litteras quoque salvi conductus(23), legatis tuis, per eumdem internuncium tuum Zachariam Boltinum, mittimus(24), quales habere voluisti; quarum virtute(25) licebit illis libere venire in illum locum(26) et inde redire(27), nihil omnino nostri exercitus impetum metuendo(28). Quod autem scripsisti, ut a Plescovia discedamus, et exercitum nostrum ab effusione sanguinis arceamus(29), quod etiam a nobis reverendus(30) pater Antonius Possevinus, nomine summi Pontificis, diligenter petiit, ut, scilicet, ad intercessionem(31) sanctissimi Pastoris, Romani Pontificis id faciamus: volentes nos secundum decentiam nostram Christianitatis rationem habere, et in pretio debito habentes intercessionem summi Pontificis(32), respondimus reverendo patri Possevino(33), et indicavimus, quid in hac re facere(34) possimus, et quid non possimus(35), illud(36) curantes, ne nobis ipsis et actionibus nostris detrimentum aliquod conciliemus. Tamen totum in hoc(37) situm est, ut tui legati quamprimum ad illum locum(38)

---

(1) ad pacem statuendam. (2) allegas. (3) habendum. (4) ejusmodi. (5) *ambae voces omissae.* (6) prohibeamus. (7) fraterni amoris. (8) obfirmamus. (9) reipublicae christianae. (10) amicè et tranquillè. (11) *finalis pericope deest.* (12) disertè. (13) *h. v. deest.* (14) siquidem tu, quod ad te attinet, sincerè ac justè accesseris. (15) jam vero. (16) allegationem, *posthac add.* eâdem erga pacem christianam propensione nostra. (17) *add.* eum ad locum, quem tu designasti, jamum Zapolscii, inter Porcoviam et Zauolociam, dedimus que *et cet., connexa tamen dictione ad normam indicativam.* (18) quibus. (19) *ambae voces desunt.* (20) reliqua omnia componere. (21) ac decenti — stabilire, *pericope haec deest* (22) Addimus — constituendi, *periodus haec ex toto desideratur.* (23) fidei publicae. (24) mittemus. (25) quibus. (26) eò. (27) *add.* unde voluerint. (28) nihil — metuendo, *corollarium hoc deest.* (29) prohibeamus. (30) *h. v. delita.* (31) in gratiam. (32) *idem, sed brevius:* nos id, quemadmodum decet, maximi facientes, *et cet.* (33) *hae tres voces desunt.* (34) praestare. (35) *negatiua phrasis omissa.* (36) *add.* interea. (37) tamen hoc in eo praecipuè. (38) ad locum a te designatum.

cum plena potestate (1) et instructione festinent (2), cum talibus rebus (3), quibus juste (4) acquiescere possimus: cum et nos, nulla mora interposita, legatos nostros in eumdem locum (5) mittamus; et hunc tuum conditionis minoris (6) internuncium dimittamus sine procrastinatione (7). Scriptae in castris nostris sub Plescovia, anno a Christo nato 1581, die XIV mensis Novembris (8).

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 10. Conf. Moscovia, *pag. 67—68.*

XIX.

Litterae Possevini ad Magnum Moscoviae Ducem responsoriae, de legatis ab ipso Duce mittendis, ad pacem cum Poloniae Rege statuendam (*).

Отвѣтное письмо Поссевина Московскому Государю, объ ожиданіи его пословъ, для открытія переговоровъ о мирѣ съ Польскимъ Королемъ.

Serenissimo Moscoviae Duci, Antonius Possevinus (1).

Andreas Apollonius, quem Serenitati tuae cum meis litteris miseram, heri cum Boltino internuncio tuo rediit; quorum uterque mihi litteras tuas, pietatis ac pacis desiderii plenas, reddidit, quae me in Christo Jesu magna laetitia affecerunt: cum tu, ob Dei honorem (sicuti christianum Principem decet), christianorum Pastoris Gregorii XIII auctoritatem magni facias, et ejus (2) consilium de pace ac foedere cum christianis Principibus ineundo libenter sequaris. Ego vero ipsas Serenitatis tuae litteras, statim perlegendas Stephano Regi curavi, quem antea pluribus rationibus, et ipsa Pontificis maximi auctoritate, a me (3) permotum, ne sanguinem amplius funderet, nec majore hominum caede expugnationem Plescoviae tentaret. Nunc, Boltini tui adventu, ac reditu ipsius Apollonii mei, facilius adduxi, ut se exercitum hinc paucos post dies omnino deducturum, mihi pollicitus sit (4): quamvis nulla ei ratione persuaderi potuerit, ut eum (5) ex tua ditione prorsus (6) deducat, priusquam sincera et immobilis pax fiat. Saepe enim mihi pro certo affirmavit, nisi pax fiat, se hac hyeme, in provinciis istis, exercitum cum generali imperatore (7) Joanne Zamojscio, magno regni Poloniae cancellario, relicturum; Philonem autem Velicoluci cum magna militum manu, ceterosque praefectos aliis arcibus vicinis (8) impositurum; se vero, id est, ipsum Regem (9), excursurum in Lituaniam, ad majores copias comparandas, quas primo vere in tuas interiores

---

(1) facultate. (2) approperent. (3) cum iis conditionibus. (4) *h. v. deest.* (5) eòdem. (6) celerem. (7) illico. (8) Nov. d. XVI.

(*) In autoris «Moscovia», edit. Coloniae, textus sic variatur:

(1) *inscriptio haec verbis, non sensu differt.* (2) *h. v. deest.* (3) *item.* (4) ut ad omnia, quae aequissima futura sint, se attemperet. (5) exercitum. (6) *h. v. deest.* (7) ejus duce. (8) alias in arces vicinas. (9) *hac quatuor voces omissae.*

regiones inducat. Quamobrem, quanto maturius accedent legati tui magni ad locum, a te conventui legatorum et mihi assignatum, et ad proponendas eas, quae sperantur, pacis conditiones, tanto minus vastationis fiet, aut sanguinis fundetur; restituesque his omnibus regionibus tuis optatam ac certe necessariam tranquillitatem. Ut vero legati tui magni Zapolscium tutius veniant, curavi, ut statim Boltinus tuus unà cum Stephani Regis litteris salui conductus [1] remitteretur. Ego vero Nouogardiam unà cum Boltino mitto Basilium Zamoschium, domesticum meum fidelem [2], quem senatores tui noverunt, ut quam citissime [3] litteras a palatino Nouogardiensi, vel a legatis tuis magnis afferat, quibus certior fiam, quo die et loco eos in itinere convenire potero, ac cum jis agere de modo [4], quo Regis Stephani legati quoque, sine impedimento, aut damno, cum ipsis quamprimum conveniant; cum quibus ipse operam et officium meum, omnibus (ut mihi scribis) consiliis, ad pacificationem sedulo interponam. Quapropter, ubi Basilius meus redierit, statim me dabo in viam Porchoviam versùs, ulteriusque progrediar, ubicumque id pacis negotio celerius conficiendo magis expedire, intelligam. Interea tuam Serenitatem precor, ut sibi persuadeat, me nullum fidelissimae ac christianae sinceritatis officium praetermissurum, quod huic rei statuendae, et christianae paci confirmandae, conducere posse existimabo. Dominus Jesus Serenitatem tuam, cum omnibus tuis felicissimam reddat. Ex castris ad Plescouiam, die XVI Nouembris, 1581.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I. № 9. Conf. ejus Moscovia, *pag. 66 – 67, et* Hist. Russ. Monum. *I, 369 – 370.*

XX.

Litterae Possevini ad Cardinalem di Como, secretarium Statûs, de actionibus in munere legationis suae praestandis, de Peczara coenobio Moscovitico a Polonis oppugnato, et caet.

Письмо Поссевина къ Папскому Статсъ-Секретарю, Кардиналу di Como, о посольскихъ его дѣйствіяхъ, объ осадѣ Поляками Псково-Печерскаго монастыря и проч.

Sebbene sono soli due, o tre giorni che io scrissi a V. S. illustrissima, mandando con lettere di questo Re quelle, che sua Maestà (il Re di Polonia), ed io avevamo fatto in risposta al Moscovito, non dimeno quel che é seguito da poi, et l'occasione di un fedel portare della presente, che và con diligenza a Varsavia, mi fa scrivere ancora questa. Si risolse sua Maestà che io scrivessi al Re di Suetia nel modo, che vedrà dalla copia dell'

---

(1) cum fidei publicae litteris. (2) *tres voces desunt.* (3) *add.* ad me (4) de ratione, qua.

inclusa, la quale siccome serve per andar temperando i desideri in questo Re di nuova guerra, così aiuterà sempre (serbandosi costì) a mostrare il modo tenuto da cotesta Santa Sede, qualora che quel Re di Suetia pretendesse che colla pace da noi trattata fra questi due Principi gli si scaricasse sopra la guerra dal Moscovito.

Fu deliberato avant' hieri, che gli ambasciatori i quali manderebbe questo Re a Zapolscia pel trattato della pace sarebbero, quali ne avevo supplicato a sua Maestà, cioè cattolici et quegli stessi, che si proposero, cioè il signor cancelliere, potendo egli farlo per la cura, che ha dell' esercito. Et quando egli nol permettesse, il Palatino di Braslavia. Et oltre questo per conto della Lituania il signor Alberto Radzivilio fratello del Vescovo et secondo maresciallo nella Lituania; a questi si aggiungerà un segretario accorto con quella onorevole compagnia, che ricerca la dignità del negotio, et di questa Maestà.

Andarono i soldati di questo Re o Peczara monastero lungi di qui sette leghe per espugnarlo in due assalti, dove molti, et tutti eretici, furono con morte, et ferite di molti ribbattuti, non riuscì l'impresa. Restò anche con tre, o quattro altri preso da Moscoviti il nepote del Duca di Curlandia, pure eretico, il quale sendosi gettato dentro una torre per penetrare nel luogo, ne potendo uscirne, ne risalire ad alto, privo del soccorso de suoi, rimase nelle mani de suoi nemici. I Moscoviti parimente insieme con quei monaci dimandati dai soldati del Re che si rendessero, risposero che quel luogo non era del Moscovito, ma di Dio et della Vergine Madre, a cui é consacrato. Et che essi erano prontissimi al morire, se così Dio, e la B. Vergine il volevano. Di più dissero, che avevano dato la benedizione alle loro mogli e figlioli, sicché già stavano preparati sino all' estremo per defendere il luogo. Una donnicciuola con una immagine di Sant' Anastasia venne all' incontro dé soldati eretici insino alla batteria, sperando patrocinio in quella santa per ributtarli. Così a quella breccia fatta qualora si sono presentati i soldati del Re, pare che da certo spavento sieno stati sempre respinti a dietro. Con tutto ciò persiste il Re per rispetto della dignità in voler quel luogo, sebben già tre volte, atteso l'imminente trattato della pace, il poco guadagno, che si farà prendendosi, il molto danno et sangue, che ne seguirà con nuovo assalto, et il dubbio anco, che non si pigli, io ho usato ogni mezzo, perchè si sospendesse almeno con assedio quell' impresa.

Ma Dio é grande, qui aufert spiritum Principum; et con tutto che si persista in questo, non dimeno il signor cancelliere mi disse: Io so che se avessimo mandato cattolici ad espugnare quel luogo, già l'avessimo ottenuto. Simili, et altre cose mi danno a dubitare se la pace sia perseguire, ovvero se seguirà con tutti quei vantaggi, che sua Maestà pretende, giacchè sin hora mostra di non voler cedere alle prime dimande della Livonia.

Dopo pranzo io mando in Livonia per uomo espresso le lettere, che si dirizzano al Re di Suezia. Con che resto umilissimamente, raccomandandomi alle orationi di V. S. illustrissima, pregandole da Dio Signore nostro ogni vero bene. Dall' esercito del Re di Polonia sotto Plescovia, il 20 di Novembre, a mezzo giorno.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 20.

XXI.

Litterae Possevini ad Cardinalem di Como, secretarium Status, de legatorum Magni Moscouiae Ducis ac Poloniae Regis congressu, ad pacem, ipso mediante, statuendam.

Письмо Поссевина къ Папскому Статсъ-Секретарю, Кардиналу di Como, о съѣздѣ Московскихъ и Польскихъ пословъ, для открытія, при его посредствѣ, мирныхъ переговоровъ.

Essendo io per partire colla divina gratia domane per andare ad abbocarmi cogli Ambasciatori del Moscovito, siccome potrà raccogliere dall' inclusa copia, scrivo più per debito mio, che per poterle dir altro, salvo che dopo l'ultime mie scritte a V. S. illustrissima, le quali furono il di 20 del presente, si è atteso a formar gli articoli et le instruttioni pertinenti al trattato della pace. Colla quale occasione le lunghe dimore et ragionamenti spesso avuti col Re (di Polonia) pare che possano svegliare nell' animo di questa Maestà altra cosa migliore. Gli Ambasciatori di sua Maestà hanno commissione di trattare col mezzo, come quasi d'arbitrio, il tutto. Si è procurato, che si metta negli articoli il riscatto, o permutatione distinta di tutti i prigionieri di Polonia, Lituania, e Moscovia. Il che da ogni parte, che vi ha qualche interesse, o persona, oltre quel, che m'incaricò per i suoi il Gran Duca di Moscovia, fa che eretici et cattolici ci vengono spesso a fare istanza. Et essendomi più volte venuto a parlar gli Ambasciatori di Livonia per ricoverare un gran numero dei loro (ancor che eretici) mostrando che a sua Santità resteranno obbligati, ha avuto carico dal Re di farlo. Il che tutto potrebbe spianar la strada (siccome anco pensa sua Maestà), a fare che i ministri di sua Santità avessero maggior facilità di restituir nella Livonia la religione. L'altre cose poi, come che restino sopra i medesimi fondamenti et conditioni, le quali et dal Re si proponevano, et dal Moscovito s'offerivano, hanno però diverse circumstanze nate pel successo della guerra di quest' anno, la quale può a Moscoviti dare qualche speranza per non essersi fin hora presa Plescovia, et dall' altra parte, paura, perché l'esercito tuttavia ci sta accampato. Et il Re di Svetia, cioè il P. Ponto, dopo la presa di Pietra Bianca, luogo assai importante, colla sua gente andava sopra Felino, fortezza della Livonia molto importante, et un privato gentiluomo, che fa del servitore, o confidente di questo Re, nominato Biringo, n'ha presa un altra. Et il Duca Magno fratello del Re di Dania due altre. Però come tutto questo negocio dipende dalla sola mano di Dio, cosi andiamo fra speranza, et paura, perciocchè sebbene sono assai evidenti la religione Cattolica, la prudenza et ottima intentione di questo Re, nondimeno Dio va forse allentandogli le vittorie, perchè o queste nel suo regno più si riconoscano da sua Maestà, o si abbiano migliori governatori et operai per pigliarne più certo possesso.

Oggi si pensava di poter dare il fuoco ad una mina fatta da soldati del Re sotto il castello di Piegiari, ma l'intendere in questo punto che quel presidio essendosene avvisto andava all' incontro con un altra, s'ha dubbio se l'espugnazione avrà luogo. Partirà poi di qui, se altro non avviene, questo Re

il giovedì S. Andrea, a piccole giornate per la Livonia a Vilna per andare odorando qualche cosa più vicinamente circa le cose della pace. Resterà anco qui il signor Cancelliere generale colla maggior parte dell' esercito, siccome la stagione di questo tempo ammollito al quanto da Sirocchi, et dubbioso per tirare l'artiglieria. Et oltre ciò, quel che si va intendendo, che la città patisca di fame, pare che n'abbiano fatto fare nuova deliberazione. Con che humilissimamente raccomandandomi alle sue orationi, resto pregandole dal Signor Dio ogni bene. Dal campo del Re di Polonia sotto Plescovia, il di 28 di Novembre 1581.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 21.

XXII.

Litterae Possevini ad Magnum Moscouiae Ducem, quibus de caussis Poloniae Rex a bello cum eo se abstinere nequit(*).

Письмо Поссевина къ Царю Іоанну Васильевичу, съ объясненіемъ, по какимъ причинамъ Польскій Король не хочетъ прекратить войны съ Русскими.

Magno Moscoviae Duci[1] Antonius Possevinus.

Magni Serenitatis tuae legati, qui huc in pagum Biscovicium heri pervenerunt, in quo eos expectabam, tibi significabunt, quid satis longi inter nos colloquii hesterna die fuerit. Ego vero, ut debito missionis[2] et officii erga te mei satisfacerem, antequam longius hinc discederem, existimavi mihi faciendum, ut non solum me tibi reverenter inclinarem, omniaque a Deo bona Serenitati tuae precarer, verum etiam instructionis ejus exemplum ad te mitterem, quam mihi Stephanus Rex suo chirographo signoque munitam tradidit, cum ab eo novissime discessissem ex castris. Ex hac enim, quinam fuerit ejusdem Regis de pace animus, propemodum intelliges, facileque cognosces, nihil a me praetermissum fuisse, quo illi suaderem, ut exercitum ex regione tua, pace quamprimum absoluta[3], deduceret. Verum enimvero, ut dubito, vel peccata hominum, diuturnius et gravius flagellum commerita, bellum producent; aut nisi pro ea, quae in pectore tuo residet pietas, deliberes de aliquibus rationibus tuis adhuc potius remittere, quam ut christiani sanguinis plus effundatur; vel denique, nisi Deus ipse, multiformi sua sapientia, Stephano Regi liquidius declaret, nolle se, ut hoc bellum continuetur: erit mihi, ceterisque fidelibus tuis, multo[4] plus, quam putabatur, laborandum; praesertim, si Stephanus Rex, primo vere exercitu aucto, Rege-

(*) In «Moscovia», ed. Coloniae, epistolae hujus textus sic variatur:

(1) *add.* Joanni Basilii. (2) legationis. (3) composita. (4) *h. v. deest.*

que Sueciae altera ex parte eodem tempore bellum gerente, pergat in incoepto. In quo, si nihil aliud promoveretur, certe miserandum et horribile spectaculum erit, quodque ubique Novogardiam usque (ne dicam ulterius) cernitur. Templa enim diruta, vel in equorum stabula conversa sunt, ubi saltem Divini nominis laudes exaudiebantur. Imagines piae in ignem impie projectae, vel ludibrio(1) ab iis habitae, qui Coelites ipsos vix membra esse Christi agnoscunt. Hominum et pueroram cadavera passim jacent, et ab ipsis jam equis in itinere atteruntur. Nec desunt utriusque sexûs imbellium rusticorum caedes et raptus, ad quos rusticos in sylvis venandos, relicta ferarum venatione, avidissime discurritur. Virgines stuprantur, et turpius etiam violantur. Incendia vero latissime(2) visuntur, incredibili cum tuae ditionis vastatione, quae ubique agricolarum et jumentorum defectu jam sylvescit, nullo cum fructu, difficiliore autem ad multos annos advenarum commercio cum tuis. Quae quamvis ipsi Stephano Regi displiceant(3), nec propterea cum iis, quos copiis praefecit, desistat, his rebus omnia illa, quae potest, adhibere remedia: difficillimum tamen est, ejusmodi exercitum(4) in vastitatibus istis in officio continere. Sed et ego eadem, quae magni tui legati, nomine Serenitatis tuae, mihi narrarunt, ac multo quidem plura, voce ac scripto retuli. Verum quod ante triennium in Comitiis regni Varsaviae, de obtinenda Livonia decretum est, promissaeque a tuis legatis magnis postremae conditiones, Vilnae: sumptus quoque bellici, quos propterea hoc etiam anno fecisse, Stephanus mihi Rex obiecit: expugnatae vero a Sueciae Rege non paucae tuae arces(5), quam sibi victoriam, ut amici et affinis, Stephanus Rex putat esse non minus communem, quam ea fuit, qua, collatis cum Sueco viribus, Vendam a te cepit(6): copiis autem, quas(7) in castris ad Plescoviam reliquit, annuum stipendium assignatum(8) ad bellum continuandum: dubium porro, in quo animus Regis versatur, ne semper nova belli materia praebeatur, nisi Livonia in Principis unius potestate sit(9): jusjurandum ab eo, cum regno inauguraretur, praestitum de Livonibus liberandis(10), qui se in fidem Poloniae Lituaniaeque tradiderunt(11): quodque tu, ut dicunt, foederis tempore, antea quidem Sigismundo Augusto Rege Polociam, deinde Henrico Rege, Pernoviam invaseris; nec vero videatur futurum, ut data occasione, conquiescas et a bello abstineas: rationes illae sunt, quibus sibi in proposito persistendum(12) Stephanus Rex dixit, asserens, quamvis hactenus Plescovia a se capta non sit, obsidione tamen ita se illam pressurum, ut in suas manus veniat, nisi quamprimum pax componatur. Scire enim se, magnas civitates, ut sanguinis effusioni parcatur, hac ratione esse expugnandas: cum et felicis memoriae Avus tuus, ipso quidem (ut aiunt) foedere vigente, Novogardiam non unius anni, sed septennii obsidione redegerit in suam potestatem. Quamobrem, si post omnem diligentiam et fidelissimam certe sinceritatem a me adhibitam, Stephani Regis legati magni ad eas conditiones non poterunt descendere, quas tu cuperes; vel tui legati magni a te non attulerint ampliora mandata, quàm ex eorum sermone(13) mihi videor potuisse intelligere(14): ipse, tua cum

---

(1) *add.* scommatis. (2) latissima. (3) *add.* summopere. (4) tam ingentem exercitum; *posthac add.* ad quem plurimi concurrerunt externi ac voluntarii milites. (5) arces, quas tu obtinebas. (6) quam sibi — a te cepit, *insertum hoc deest.* (7) *add.* Stephanus Rex. (8) stipendium persolutum, et ad annum usque assignatum (9) nisi Livonia tota cesseris. (10) in libertatem asserendis. (11) qui se — tradiderunt, *haec appendicula deest.* (12) omnino perstandum. (13) *add.* hactenus. (14) colligere.

gratia et voluntate, Deo juvante, excurram ad te, ut si quid aliud iniri consilii queat ad reliqua absolvenda, id eodem volente Deo, fiat. Idcirco tuam Serenitatem rogo, ut ubi apud nos actum de tota re fuerit inter legatos(1), digneris jubere, mihi ut ad Serenitatem tuam redeunti benignus ac tutus ille aditus pateat, quem fidei publicae literis Pontificis maximi legatis ac nunciis pollicitus es. Jesus tuam Serenitatem omni gratia et benedictionibus cumulet. Ex Biscovicio pago, duobus milliaribus germanicis prope Porcoviam arcem(2) tuam, die 7 Decembris, anno 1581.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini, Tom. I, No 24. Conf. Moscov. *pag. 68 — 69.*

XXIII.

Litterae Possevini ad Stephanum Poloniae Regem, de colloquio habito cum legatis Magni Ducis Moscoviae (*).

Письмо Поссевина къ Польскому Королю Стефану Баторію, о сношеніяхъ его съ Московскими послами.

Serenissimo Poloniae Regi, Antonius Possevinus.

Ex Corocinicio, ubi monasterium erat, nunc autem equitum alae regiae Majestatis vestrae statio est, prope Porcoviam(1), scripsi ante quatriduum Majestati vestrae. Deinde in Biscovicium pagum, Mosci legatis et mihi assignatum, me contuli, cum ex itinere Porcovienses egregie nos ferreis globis ex turribus salutassent. Postridie vero, cum eò perveni, legati Mosci satis mature, ne expectato quidem Opocae regio Majestatis vestrae equitatu, supervenerunt. Qui me, Magni Ducis nomine, ut solent, consalutatum(2), accurate interrogarunt, ecquid a Majestate vestra de pacis conditionibus deliberatum fuisset. Ad quae, cum id, quod res est, respondissem; ceterum, praeter Livoniae restitutionem ac quaedam alia, arces nempe captas esse retinendas ob bellicos sumptus, nescire me, si quid aliud vestrae Majestatis legati haberent in mandatis; interdum identidem unum illud verbum proferebant: weliki, weliki, magna, id est, sunt haec. Cum vero paullo post sese venisse ea cum potestate referrent, ut eadem, quae Majestati vestrae attuleram, firmarent et ad effectum adducerent: ego autem dixissem, nisi Livonia tradatur(3), nulla me ratione intelligere, quorsum utrisque legatis, ac mihi conveniendum sit unum in locum(4); illico Beginus(5), secundus legatus, subdidit: «et est quiddam aliud, quod afferimus»; quod cum a

(1) *haec dictio deest.* (2) *item.*

(*) In «Moscovia», ed. Coloniae, epistolae hujus textus sequentibus distinguitur varietatibus:

(1) nunc — Porcoviam, *accessorium hoc desideratur.* (2) pluribus verbis consalutantes. (3) Livonia cederent. (4) aliquò. (5) *add.* Andreae Begini frater.

me petiissent, ut reticerem, nec vero prae illo, quod a Majestate vestra petitur, magni momenti sit, spero, Majestatem vestram in bonam partem accepturam, si tantisper illud reticuero, dum in conventu proponetur. Sic enim expedit, ut fidem meam illis praestem, quam illibatam vestrae quoque Majestati servabo. Praescriptos autem illis in proponendo gradus (1) fuisse, ex eo etiam intellexi, quod nonnumquam (2) iis excidere haec verba, suo more loquentibus: «Quandoquidem, Antoni, ajunt (3), Princeps noster demissior factus est, elatos autem deprimit Deus: aequum est, ut Stephanus Rex modum imponat suis petitionibus; tu vero, si qua in re videris haerere nos pertinacius, de ea nos admoneas. Sed ut prorsus Livoniâ Magnus Dux cedat, cui et commercia cum alienis gentibus, ac praecipue amicitia cum summo Pontifice et christianis Principibus colenda sit, fieri non potest. Sed Stephanus Rex contentus sit ea, quae tradetur, parte, ne, cum totum voluerit, ne partem quidem illam fortassis postea consequi possit.» Quid vero ad haec responderim, quidque consilii in re praesenti ceperim, cum illi tabellarium de suo in Biscovicium adventu, mandato Magni Ducis, esent missuri (4): cognoscet vestra Majestas ex adjuncto literarum exemplo, quas eidem Magno Duci misi, ut, si longior noster legatorum conventus haberetur, ipse adhuc ad alias conditiones legatis suis proponendas adigeretur, paxque, Deo juvante, quamprimum componeretur (5). Sequenti autem die (6), cum ad hunc pagum veniremus, male habebat illos, quod neque in Porcoviam arcem ingredi, neque inde (7) necessaria capere possent. Verum denique rationibus ac necessitati paruerunt: quod nec dum pax esset, nec fidei publicae literae, a vestra Majestate acceptae, quibus illi nitebantur, eò spectarent, ut eo praetextu obsessis aut opem, aut consilium aliquod afferrent. Cum vero de iis quaesivissem, num si paucorum dierum ipse inducias inter exercitum vestrae Majestatis, et obsessos tentassem, id ipsi Magni Ducis nomine ratum habere potuissent, sic quidem, ut interim nemo ex obsessis arcibus egredi, nemo in eas ingredi posset: se ejusmodi facultatem non habere, exposuerunt (8). Quamobrem postea nihil mihi negotii amplius facessiverunt, cum saepe viderentur antea mirari, cur vestrae Majestatis exercitus, tempore tractandae pacis, aliò non deduceretur. Sed et cum, occasione oblata, innuissem, inaudivisse me, a vestra Majestate propositum fuisse, ut Sueciae Rex (9) inter ipsas pacis conditiones admitteretur: quid, inquit, nonne Suecia Magni Domini est (10)? Quamobrem vix credo, illam rem habituram inter reliqua locum. Porro, hic biduum substitimus, quod legati vestrae Majestatis, antequam huc perveniremus, literas mihi scripsissent, quibus Jamum in Zapolscia combustum fuisse, monasterium (11) autem esse in ditione vestrae Majestatis, significabant, cui rustici illi jam jurejurando essent obstricti: in quo nisi Mosci nollent (12) convenire, Poderovicium saltem pagum deligerent, procul hinc tredicim passuum millibus; quem ad locum omnes venerint (13), licet octo, decemve tantum domus in eo extarent. Ei rei cum legati Mosci statim assensissent, qui in ditionem vestrae Majestatis se ingredi non posse affirmassent, admoniti a ducibus, seu praefectis quibusdam equitum Polonis, qui huc nos adduxerant, Bolginum (14) hinc quatuor werstis abesse, commodum et cujus in vicinia non rari sunt pagi, proposuere

(1) *add.* ne dicam, terminos. (2) nunquam, *paragramma videtur.* (3) *verbum hoc omissum.* (4) *add.* in Moscouiam. (5) fieret. (6) postridie autem ejus diei. (7) *h. v. deest.* (8) dixerunt. (9) *add.* serenissimus. (10) *aliter et brevius:* admitteretur, haud commode responderunt. (11) coenobium. (12) vellent. (13) conventuros dicerent. (14) Bolcinum.

legatis vestrae Majestatis locum illum: si vellent, eo se ituros, sin minus, Poderovicium ab illis propositum se petituros. Quorum dum responsum expectamus, quod hodie ad primas meas literas miserunt, immutata eorum consilii ratio est, ut, scilicet, in Jamum eamus; quo quidem licet statim Mosci, me audito, statuerint summo mane crastina die proficisci, non potui tamen non dolere, vel immature res provideri, vel aliis tribui, quod in eosdem aptius cadit. Mitto autem vestrae Majestati et eorum legatorum[1] schedam, et quidquid illis respondi. Quod si fortasse illi dubitarunt, locum legatis Mosci propiorem, quam par erat, esse Porcoviam[2], id prospectum (antequam ipsimet aliud proponerent) oportuit. Sed fortassis[3] ista melius noscent, et in rem conferent[4]. Ex pago Crissenka[5], die XI Decembris, 1581.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini, Tom. I, No 26. Conf. Moscov. *pag, 69 – 70.*

XXIV.

Litterae Possevini ad Cardinalem di Como, Secretarium Status, de studiis suis in munere legationis praestandis.

Письмо Поссевина къ Папскому Статсъ - Секретарю, Кардиналу di Como, о посольскихъ его дѣйствіяхъ.

Al Cardinale di Como, Segretario di Stato, il P. Possevino.

La vigilia di S. Andrea, partii dal campo del Re per andarmene a trovare gli Ambasciatori del Moscovita. Il settimo giorno da poi ci incontrammo, et verso queste parti venimmo, dove fra due giorni vedremo coll' aiuto di Dio quel che sara, o di pace, della quale non sono affatto fuori di speranza, o di guerra. Quell' istruttione, che da me dettata (eccetto què titoli, che il Re mi da), procurai che il Re mi desse, et per avere attacco nelle altre cose

---

(1) *add.* vestrae majestatis. (2) istos magni ducis legatos, propius quàm par erat, futuros esse Porcouiae. (3) *add.* posthac. (4) *add. articulus sequens:* Jam cum nobis crastina die, vel perendie cum legatis vestrae majestatis conveniendum sit, possimque vereri, Livonia universa Mosci non cessurum: obsecro vestram majestatem, ut me quam citissime certiorem faciat, num, si soluto conventu Livonia cedere noluerint, ego in Moscoviam rediens, ex me agere debeam, ut Moscus vel hos, vel alios legatos, comitiorùm tempore, Varsaviam ad vestram majestatem remittat; an vero hinc id ipsum Mosco a me scribendum sit, ut hosce Nouogardiae tantisper detineri jubeat, dum tempus veniendi appetat. Negotium enim hoc, quod ad decretum Reipublicae de obtinenda Liuonia pertinet, priusquam arma deponantur, aut tum habebit liquidiorem declarationem, aut Moscos Varsaviae praesentes ad solidiorem deliberationem adiget, si Ordines regni in eodem perstantes viderint. Vestra porro majestas sapiens est, quae novit momenta temporum, quaeque cernit, quantam in regno suo molem habeat rerum aliarum explicandarum, quibus statuendis non minore jurejurando obstricta est, quam Livoniae obtinendae: quam tamen fortasse Deus jis tradere totam non vult, qui sese tradere totos in ejus obsequium nolunt. Ipse vestrae majestati uberrimam suam gratiam, ac denique coelestem gloriam impertiat, quae plus omnibus regnis, ac mundo ipso exoptanda est. (5) Czissenka.

maggiori col Gran Duca di Moscovia. Et quelle lettere le quali da me si sono scritte al Re, et al Gran Duca et al signor Cancelliere in questo mese, perciocchè contengono tutto l'indirizzo, et maneggio di questo negocio, si mandano conquesta a V. S. illustrissima, alla quale, se Dio Signore nostro ci darà vita si manderà l'ordinato compendio di tutta questa attione, poichè amendue, il Re et il Gran Duca mi hanno constituito arbitro delle loro pretensioni, come persona mandata da sua Santita.

Inanti la partita mia dal campo, il Re a mia requisitione havendo assignato al signor Cristoforo Varsevicio mille fiorini, lo mandà, siccome ne pregai sua Maestà, a questo trattato di pace, parendomi ch'essendo presente, non solo avrebbe maggior luce del negocio, ma più vivamente col Re di Suetia, a cui procurerò ch'esso poi si mandi, potrà rendere testimonio degli officii fatti in questo colloquio a favore di quel Re . . . . Piaccia a V. S. illustrissima di farci raccomandare sempre a Dio Signore nostro, il quale conceda a V. S. illustrissima ogni bene. Di Kiverova Horca, presso Zapolscia et lungi da Vielchiluco otto leghe, il di 12 di Decembre, innanzi giorno, dell' anno 1581.

P. S. Il rispetto la confidenza, et il sovvenirmi colla mia compagnia di cibo portato da Moscovia (senza il quale malamente viveremmo), le quali cose giornalmente per ordine del Gran Duca mi fanno i suoi Ambasciatori, sono tali che confondono questi signori Lituani et Polacchi, sebbene la Maestà del Re di Polonia non mancò d'assegnarmi persone, che ci provedessero. Ma in somma altra è l'obbedienza dé Moscoviti al loro Prencipe, che di questi altri al loro Re. Mi hanno anco condotto i Moscoviti i cavalli, et slete, o piccoli carri per trasferirmi al loro Prencipe, che in ció mostra oltre l'amore, una esatta cura, et providenza nelle cose ch'egli fa, passando il tutto con ordine, et minuti capi di scrittura, sino al modo come debbano cibarmi.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I. No. 25.

XXV.

Litterae Possevini ad Stephanum Poloniae Regem, de colloquio cum legatis Magni Moscoviae Ducis.

Письмо Поссевина къ Польскому Королю Стефану Баторію, о совѣщаніяхъ его съ Московскими послами.

Serenissimo(¹) Poloniae Regi, Antonius Possevinus.

Secundas heri ante diem literas meas, postquam ex castris discesseram, misi Regiae Majestati vestrae, quibus quidquid vel Mosci legati mecum egissent, vel ipse Magno Duci Moscoviae rescripsissem, vel denique quod vestrae Majestatis legati subinde mihi signifi-

(¹) Stephano.

cassent, continebatur. At cum heri quatuor ferme milliaria processissem, legati Mosci ad hospitium meum convenerunt, de tota ratione tractandae pacis quaesituri; cum quibus ad multam noctem colloquio producto, ejusdem capita summatim vestrae Majestati scribam, cum et eadem (uti quoque omnia alia) vestrae Majestatis legatis hodie sim ostenturus: sic enim paratiores erunt, ac breviore compendio tractatio absolvetur. Porro summa haec fuit, ut Deo se ex animo commendarent, in tanto negotio ad exitum promovendo: quod ut fieret, comitatui meo, praeter reliqua, orationes et sacramenta hodie indixi. Qui sincerius agerent, divinamque voluntatem rectius spectarent, jis tandem a Deo vel pacem, vel victoriam dixi adjudicatum iri. Me a vestra Majestate discedentem habuisse Instructionem quamdam, quam Ruthenice versam eis non minus ostendere volebam, quam feci cum vestra Majestate de literis iis, quas mihi Staricia profecto Magnus Dux in itinere misit: ex ea illos posse cognoscere (ne tempus frustra teratur), quorsum vestra Majestas spectet. Itaque et ipsi sua sic comparent, ut ne in disceptationibus vel altercationibus dies consumantur. Tum illi altius ordiri sua: Livoniam ab origine mundi pertinuisse ad Magnos Moscoviae Duces; Principem suum abstinuisse a committendo praelio his annis, atque adeo nunc abstinere, ne sanguine populi sui ac subditorum vestrae Majestatis fuso, Turca se ad Moscoviam Poloniamque accipiendam facile insinuaret; viginti annis non expugnaturum vestrae Majestatis arces, quas petit, si singulas copiis obeat suis. Vidisse vestram Majestatem aliam in ligneis (1) arcibus, et ubi non essent homines fortes, aut auctoritate praestantes(2); aliam in Plescovia et ejusmodi civitatibus expugnandis rationem esse: Plescoviae ad quindecim annos esse cibos(3) et commeatum; habere vestram Majestatem exercitum ex variis nationibus conflatum, qui cum stipendio, non voluntarie, serviat, Reipublicae istius hac ratione exhauriri aerarium; quod ubi prorsus exhaustum sit, scire Magnum Ducem, quam facile illi esset victorias suas cumulare(4). Ad extremum, rogare me(5), ut aequus velim esse judex, ac si cui rei pertinacius inhaeserint, eos ut dimoveam, paratos ad ea omnia, quae aequissima sint, dum vestra Majestas aequitate contenta sit; utque Mosco reliqua sint, quibus amicitiam cum Principibus christianis foveat. Respondi, autorem illis me esse, ne quid de Livonia(6) Moscis subjecta, legatis vestrae Majestatis dicerent: ne Moscorum quidem imperium fuisse ab origine mundi. Livoniam catholicam fuisse, ac proinde ad Principes catholicos initio semper atinuisse: ubi haeresibus discerpta est, discerpi(7) item justissimo Dei judicio, vt nemo hactenus gloriari potuerit, eam se totam obtinuisse; obtenturum denique eam totam, cui in oculis Dei curae(8) sit, illam serio ad avitam fidem redigere. Magnum Ducem rationes omnes mihi suas scripto, penitioresque formulas ex Regestis deprompsisse, quibus putabat, sibi summum in ea jus esse; sed revera vix aliquid solidi comperiri(9), quod validis rationibus vestra Majestas non evicerit. Quod a praelio abstineat, ut sanguini parcatur, id esse pium: sed secus Polonos eam abstinentiam interpretari. Tot enim Moscis caesis superioribus annis, arcibusque et captivis in vestrae Majestatis manus redactis, non restare Magno Duci, quibus vel exercitum audeat credere, vel adeo justum exercitum possit conscribere. Livoniam vero difficilem expugnatu non videri, cum Sueciae Rex(10), Dux item Magnus, vel unus nescio quis Buringus, arces illas quotidie capiant.

(1) in aliis. (2) et ubi — praestantes, *additamentum hoc deest.* (3) *in num. sing.* (4) *add.* nisi mallet fundendo sanguini parcere. (5) se. (6) *add.* ab origine mundi. (7) discerptam fuisse. (8) cor. (9) compertum fuisse. (10) *add.* serenissimus.

Quod si vestra Majestas Plescoviam caperet, quam revera generali irruptione (1) non tentaverit quidem adhuc, futuram denique difficillimam omnem pacis tractationem. Ligneas (2), quas dicerent, arces esse captas: ejusmodi fuisse plerasque, ut fortissime dimicaverint Mosci milites; nec vero, ut dicebant, consederent, sed vel in mediis flammis (3), ad extremum usque spiritum, illas tuerentur. Quod Plescoviae tantus esset commeatus, aliud Plescovienses ipsos effari (4). Quod variarum nationum exercitum vestra Majestas comparaverit, id studio fecisse, ut regni sui vires semper integras retineret. Polonicum autem ac Lituanum equitatum, cum in Moscovia aestatem et hyemem ex hostico vivat, relinquere uberiores, et intactos agros suos, sicque nihil roboris ex hoc bello Reipublicae Polonicae decedere. Quod aerarium exhauriatur, id tota re perpensa secus accidere. Quod enim in otio Poloni nobiles in convivia vinumque (5) expendunt, id libentius utiliusque propagandis Reipublicae terminis velle eos impendere: cum etiam, qui in aula illa (6) sumptus fiunt, ii in mercatorum (7) cedant utilitatem; qui vero in ipsos milites, vel externos (8), vel Polonos ac Lituanos fiunt, hi pecuniam ipsam (9) in propriam domum et Reipublicae ipsius usum convertant (10). Quod de meo judicio requirunt, si liberrimus essem judex, facilius rem confici posse. Sed cum vestra Majestas victorem in hostico habeat exercitum, nolitque reliquias serendi belli remanere (11): nescio (12), quantum efficere mihi liceat, praeter ea, quae fortassis aliis in rebus quibusdam auctoritate Pontificis maximi complanari poterunt. Hoc unum scire me, neutri parti, nisi quaenam optima esse intellexero, si meo judicio standum sit (13), adjudicaturum. Denique Magnum Ducem per suos legatos Livoniam promisisse; quam si seriò promittebat, omne (14) cur promissum non praestat? quod nisi serio, sed arte ad tempus eximendum, pollicebatur: ne mirentur, si Deus, quae sincere non agunt, ea sincera justitia corrigat (15). Hic nocturni hujus colloquii exitus fuit, mirantibus legatis, in rationum istarum angustias sic sese conjectos, ut revera (16) vix responderent (17).... Jesus vestram Majestatem suis sanctissimis donis ditet, et ad sui gloriam diutissime incolumem servet (18). Ex pago Kiverova Horka, die 13 (19) Decembris, 1581.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 27. Conf. Moscov. *pag.* 72—73.

---

(1) *add.* vel assultu. (2) alias. (3) *add.* vel a globis tormentorum frustillatim discerpti. (4) dicere. (5) *ambae voces desunt.* (6) in res alias. (7) *add.* externorum. (8) *h. v. deest.* (9) *ambae voces item desunt.* (10) *pass.* convertantur. (11) nec vult semina serendi belli restare. (12) *in modo infinit.* nescire me. (13) si — sit, *conditio haec desideratur.* (14) *h. v. deest.* (15) quod sincere non agitur, id sincera justitia puniat. (16) sane. (17) *add. continuatio epistolae sequens:* Interea, cum media nox appeteret, legati vestrae majestatis mihi scripserunt, num velim, ut huc ad nos, duobus milliaribus procul Zapolscia, venirent? cupere se ordiri hodie tractationem pacis. Qui litteras mihi attulerunt, dixere, in agris, si procedamus, utrisque legatis esse hoc tempore manendum. Quid ipsis legatis responderim, quos hoc diluculo expecto, cognoscet ex litterarum mearum exemplo, quas ad illos ea ipse hujus noctis hora misi. Reliquum quod agetur, accurate ac singulatim vestrae majestati significabo, sperans, eam mihi sensum animi sui expondituram, si quid erit aliud mihi in Moscovia tentandum, cum illuc, Deo dante, rediero. (18) *conclusio epistolae secus expressa:* Deus vestrae majestati omnia faustissima concedat. (19) *datum itemque aliter:* ex itinere versus Jamum Zapolsciae, die XII. Dec.

XXVI.

Litterae Possevini Zamojscio, supremo regni Poloniae Cancellario et Capitaneo generali, de colloquiis legatorum Magni Moscoviae Ducis cum Poloniae Regis legatis.

Письмо Поссевина Польскому Канцлеру и Гетману Замойскому, о совѣщаніяхъ Московскихъ и Польскихъ пословъ.

Domino Zamojscio, suprêmo regni Poloniae Cancellario et Capitaneo Generali, Antonius Possevinus (¹).

Quae, antequam omnes una (²) legati convenerunt mecum, iterum egere, cognoscet vestra D. M. ex iis litteris, quas huic adjunctas fasciculo mitto serenissimo Regi. Quae vero postea sunt hoc biduo inter legatos, me praesente, consecuta, ea pertinent ad duo capita, quorum alterum spectat ad plenipotentiam utriusque legationis, alterum ad ea, quae utriusque partis legati (³) hodie proposuerunt.

Plenipotentia Moscorum simplicissima visa est, ac prae regia satis infirma, ne dicam, suspicionis plena. Haec enim verba continet: «misisse Magnum Ducem legatos suos ad conventum (⁴), pacis statuendae gratia cum legatis regiis loqui (⁵) in conventu, et illas res esse res Magni Ducis.» Auctor igitur fui, ut quas Regi, mihique per Boltinum Magnus Dux litteras scripserat, eae ipsis perlegerentur; quibus significabat, legatos mitti cum plenissima potestate ad omnia transigenda, conficienda et caet. Ubi res diu disceptata est, regiique legati haererent, quod super infirmo fundamento tractatio haec pacis nec niti, neque extrui deberet, dixi, restare duo, quae essent facienda, tum ut coram me de tota re protestarentur, tum ut mihi utraque pars legatorum exempla suarum plenipotentiarum traderet: noctem consequentem, re Deo commendanda et consultanda; denique legatis Mosci interrogandis accuratius, num aliquam alteram plenipotentiam solidiorem haberent, me insumpturum. Quod ubi factum est, praesentibusque regiis legatis, singillatim unumquemque Moscorum legatorum quaererem: num semper ejusmodi patentes solitae sint a Magno Duce tradi, idque vellent jurejurando affirmare? Zacharias Vicenotarius, se id facturum, inquit; qui cum Mosci Secretariae acta centum annorum legerit, alias numquam plenipotentiarum formulas se, quam istas, legisse, ostendit (⁶). Mikita autem Notarius, unus e legatis, idem asseruit: quod et postea Romanus Basilii, qui aliquando ante viginti annos, ad Sigismundum Augustum fuerat missus; ac denique Demetrius dux, princeps legationis, testatus est, addens, sese ut christianos legatos venire ad hoc negotium integerrime conficiendum: nihil opus fore ad Magnum Ducem aliorum internunciorum remissione: in litteris Magni Ducis ad Regem et ad me scriptis, extare suae plenipotentiae expositionem: visuros nos, si pax conficiatur, ad effectum omnia reduci (⁷). Ego, qui viderem, multum teri temporis, nec praesentius aliquod, ipsa protestatione legatorum, esse remedium; testatus etiam ipse Moscis, perpetuo illis dedecori hanc rem, si qua subesset calliditas, futuram, quippe quae innotescere omnibus christianis Principibus debebat, nisi ut ad rem veniretur. Nihil enim vel induciarum,

---

(¹) *ambitus verborum strictior.* (²) *h. v. deest.* (³) utrique legati (⁴) *h. v. deest.* (⁵) ut colloquantur. (⁶) affirmauit. (⁷) deduci.

quae nondum essent, rationi, vel exercitus deductioni Regi(1) ex hac tractatione perire: quae alioquin, si bonum haberet exitum, multa bona parere posset; sin in irritum caderet, jus regium esset apud omnes roboratura. Sic regiis legatis fatentibus, se Pontificis maximi auctoritate, meoque consilio ita moveri, ut tamen vellent, antequam ab hac tractatione discederetur(2), certo sibi, quae de plenipotentia Mosci pollicebantur, in rem conferri.

Ad alterum, de quo dixi, caput ventum est. Id fuit de Livonia tota(3) petenda, de arcibus superioribus annis captis, de Rege Sueciae serenissimo inter conditiones pacis admittendo. Quae cum prudenter(4) D. Palatinus Braslaviensis ac cum dignitate proposuisset, multaque ultro citroque dicta fuissent; Moscis praesertim urgentibus, neque se posse tota Livonia cedere, nec vero, si possent, debere legatos regios ea reticere, quae ipsi contra vellent Magno Duci reddere, aut tradere: dies integra his colloquiis exempta est. Cum regii legati respondissent, arces, quae ad Plescoviam quatuor pertinerent, jam captas, se tradituros, si tota Livonia cederetur; tum in eo perstare Mosci, si regii legati dicerent, an reliquas omnes arces a Rege serenissimo superioribus annis captas reddere possent, se hac nocte cogitaturos, quid responsuri crastina die essent. Addidi ipse, serenissimum Regem non parum adhuc esse traditurum, qui Plescoviam et Novogardiam, non sine magna spe earum potiendi, libens(5) esset relicturus: qui una cum Plescoviensibus arcibus, triginta milliaria germanica ditionis Mosci, in quam hoc anno processum erat (ab exercitu regio finibus, usque pene Plescoviam propagatis), exercitus si deduceretur, restiturus esset. In qua ubere regione si Cosaccis varia loca distribueret, eorumque quasi coloniis deductis varias arces excitandas traderet; ab iis perpetuo omnem interiorem Mosci regionem turbatum iri. At, ut Velicolucum, Velizia et aliae arces traderentur, id esse pene plus, quam ipsum, quod Mosco(6) Livoniae restat in manibus. Cum ergo legati regii discederent (meque eos orante, ne discederent, quod ita factum oportuit), in diem crastinum ea lege huc redituri ad me, ut liquidissime, quid unaquaeque legatorum pars haberet in mandatis, exponeret: detinui Moscos apud me, re cum regiis legatis communicata, ut aliquid certi vestrae M. D. scriberem; quandoquidem nec Mosci regiis omnino sese volebant aperire, et regii Moscis testabantur, sibi non esse mandatum, arces ut captas superioribus annis ulla ratione redderent. Cum vero mihi dixissent, serenissimum Regem jam Vilnae fortassis esse, vestrae vero M. D. plenissimam esse relictam harum rerum deliberationem; scribendum de tota re liquidius mihi ad ipsam per certum tabellarium, unumque nobilem, quem habeo in meo comitatu, existimavi(7).

Sciat autem me ex ipsis Moscis, qui, regiis legatis abeuntibus, apud me fuerunt, haec cognovisse, summa difficultate, jureque jurando meo interposito, ne, scilicet, alicui, quam vestrae M. D., penes quam totam potestatem (ut dixi) a Rege serenissimo relictam fuisse, quae sequuntur, communicarem(8). Moscum(9), nempe, illis mandasse, ut nulla ratione arces, superioribus annis captas, Regi serenissimo relinquerent, si Livonia tota iis esset cedendum, id est, arcibus, quae in Mosci ditione sunt. Ac ne Neveliam quidem se regiae Majestati restituturos(10); de qua ego, difficillimum esse, dixi, ut umquam Rex ei restituendae assentiatur. Tum

---

(1) *add.* serenissimo. (2) discederent. (3) *add.* quae erat in manibus Mosci. (4) *in gradu superlat.* (5) *haec dictio deest.* (6) magno duci. (7) unumque — comitatu, *pericope haec deest.* (8) summa — communicarem, *haec linearum series item desideratur.* (9) magnum ducem. (10) relicturos.

vero me enixe identidemque rogarunt, ut quatuor, sexve arces saltem ad titulum in Livonia retinendum, omnino relinqui Magno Duci procurarem: tum enim me posse pacis spem serenissimo Regi dare; cum quo uno de pace, omisso omnino Sueciae Rege, velit agere; eidemque tum Sveciae Regi suam gratiam Moscum ostensurum, si juste ac pacate secum agere voluerit(1). Denique petierunt a me, ut eorum diligentiae, ac quanto studio rem sui Principis agant, Magno ipsorum Duci, non solum scripto, verum etiam ipso in reditu meo, velim testimonium reddere. Quae si serio dicunt, ut mihi (nescio, an fallor) verisimile est, obsecro vestram D. M., ut non minorem mihi, quam Mosci faciunt, adhibeat fidem, quo tota res ad Dei gloriam quamprimum confici possit.

De arcibus autem, quae superioribus annis captae sunt, si quae in Regis potestate possint remanere, summa id fide ac diligentia fiet(2). At vero nisi possent eae(3) omnino retineri, quaeso vestram M. D., per sanguinem Christi, ne nimium volendo cuncta amittamus, praeclarissimaque occasio elabatur e manibus, statuendae Reipublicae, Livoniaeque assequendae(4), et alia meliora aggrediendi; exercitum vero non solum victorem, sed sapientis imperatoris exercitum in arces Livonicas sic deducendi, ut Divinum eo nomen, cultusque catholicus, duplici, cum regiae Majestatis, ac vestrae D. M. laude inferatur. Ceterum, quae arces a Moscis in Livonia petantur, ex schedula, quam modo mihi Mosci legati per Vicenotarium Zachariam miserunt, nocte ad gallicinium inclinante, videbit; quam schedulam, ab eis Ruthenice scriptam, mitto ad vestram M. D. (5). Ad quae omnia celerrimo ac planissimo responso opus est, si cito in meliora hyberna exercitum suum cum gloria deduci velit.

Sed est quiddam non magni momenti, de quo vestram M. D. rogatam in Domino velim. Andreas Apollonius nunc, post reditum ex Moscovia suum, incidit in febrim, ex eaque isthic in castris, antequam discederem, sanctissimis omnibus Sacramentis expiatus, ad Christum post meum discessum abiit; adolescens optime de Republica meritus, proque ipsa, et pro perhonorificae pacis tractatione, tanto itinere ter confecto, mortem adeptus(6). Quod igitur illi praemium a regia Majestate sperabam(7), id non dubito, opera et studio vestrae D. M., aliquibus, qui ad eum proxima consaguinitate pertinent(8), aliquando datum iri(9). . . . Ex Kiverova Horca pago, prope Paderovicium et Zapolsciam, nocte diei insequentis XV Decembris, 1581.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini, Tom. I, No 28. Conf. Moscovia, *pag. 73—75.*

---

(1) cum quo — voluerit, *ultima pars periodi e textu exclusa.* (2) *brevius*, ut aliquae in regis potestate maneant, curatur. (3) *h. v. deest.* (4) ac tot Livoniae arcium assequendarum. (5) *verborum ordo permutatus.* (6) perfunctus. (7) ille — sperabat. (8) eum contingunt. (9) *add. epistolae continuatio sequens:* Id quod enixe vestram m. d. rogo. Quod si fidum alterum interpretem Ruthenum, ob reditum in Moscoviam meum, sicut antea scripsi, assequi potero: maximam habebo gratiam vestrae m. d., quae novit, haec me non nisi ad Dei gloriam propagandam, Remque istam publicam, si quo possim officio, cum diuina gratia demerendam expetere. Haec vero omnia uti serenissimo regi, scio, esse mittenda a vestra m. d., ita non dubito, quin me apud ipsam majestatem regiam excusatura sit, si minus alias meas ad has litteras adjunxero. Approperat enim tabellarius, et haec satis futura videntur. Deus vestram m. d. sua gratia coelesti impleat.

XXVII.

Litterae Possevini ad Stephanum Poloniae Regem, de mutuis in conventu controversiis legatos inter regios et Mosсoviticos.

Письмо Поссевина Польскому Королю Стефану, о взаимныхъ прѣніяхъ между королевскими и Московскими послами на съѣздѣ.

Serenissimo (1) Poloniae Regi, Antonius Possevinus.

Hae sunt quartae litterae, quas post discessum meum e castris, scribo regiae Majestati vestrae, minus uberes futuras: quod aliis (2) omnia fere perscripserim, ac praesertim ante triduum iis, quas magnifico domino Cancellario scripsi. Quas omnes perventuras ad manum vestrae Majestatis puto, antequam hae reddantur. Colloquii porro legatorum, quod pene singulis diebus (3) apud me fuit (4), a die hujus mensis XIII usque in hanc diem (5), nondum is fuit exitus, quem optamus (6). Mosci enim perstant in eo, ut arces, a vestra Majestate superioribus annis captae (Polocensis, et quae ad eam attinent, non petuntur), omnino eorum Magno Duci reddantur. Reliquas omnes, quae in Livonia (7) sunt in potestate Magni Ducis, etsi ita se tradituros asserunt, ut aliquas sibi cupiant retinere: bona tamen spe sum, in potestatem vestrae Majestatis esse venturas (8). Sese autem, me quaerente, responderunt, in mandatis habere (9), ut illico (10), nulla interposita mora, reddant. De Nevelia quantumcumque difficultatis, ac deinceps de Velisio, Velicoluco et Zavolocia, privatim illis objecerim, quod nulla ratione restituendae sint (11): numquam tamen, aut colloquiis multis inter nos habitis (12), vel quantalibet industria uti potui, elicui, fore (13), ut eas vestrae Majestati relinquerent (14), si arcibus omnibus, quas habent in Livonia, cesserint. Haec res fecit, ut legati vestrae Majestatis alterum, alterum ego una, tabellarios ad magnificum dominum Cancellarium miserimus, a quo planissime de vestrae Majestatis animo certiores fiamus. Quod autem absolutionem hujus tractationis urgeant Mosci legati, quodque nulla fore opus ad Magnum Ducem remissione, mihi (15) asseveraverint: non omnino circuitionis, aut calliditatis signa esse videntur. Sed crastina die, vel perendie, omnia erunt, Deo dante, liquidiora, quae forsan, priusquam hae isthuc veniant, a domino Cancellario citatis equis mittentur. Ego huic aurigae discedenti nolui non dare nihil litterarum ad vestram Majestatem, quam Deus omnibus bonis et aeterna felicitate cumulet. Ex Kiverova Horca, prope Zapolsciam pago, die XVII Decembris, 1581.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini, Tom. I, No 29. Conf. Moscovia, *pag. 75.*

---

(1) Stephano. (2) *add.* litteris. (3) quotidie. (4) est habitum. (5) *ordo verborum perversus.* (6) *pass.* qui optandus est. (7) reliquas Livoniae omnes. (8) vestrae majestati deditum iri. (9) sibi — mandatum fuisse. (10) *h. v. deest.* (11) restituendas credam. (12) aut — habitis, *pericope haec omissa.* (13) industria usus, potui elicere *et cet.* (14) relicturos dicerent. (15) *add.* saepe.

XXVIII.

Litterae Possevini ad Stephanum Poloniae Regem, de conditionibus statuendae pacis cum Magno Moscoviae Duce, de consensu illius ad Livoniae arces cedendas, et caet.

Письмо Поссевина Польскому Королю Стефану, о постановленiи на посольскомъ съѣздѣ условiй, для заключенiя мира съ Московскимъ Государемъ, о готовности его къ уступкѣ Ливонскихъ городовъ и пр.

Serenissimo Poloniae Regi, Antonius Possevinus.

Quas mihi regia Majestas vestra Duneburgo litteras scripsit, eas heri accepi, cum non ita multò post, alias a Magno Moscoviae Duce accepissem; quas hac nocte, sicuti reliquas omnes (ternas enim hic accepi), legatis vestrae Majestatis legendas misi. Ex iis autem, quarum exemplum ad Majestatem vestram mitto, cognoscet, quantum mihi pergat Princeps ille calcar addere, ut pacis compositionem curem (1). Quae (nisi aliud latet, quod mihi ignotum sit) intra biduum triduumve, certis conditionibus statuetur, ita, ut Majestati vestrae Moscus totam, quam habet in manibus, Livoniam cedat; Velisium item relinquat; tormentorum partem iis in arcibus quondam de Polonis captorum restituat; intra octo hebdomadas, arces illas omnes Livonicas dedat, quae in ejus potestate sunt, ab ipsaque civitate Derpatensi incipiat. Vestra vero Majestas Lucum, Zavolociam, Neveliam, Chelmum, quasque Plescovienses arces superiore anno cepit, cum iis tormentis, quae erant Mosci, Mosco restituat; exercitum Plescovia deducat, novemque ad annos pax utrimque sit: quamvis, ut haec sit longior (cum, quas (2) dixi, a Magno Duce litteras acceperim), tentaturus sim. Restat nodus de captivis. Secus enim, quàm in castris statutum fuerat, nobisque vestra Majestas dictaverat, legati regii dicunt fieri, novo mandato accepto, oportere. Hodie vero altera in legatorum conventu plenipotentia lecta est, quam Moscus mihi (3) misit, admonitus, primam invalidam esse. Missum est enim hinc ad ipsum plenipotentiae vestrae Majestatis exemplum, quod ego tradideram Moscis. Cum vero ex aliarum litterarum exemplo, quas mihi Moscus paucos ante dies misit, sit adhuc vestra Majestas plenius (4) intellectura (quod ipsi ex Biscovicio scripseram); propterea non est opus (5), quod longius respondeam litteris Majestatis vestrae, quibus dignatur me urgere, ut curem a Mosco, quidquid habet in Livonia, ut libere tradat (6). Id enim, sic Deo juvante, curavi, ut etsi nobis fuerat scriptum ex castris, licere aliquas Livoniae arces Moscis offerre, legatique vestrae Majestatis eas parati erant offerre, si Zavolocia, Velisium etc. vestrae Majestati relinquerentur: fuerim tamen auctor, nihil ut earum offerretur, cum e Moscis interius, quae eatenus abdiderant, elicuissem (7). Exemplum vero novissimae plenipotentiae, quam Moscus misit, nisi magnifici domini Cancellarii puer, qui in castra approperat, poterit expectare, per alterum isthuc rectà venturum confestim, Deo juvante, mittam. Nunc, quod ad ipsam tantae victoriae absolutionem spectat, fortissimo et christiano Regi proponam (8). . . . Ex Kiverova Horca, die sanctissimae Epiphaniae advesperascente, 1582.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini, Tom. I. No 22. Conf. Moscovia, *pag. 80 – 81.*

---

(1) procurem. (2) *pronomen hoc mendose omissum.* (3) *h. v. deest.* (4) planius. (5) *dictio haec deest.* (6) *in modo infin.*, libere tradi. (7) Id enim – elicuissem, *tota haec periodus desideratur.* (8) *add.* fidenter. *In autoris «Moscouia» reperitur con-*

XXIX.

Litterae Possevini ad Cardinalem di Como, Statûs secretarium, de pace facienda Magnum inter Moscoviae Ducem et Regem Poloniae.

Письмо Поссевина Папскому Статсъ-Секретарю, Кардиналу di Como, о предстоящемъ мирѣ между Государями Московскимъ и Польскимъ.

Al Cardinale di Como Segretario di Stato, il P. Possevino.

Alli 18 del mese passato mandai a V. S. illustrissima tutto ciò, che passava fragli ambasciatori del Re di Polonia et del Moscovito, il quale maneggio tuttavia dura: sebbene dopo molti incontri pare che non sia lontano dal fine, siccome vedrà dalle alligate copie, le quali ho questi giorni scritte al signor Cancelliere, et hoggi al Re.

Gli atti di questo abboccamento di legati per ciò ch' è stato fatto sotto l'autorità et nome di sua Santità, deferendomi tutti essi il primo luogo, et l'arbitrio di varie controversie, manderò a V. S. illustrissima, come io spero, fra quattro giorni, se la pace seguirà. Fra questo mezzo come humilissimamente domando nel principio di questo nuovo anno la benedizione per me, et per quei, che sono meco da sua Beatitudine, così la supplico di dar quell' avviso di me al Padre Generale nostro, che giudicherà opportuno, perchè ei ci raccomandi alle orazioni della nostra Compagnia. Dio conceda ogni augumento di grazie a V. S. illustrissima coll' augumento di questo anno. Di Kiverova Horca nel paese del Moscovito, il santo giorno dell' Epiphania, 1582.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 23.

---

tinuatio hujus epistolae sequens: Derpatum primaria ciuitatum episcopalium est, quam Deus v. m. tradidit, earum, inquam, quae nunquam in regum Poloniae potestate fuerunt. In ea jam intellexi, quodnam vestrae majestatis consilium fuit, quasque litteras ad pontificem maximum scripsit; quidque mihi identidem dicere dignata est, cum et episcopum catholicum, et collegium, atque ejus generis pleraque omnia, Derpati et alibi statuisset imponi. Id igitur erit eò facilius vestrae majestati, quod, e quibus reditibus wladyka, poppi atque archipoppi a Mosco attributis alebantur, ex iis, cum illi nunc revocentur in Moscouiam, divinus cultus rite restitui poterit. Verùm quoniam N. haeretico ad sua redeunte, nouit majestas vestra, quantum non alteri modo collegio nostro, sed universae catholicae religioni impedimenti illatum sit: obsecro vestram majestatem, per misericordiam Christi, per quem reges regnant, ut cùm sincerum, neque nutantem catholicum toti Livoniae praefecerit, tum arcibus eos praeficiat, a quibus nomen ecclesiaque Dei non blasphementur. At vero Derpati nemo (quod sciam) aptior videretur, quam dom. Zebridovius, qui sexennium, magno animo, magnis sumptibus, summa fide catholica vestrae majestati inserviuit, praeter ejus patris antiquiora erga Rempublicam merita. Quem Zebridouium etsi in castris noveram, quod Lublini collegium de Societate nostra cùm instituisset, in ipsa pene acie diligentissime me urgebat, ut in eam vineam, satis incultam, operarios quamprimum mitti curarem: interius tamen ejus pietatem cognovi, cùm mihi adhibitus est in hoc itinere comes et dux. Tempore autem hujus conventus, fidissimam Reipublicae ac vere christianam operam praestitit. Hunc ergo de christiana nota vestrae majestati commendo, testatus Deum, neminem hac de re mecum esse locutum; priusquam me rem Deo commendante, id mihi ipsi venisset in mentem. Quod si vestra majestas id effecerit, paxque haec videbitur non infirmis fundamentis niti, audebo in reditu ex Moscouia meo, rogare vestram majestatem, ut illustrissimum dom. Andream Batorium paret ad eam vel legationem, vel missionem, quam in castris vestrae majestati scripto ac voce proposui. Id enim quantae Dei gloriae, dignitatique illustrissimi illius principis, et Livoniae firmitati futurum sit, non dubito, quin optime vestra majestas intelligat. Quam, hoc noui anni initio, omnibus diuinae sapientiae donis augeri percupio atque a Deo contendo.

XXX.

Litterae Possevini ad Cardinalem di Como, Statûs secretarium, de pace inita ad decennium inter Magnum Moscoviae Ducem et Poloniae Regem; de Collegio Ruthenorum Romae fundando; de filii ejusdem Ducis obitu, et caet.

Письмо Поссевина Папскому Статсъ-Секретарю, Кардиналу di Como, о заключеніи мира между Государями Московскимъ и Польскимъ на десять лѣтъ; о предначертаніи учредить въ Римѣ Русскую Коллегію; о кончинѣ Царевича Іоанна Іоанновича и пр.

Del P. Possevino al Cardinale di Como, segretario di Stato.

Già sei giorni scrissi, in che stato erano le cose della pace, le quali dal 13 del passato si erano dagli ambasciatori di amendue questi Principi trattate alla presenza mia. Hora avendo la divina provvidenza, disposto che hoggi in questo luogo assignato alla conclusione di questo negozio si sia giurata et sottoscritta da tutte due le parti la detta pace, ho pensato darne avviso subito a nostro Signore, supplicandolo humilissimamente che coll' attioni di gratie a Sua Maestà Divina voglia colle orationi et suo, et altrui talmente ottenerne lo stabilimento, che possa riuscire a gloria di Dio Signor nostro, a cui solo sia ogni gloria. Amen.

Tutto quello poi che degno o di memoria, o d'istruttione per l'avvenire è paruto doversi tessere di questo negozio, vostra Signoria illustrissima lo vedrà negli atti alligati, che io le mando, i quali anco per giustificatione della Sede Apostolica penso che costi si conservino.

Hieri i Palatini (se i Moscoviti dicono il vero) si mandarono a chiamare di Novogardia, perchè venissero a restituire trentuna fortezze della Livonia, o per dir meglio a cederle in mano al Re di Polonia, fra le quali è Derpato città, a cui sarà necessario un Vescovo con lingua nota a quelle parti, se si rende.

Il Re parimenti, siccome scrissi, restituisce Vielikiluchi, Zavolocia, Nevelia, Chelma, et alcune piccole fortezze di legno, et alcune di muro, prese questa estate passata. La pace sarà per dieci anni. L'artiglierie, colle quali le fortezze si trovavano quando furono prese, si rendono da amendue le parti; l'esercito che era intorno a Plescovia, comincierà a marciare verso la Livonia; nella quale forse resterà Governatore un nipote del fratello del Signore Andrea, et il quale è Generale degli Ungheri. Gli ambasciatori del Re saranno i primi ad andare al Moscovito per la sottoscrittione, et giuramento, il che sarà il giorno della Santissima Trinita di questo anno. Quei del Moscovito verranno al Re all' Assunzione della Beatissima Vergine, pure di quest' anno. Nei quali viaggi forse non sarà importuno l'aver pensato a mezzi di lettere, et di persone, che con tali compagnie vadano tessendo la tela cominciata, o almeno tentandone l'orditura; sebbene quanto alla Religione questi Moscoviti mostrano in fatto una profonda alienatione dà cattolici. Sia tutto ciò detto a V. S. illustrissima per ogni evento, che in cosi lunghi viaggi, et con tal gente, di cui qui si è scoperta assai più la natura di quel che fatto si era, potesse venire nella mia persona. Penso però che ritornerò con questi ambasciatori al loro Principe, il quale suole spedire ognuno, che di fuori gli viene mandato, qualora è giunto al fine dè suoi disegni.

M'ingegnerò, se avrò persona fidata, di mandare parte in Latino, parte in Ruteno lettere

scrittemi, e datemi dal Gran Duca di Moscovia in Vilna al colloquio nostro, perchè quivi si serbino (se di me altro avvenisse), per quel, che giudicasse nostro Signore, che dovessero servire alla consequenza dè negozii.

Io scrivo al Re et alla Regina di Polonia ciò, che dalle alligate vedrà V. S. illustrissima. Se si penserà per le cose di Suetia dare alcun ricordo a Monsignor reverendissimo il Nuntio in Polonia, quando costà fossero pervenuti avvisi, che a me sieno ignoti, forse V. S. illustrissima giudicherà di prevenirlo con mostrar confidenza di cotesta Santa Sede nella persona, che andrà in Suetia, la quale sarà forse il signor Christoforo Varsevicio, fratello del P. Varsevicio.

Et perchè se Dio Signor nostro disporrà che io ritorni, desidererei trovare alcun mezzo per lasciar qualche fundamento al Seminario dè Ruteni, se a sua Beatitudine sarà piaciuta la mia proposta; però io humilissimamente la supplico di farmi dare qualche avviso, non potendo io negar, che come in questi eremi, et borghi della Scithia siamo senza alcun' humano conforto, così di non poca consolazione ci sarà, almeno nel ritorno, trovar che questi viaggi habbiano partorito qualche principio di què mezzi, che sono necessarissimi a chi vuol fabricare a suo tempo in queste parti, poichè Cristo Signor nostro non mandò la gratia in alcuna provincia prima che fussero formati strumenti idonei a portarla.

Così con ogni riverenza quanto posso efficacemente supplico nostro Signore, che pensi a mandare et del Collegio Germanico, et di dovunque giudicherà potersene avere, persone, le quali nella Livonia lavorino prima che altri nel luogo dè scismatici, che se ne partiranno, v'introduchino heresie et ateismo. In che dagli eretici non si dorme. Mando per questo la Livonia ritratta al vero con penna; et me stesso co' miei compagni raccomando humilissimamente alle orationi di V. S. illustrissima, alla quale Dio Signor nostro conceda questo, e molti felicissimi anni. Amen. Di Chiverova Horca, il XIII de Gennaio, 1582.

Gia sono alcuni giorni che si sparse romore della morte di Giovanni primogenito del Moscovito. Da poi me ne scrisse il Signor Cancelliere, et ultimamente essendosi presi tre Moscoviti della guardia di Novoguardia, attestano esser vero che mori, et si sepeli in Mosca. Era di 20 anni, nè resta altro figlio, che si sappia, a quel Principe, eccetto uno, delle cui qualità altre volte scrissi, siccome anco ultimamente feci al Commentario delle cose di Moscovia.

Aggiungono quei prigioni, che i popoli nominati Czeremissi, i quali nè Tartari sono, nè cristiani, si erano sollevati contro il Moscovita, a cui, come al restante di questa natione, forse queste vexationi daranno intendimento.

Di Plescovia ultimamente sendo usuti un buon numero di gente per scaramucciare, scrisse il Signor Cancelliere che furono uccisi 300, et 60 fatti prigionieri.

Il Re di Polonia andando a Vilna perdette da 500 carri, et gli furono uccisi alcuni per uscita fatta da Moscoviti fuori di un luogo, per dove si passava.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 31.

XXXI.

Litterae Possevini ad Reginam Poloniae, de ratione, qua Svecorum Rex in tractatione pacis Principes inter Poloniae ac Moscoviae admitti possit.

Письмо Поссевина Польской Королевѣ, о мѣрахъ къ принятію Шведскаго Короля въ союзъ, при мирномъ договорѣ между Государями Московскимъ и Польскимъ.

Serenissimae([1]) Reginae Poloniae, Antonius Possevinus.

Cum a serenissimo Rege (Poloniae) in Moscoviam proficiscerer, id quod mihi a summo Pontifice, atque ab ejus Majestate regia de serenissimo Sueciae Rege mandatum fuerat, ut inter pacis conditiones adnumeraretur, egi diligenter. Cùm vero ex castris ad Plescoviam, ad hunc legatorum conventum, qui hîc, me praesente (sicut uterque Princeps statuerat), habitus est, venissem, regiam Majestatem rogavi, ut dominum Christophorum Varsevicium huc mitteret, qui cùm huic ipsi conventui interesset, causam item serenissimi Regis Sueciae sic ageret, ut et ille et serenissima Sueciae Regina intelligerent, quantum ponderis habuerit vestrae Majestatis apud serenissimum Poloniae Regem commendatio, ut ne ille in hac tractatione pacis intermitteretur: sicut non semel (ac quidem accurate) a regiis legatis, atque a me ipso (sicut et antea in Moscovia tentaveram)([2]) tentatum est. Verumtamen, quoniam serenissimus Poloniae Rex([3]) neque ad summi Pontificis, Regisque nostri([4]) litteras, ea de re quidquam in tempore([5]) responderat([6]); nec dominus Pontus à Guardia, ad quem e castris, Rege ipso serenissimo nostro([7]) consentiente, litteras in Livoniam miseram, mihi quidquam rescripsit; nec vero haberemus, quid Mosci legatis responderemus, cùm nobis objicerent, neminem in conventu legatorum esse, qui pro serenissimo Sueciae Rege de pace aut ageret, aut plenipotentiam haberet: propterea nihil certi effici potuit, nisi quod idipsum mihi legati Mosci responderunt, quod Moscus ipse Stariciae responderat, nempe, si serenissimus Sueciae Rex legatos de pace in Moscoviam mitteret, eos honorifice acceptum iri. Ego vero, qui haec praenoveram, ac serenissimo Regi nostro([8]) praedicens, proposueram, expedire, ut dominus ipse Varsevicius ad conventum veniens, primo vere in Sveciam mitteretur, testaturus hanc serenissimi Sueciae Regis diligentiam et reliqua procuraturus, quae ad totam rem cum ipso serenissimo Sueciae Rege tractandam pertinerent([9]): existimavi mihi faciendum, ut etiam curarem (quemadmodum nunc facio), ut idem ipse dominus Varsevicius ad regiam([10]) Majestatem allegaretur, quam de omnibus rebus faceret certiorem. Vestra autem Majestas regia([11]) posset in tempore serenissimam Sueciae Reginam praemonere([12]), ut serenissimum ejus conjugem permoveret ad ea, quibuscum regno

([1]) Annae. ([2]) *verbum hoc omissum.* ([3]) *tres voces desunt.* ([4]) hujus serenissimi. ([5]) *h. v. deest.* ([6]) *impers.* responsum non est. ([7]) *h. v. deest.* ([8]) *h. v. iterum deest.* ([9]) et reliqua — pertinerent, *pericope haec desideratur.* ([10]) vestram. ([11]) *h. dictio deest.* ([12]) *add. in parenthesi:* et id quidem duobus itineribus.

Poloniae reliquae difficultates possent complanari, ne gravius in Livonia bellum inter duos Reges exardesceret. Quamobrem ipse quoque dominus Varsevicius, si in Sueciam trajecerit, erit a vestra regia Majestate iis de rebus docendus, quae ad tantum negotium(1) spectant. Neque enim dubito, iniri posse in Comitiis rationes, quibus ei, quod Regi(2) Sueciae debetur, satisfiat(3).... Ex Kiverova Horca, die XXIII Januarii(4), 1582.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini, Tom. I, No 30. Conf. Moscov. *pag. 107 — 108.*

XXXII.

(*) **Acta in Conventu legatorum serenissimi Poloniae Regis Stephani Bathorii(1), et Ioannis Basilii, Magni Moscoviae Ducis, praesente Antonio Possevino de Societate Jesu, nomine Gregorii XIII, Pontificis maximi. Anno 1581, mense Decembri(2).**

Дневникъ мирныхъ переговоровъ между Русскими и Польскими уполномоченными, происходившихъ, при содѣйствіи Папскаго легата Антонія Поссевина, въ Запольскомъ яму, въ Декабрѣ 1581 и въ Январѣ 1582 года.

I. Cùm Antonius Possevinus cum Magno Moscoviae Duce et Stephano Poloniae Rege egisset de mittendis aliquem ad locum legatis, de pace tractanda, delectus est a Magno Duce Jamus in Zapolscia pagus, Velicoluco viginti milliaribus germanicis, totidem a Plescovia distans. Qui pagus cùm a Cosacis militibus Regis fuisset antea combustus, alter pagus habendo Conventui delectus est, duobus inde milliaribus germanicis propior Porcoviam, inter Paderovicium atque Zapolsciam, vocatus ab incolis Kiverova Horca, quae postrema vox monticulum, sicut altera, id est, Kiverova, nobilis cujusdam familiam designat.

Ad eumdem locum, in hospitium Antonii Possevini, convenêre utriusque Principis legati, die XIII Decembris, anno MDLXXXI, qui dies beatae Luciae virgini et martyri est sacer.

Legatorum regiorum nomina fuere: Janusius Nicolai Zbaraskj, palatinus Braslaviensis,

---

(1) ad reliqua negotia. (2) *add.* serenissimo. (3) *In* Moscov. *reperitur continuatio epistolae sequens*: ut ille item se mitiorem reddat ad id concedendum, quod serenissimus rex ob Reipublicae bonum et commodum cupit. Quae ad comitia si venire potuero, fidelissimi hominis hac in re, uti summus pontifex jussit, operam praestabo, commendans me interim piis vestrae majestatis orationibus. Quam Deus omnibus bonis cumulet in aeternum. (4) *datum epistolae aliud*: die XIII Januar.

(*) In «Moscovia» ejus, edit. Coloniae, textus sic variatur:

(1) hujusnominis primi. (2) *add.* in Chiuerova Horca, ad jamum Zapolsciae, in Moscovia.

nomine regni Poloniae (1); Albertus Radivilius, dux in Olika et Nieswiz, Curiae Regis in Lituania marescalcus et capitaneus Caunnensis, nomine Magni Ducatus Lituaniae (2), uterque catholicus; praeterea Michaël Haraburda, Regius secretarius, Ruthenae fidei, si fides dicenda sit, quae a fide catholica aliena est. Hic autem saepe legatione ad Moscos, et nonnumquam ad Tartaros functus, valet (3) usu rerum, filiumque Collegio Societatis Jesu (4), quod est Vilnae, tradidit instituendum. Accedebat Christophorus Varsevicius, quem Antonius Possevinus procuraverat a Rege ad conventum mitti, tum, ut summo Pontifici satisfaceret (5), cupienti, ut in ea pacis tractatione Sveciae Regis ratio haberetur (cum tamen antea Rex ille ab Antonio Possevino, et adeo ab ejus Sanctitate praemonitus, nullum e suis legatum misisset vel ad Poloniae Regem, vel ad Moscum (6); tum, ut idem Christophorus, re tota cognita, si deinde, appetente vere, in Sueciam mitteretur, de Livonicis arcibus eo cum Rege, nomine Poloniae Regis acturus, non solùm ea componeret, quae inter Reges illos controvertuntur, verùm etiam Catholicae religionis negotium promoveret, vir (7) catholicus, ac tum ab Antonio Possevino de toto hoc Svetico (8) negotio diligenter edoctus, tum a Stanislao Varsevicio de Societate Jesu, apud Sveciae Reginam jam biennium commorante, ejusdem autem Christophori fratre, docendus.

Mosci autem legatorum nomina fuere: dux Demetrius Petri Jeletskj, praefectus Casinensis et aulicus Magni Ducis; Romanus Basilii Olferius, praefectus Coselnensis et aulicus Magni Ducis, ac frater Michaëlis Begini; Mikit Basenca, filius Nicephori Veresczahina, secretarius Mosci, quem illi notarium vocant; Zacharias Sviazeva, vicenotarius.

Fecerat sacrum Antonius Possevinus, atque aliquos de suo comitatu sanctissima Eucharistia parerat, cùm illicò utrique legati ad eum venêre; cujus ad dexteram in medio sederunt regii, ad sinistram Mosci legati consederunt. Stabat autem Basilius Zamaschius, Ruthenus, sed catholicus, ac Reipublicae fidus, alter e duobus interpretibus, quos secum Antonius Possevinus in Moscoviam adduxerat (9). Pauca praefatus Antonius de sinceritate, qua in tanto negotio esset agendum, quamque simplici oculo in ipsum Christum esset inspiciendum, qui est vera pax nostra, plenipotentiam utriusque legationis, sive mandata, quae vocant, procurationis depromi ac legi fecit. Primi Mosci suam legerunt, cujus verba sunt haec:

2. *Plenipotentia legatorum Mosci, quae Ruthenice, id est, Moscovitice fuit conscripta.*

Divina misericordia et clementia, qui (10) nos praefecit in Oriente ex altissimis, quique dirigit pedes nostros in viam pacis. Hujus ergo Dei nostri in Trinitate adorandi clementiâ, nos Magnus Dominus, Imperator ac Magnus Dux Joannes Basilii totius Russiae, Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Imperator Casani, et Imperator Astracani, Dominus Plescoviae, ac Magnus Dux Smolenscii, Tueriae, Permiae, Viatciae, Bulgariae et aliorum loco-

(1) *tres postremae dictiones desunt.* (2) *hae quatuor voces item desunt.* (3) valebat. (4) collegio nostrae societatis. (5) satisfieret. (6) cum tamen — ad Moscum, *haec sectio, parenthesi cincta, tota desideratur.* (7) *add.* nobilis. (8) *add.* religionis (9) *brevius:* cum illicò utrique legati ad eum venêre, quibus consedentibus, et altero e duobus interpretibus, quos secum ille in Moscoviam adduxerat, stante, pauca *et c.* (10) quae, *sic et alibi.*

rum, ac Dominus haereditarius terrae Livoniae, Stephano Dei gratia Regi Poloniae, ac Magno Duci Lituaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Principi Transsyluaniae et aliorum locorum. Misimus legatos nostros magnos, aulicum nostrum et praefectum Casinensem, ducem Demetrium Petri Jeletskj, aulicum nostrum et praefectum Coselnensem Romanum Basilii Olpherium, et notarium nostrum Mikitam Basenka, filium Nicephori Veresczahina, et vicenotarium nostrum Zachariam Sviazeva, ad conventum, pacis statuendae gratia, cum legatis tuis loqui. Et quaecumque illi incipient de rebus nostris dicere cum tuis legatis in conventu, eae res nostrae sunt. Scriptum in dominio nostro, in aula Slobodae arcis, anno a creato mundo septimo millesimo nongentesimo, mense Nouembri [1], dominii nostri quadragesimo septimo, et imperiorum nostrorum [2] trigesimo quinto, Casanensis vigesimo nono, Astracanensis vigesimo octavo.

Cum haec plenipotentia fuisset perlecta, visa est infirma; nec sine suspicione fuere legati regii, qui propterea, quas Moscus ad Poloniae Regem in castra per Zachariam Boltinum litteras miserat, legi jusserunt. His significabatur, non defuturum Moscum, quin legatos, cum integra potestate omnia transigendi, quemadmodum ad Moscum Antonius Possevinus scripserat [3], esset missurus. Tum Antonius litteras item, quas tum per Andream Apollonium ea de re sibi scripserat, cùm legi jussisset, eodem illac tenore, quo regiae, inventae sunt. Praeterea, quò plenipotentiae Mosci infirmitas dilucidius agnosceretur, plenipotentia regis a Michaële Haraburda perlecta est, cujus verba sunt haec:

3. *Plenipotentia Regis Poloniae, quae Polonice fuit scripta, utroque signo, Poloniae Regni et Lituaniae Ducatûs, obsignata.*

Nos Magnus Dominus Stephanus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Livoniae, Princeps Transsylvaniae et aliorum locorum. Notum facimus his litteris, Magnum Dominum Joannem Basilii, Dei gratia Dominum totius [4] Russiae, et Magnum Ducem Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Casani, Astracani, Plescoviae, Tveriae [5], Permiae, Viatciae, Bulgariae et aliorum locorum, scripsisse nobis per tabellarium suum Zachariam Boltinium, significans nobis [6] a legato sanctissimi Pastoris Gregorii XIII Pontificis maximi Romani, reverendo Antonio Possevino, scriptum ad se nomine domini sui, hortante sanctissimae apostolicae ac pastoralis Sedis auctoritate ad concordiam et pacificationem inter utrumque nostrum; utque ex utraque parte legatos unum ad locum mitteremus, qui, eodem summi Pontificis legato praesente, pacem inter nos possint constituere. Juxta quas legati Pontificis litteras, Magnus Dux legatos suos ad locum certum mittit, inter Porcoviam et Zavolociam, via Velicolucensi a Porcovia, ad Jamum Zapolsciae. Ideo et nos, sanguinis christiani effusionem nolentes videre, misimus ad eundem locum Jamum Zapolsciae legatos nostros, palatinum Braslaviensem, capitaneum Kremenescensem et Pinscensem, ducem Janusium Nicolai Zbaraskj; et marssalcum nostrum aulae Magni Ducatus Lituaniae, capitaneum Caunensem, Albertum Radivilium, ducem in Olyka et in Nieswiz; et notarium

---

(1) *add.* indictione decima. (2) *add.* Rossensis. (3) quemadmodum de Mosco — quaesiverat. (4) *h. dictio deest.* (5) *add.* Jueriae. (6) *h. v. deest.*

nostrum Magni Ducatus Lituaniae Michaëlem Haraburdam. Ac dedimus illis, et his litteris nostris damus([1]) plenipotentiam, ut convenientes cum legatis Magni Moscoviae Ducis, inter nos et Magnum Ducem Moscoviae, et dominia nostra, de amicitia et concordia colloquantur, et res constitutas litteris ac juramentis suis coram legato reverendo Possevino confirment, et ad effectum certamque confectionem et constitutionem suam adducant. Quae omnia sumus admissuri, contentique futuri, et inviolabiliter praestituri, quemadmodum juxta senatorum nostrorum consilium, qui eo tempore apud nos fuerunt, Regni Poloniae ac Magni Ducatus Lituaniae, verbo nostro regio pollicemur, et promittimus etiam pro successoribus nostris in istis dominiis totaque Republica, haec omnia, juxta constitutionem et litteras legatorum nostrorum, firme inviolabiliterque nos praestituros. Cum autem ad nos Magnus Moscoviae Dux legatos suos allegabit, tum nos legatorum nostrorum litteris nomen nostrum regium adscribere, et signo nostro obsignare, regioque jurejurando confirmare, easdemque litteras cum iisdem legatis ad Magnum Moscoviae Ducem remittere debemus. Eodem modo erga nos et successores nostros, atque erga nostra dominia, Magnus Moscoviae Dux, successores atque illius dominia se gerere debent. Propterea memoratis legatis nostris hasce litteras nostras, manu regia nostra subscriptas et obsignatas sigillis nostris Majestatis Regni Poloniae et Magni Ducatus Lituaniae, dedimus. Datum in castris nostris ad Plescoviam, anno Domini 1581, mensis Novembris die XXX, regni vero nostri anno sexto.

Quae omnia cùm essent perlecta, legati regii acrius urgebant, ut Mosci pleniora mandata depromerent, ac scirent, sese super fundamento tam infirmo reliquam tractationem non exstructuros; atque ad id Instructionis suae caput ea de re adhuc perlegerunt. Mosci autem excusarunt se, quòd is Magnorum Moscoviae Ducum scribendarum plenipotentiarum mos semper fuerit; quodque ex litteris Magni Ducis ad Regem et ad Antonium Possevinum scriptis satis intelligi poterat, sibi plenam potestatem ad omnia conficienda tributam fuisse. Addidere, cùm res ipsae, de quibus esset agendum, statim essent in effectum adducendae, frustra([2]) de plenipotentiae verbis queri, quam re ipsa et facto ipsi Mosci essent praestituri. Cum lites ex litibus sererentur, nec praesto([3]) aliquod remedium cerneretur, Antonius Possevinus regios monuit, ut ea de re protestationem facerent: sic enim se eam esse admissurum; deinde, ut in diem sequentem questio illa sic differretur, ut tamen nocte ea, quae primae diei Sessionem consequebatur, utrique legati suorum plenipotentiarum exempla confestim ad se mitterent; se, Deo re commendanda, Moscis privatim alloquendis, si quam alteram plenipotentiam haberent, examinandisque ipsarum plenipotentiarum exemplis impensurum. Quod cum factum esset, neque Mosci aliam haberent plenipotentiam, die sequenti legatis utrisque sic locutus est.

4. Die XIV Decembris, secunda legatorum Sessio.

Quandoquidem Mosci legati nullam se aliam habere plenipotentiam dicunt, nec credendum sit, Magnum Ducem non agere sincere, quippe qui sciat, fore, ut universus hic tractationis contextus Deo ac christianis omnibus innotescat: dicant, num jurabunt, scire sese alias

([1]) *hoc verbum omissum.* ([2]) *add.* regios, *i. e.* legatos. ([3]) praesens.

plenipotentiarum formulas, hisce de rebus a Magnis Moscoviae Ducibus scribi solitas esse, num vero alias item nunc ipsi legati afferant(¹)? Cumque ab extremo, qui erat Zacharias vicenotarius, fuisset interrogationum(²) orsus, se ille juraturum, respondit, qui cum Acta Mosci Secretariae ad centum annos legisset, nunquam se alias legisse formulas, dixit. Quod cum postea singillatim reliqui assererent, adjecit Romanus Basilii, se ante XX annos ad Sigismundum Augustum Regem internuncium venisse, pacemque quinquennii deinde, ejusmodi litteris patentibus a Mosco magnis legatis traditis, fuisse consecutam. Quaerenti autem Antonio de Michaële Haraburda, num aliquam earum formularum, vel litterarum umquam vidisset (expedivisse enim, ut hujusmodi aliquid Magni Ducatus Lituaniae secretarius secum attulisset)? cum Haraburda respondisset, nunquam talibus tractationibus, qualis erat haec, se interfuisse, nec proinde se plenipotentias vidisse: interrogavit regios Antonius, num quid aliud vellent dicere, antequam ipse, quid sentiret, exponeret? Perstare se quidem in incoepto, dixerunt, sed auctoritate Pontificis maximi moveri, ut et tractationem inchoarent, ac vero protestarentur, se priùs hinc non esse discessuros, quàm res ipsae, quas Mosci essent praestituri, efficerentur. Antonius autem, Cùm, inquit, nihil alterutri parti ex hac tractatione pereat, quae si in rem conferatur, maxima bona paritura sit; sin dolo malo fiat, in eos perpetuo cum dedecore sit casura, qui erunt in noxa; ac proinde alterutrius Principis sinceriorem agendi rationem maxime sit roboratura: ad rem ipsam, judico, esse deveniendum, sic, ne ipsa actio juris alicujus regiorum legatorum (quod ad plenipotentiam attinet) possit esse damno; interea vero legati Mosci sciant, a christianis aliis Principibus nullas ejusmodi formulas plenipotentiarum solitas esse conscribi. Tum conversus ad legatos regios, cum eos admonuisset, ut cogitarent, num, cum in Jamo Zapolsciae pacis ista tractatio haud fiebat, praebitura fuisset aliquam(³) turbationis materiam? alterque ex legatis Albertus Radivilius respondisset, nihil inde posse oriri quaestionis, quin et eodem in pago Jamo pacem posse confici, aut promulgari, dixisset; perrexit Antonius: quando ad victores, inquit(⁴), legem victis imponere pertinet, poterant regii legati conditiones pacis, quam Mosci jam tertio per tres legationes petierunt, primò proponere. Ad ea palatinus Braslaviensis (gratiis actis summo Pontifici, atque ei(⁵), quem ejus sanctitas miserat, quod laborem hunc pacificandi utriusque Principis tam paternum suscepisset), Livoniam totam, eam, scilicet, quae in manu esset Mosci, diserte et graviter petiit, quae nisi concederetur, neutiquam, inquit(⁶), se progressuros, nec adeo reliquae tractationi interfuturos.

Cum Mosci nimium hoc esse dicerent, multaque intersererent, quibus regiis persuaderent, ne sanguis funderetur, et fieret aequalitas, si vellent, ut vera pax fraternitasque consequeretur: ad earum autem Livoniae arcium numerum, quas per Antonium Possevinum se traditurum Magnus Dux tres ante menses promiserat, Goviam addidissent; ad eaque omnia palatinus rursus respondisset: legati Mosci urserunt, ut regii item dicerent, ecquid sese Magno Duci daturos haberent in mandatis. Moscum enim petere Plescovienses arces, ac reliquas, quae superioribus annis a

(¹) num vero — afferant, *pericope haec deest.* (²) interrogationem, *paragramma videtur.* (³) alicujus. (⁴) *verbum hoc deest.* (⁵) Antonio. (⁶) *hoc verbum item omissum.*

Stephano Rege fuerant captae, Lucum, Veliziam, Zavolociam, Neveliam, Chelmum, et si quae essent ejusmodi aliae.

Regii se multum dare, dixerunt, qui certam spem Plescoviae ac Novogardiae potiundae essent relicturi: qui 40 milliaria dictionis Mosci, quam hoc anno occupassent, in ditionem Magni Moscoviae Ducis redire permitterent; qui victorem essent exercitum deducturi; qui tot sumptus fecissent: quia Moscus, quae per suos legatos Vilnae promisisset, non praestiterit, ac tamen ipsi quatuor arces Plescovienses se restituros([1]), dicerent.

Contra Mosci, nisi de reliquis arcibus([2]) agatur, nihil effici posse: tot Livoniae arces non parum constitisse Magno Duci, ut gratis eas dedat; Plescoviam ita esse munitam, uti regii erant experti, qui si arces illas alias ligneas, quas interdum vocabant corbes([3]), expugnassent, istam nondum cepisse, nec adeo posthac (ut neque aliâs) expugnaturos. Quae cùm variis colloquiis totam pene diem usque ad noctem adduxissent, instarent autem regii, ut Antonius Possevinus illos prorsus vel in castra, vel ad Regem vellet dimittere, postquam Mosci de Livonia tradenda nihil certi aperirent; id vero quoque studio regii facerent, ut negotium citius conficeretur: se quidem (ait Antonius) illos nocte dimittere, verum ita, ut omnino postridie mane redirent, quemadmodum factum est.

5. Die XV Decembris, Sessio legatorum tertia.

Cum regii legati ex eo Zapolsciae pago advenissent, in quo duabus circiter leucis a Kiverova Horca commorabantur, Mosci item statim (quia in Kiverova manebant) adfuissent; tota pene dies tribus capitibus rerum agitandis insumpta est.

Proposuêre non sine querela regii, quod Mosci tempus eximerent, ne Livoniam totam traderent. Adjecêre, petere se, ut Magnus Dux titulo jureque Livoniae cederet; denique, ut Sueciae Rex inter pacis conditiones adnumeraretur. Tum dixerunt, se praeter ea, quae de Plescoviensibus arcibus, Moscique ditione hoc anno occupata promisissent, Chelmum item arcem superiori anno captam redderituros; satis autem multum hoc esse, cum Regi Poloniae plures Livoniae arces, quas alii cepissent, ista Magni Ducis cunctatione decessissent. Ceterum, habere se in mandatis a Rege, ut quam citissime tractationem istam absolvant; et([4]) Antonio Possevino protestari, diuturniores moras pati non posse, quibus etiam omnino ultra triduum, vel quatriduum eo in loco non sit commorandum.

Ad ea legati Magni Ducis cum pleraque respondissent, quae superioribus diebus, de aequitate servanda, de elatione animi vitanda, deque sanguinis effusione declinanda dixissent, quodque regii visuri denique essent, super quos tantus sanguis casurus. De Sueciae autem Rege se nihil habere in mandatis, quod agerent: eum, si velit ad Magnum Ducem de pace mittere legatos, non frustra missurum. Haraburda autem, qui unà cum Hornostajo quondam in legatione ad Magnum Ducem iverat, cum nihil praeter illa, quae habuisset in mandatis, egisset; cogitandum esse sibi quoque, Magni Ducis legatis intra fines muneris sibi praescripti manendum: Livoniae igitur arces regiis promiserunt, Pernoviam, Pajdanum, Korstinum, Huntetz, Kurslovum, Porcholiam.

([1]) *add.* Mosco. ([2]) *add.* in Livonia Mosco relinquendis. ([3]) ligneas — corbes, *hac dictiones omissae.* ([4]) se

Sed cum regii totius Livoniae restitutionem titulíque et juris ipsius cessionem iterum urgerent; Antonius Possevinus, qui antea noverat, eam legatis regiis non fuisse plenissimam facultatem traditam, de arcibus a Rege captis restituendis, quae videbatur fuisse peropportuna, quamque Antonius, antequam e castris discederet, a Rege petierat; utrisque autem legatis de Sueciae Rege, ac de cessione juris et tituli Livoniae, graves(1) suae essent rationes: precatus legatos per Christi sanguinem, perque id, quod erga sanctam Sedem(2) obsequium ostendebant, ut in tanta re nihil praecipitis deliberationis adhiberetur, petiit, num tantisper his de rebus sibi cogitare liceret, dum ad rem aptius, atque ad pacis solidioris compositionem expeditius posset respondere. Cui cum annuissent, tum ille: crastina dies Sessione vacabit. De Livonia vero tota reddenda, cum Magni Ducis legati jam sex alias arces obtulerint, dicant autem regii, nil se aliud dicturos, nisi arces reliquas tradant; cumque utrique non satis se aperiant: suas excutiant Instructiones et videant, quid et quantum possint praestare, ut ad sequentem Sessionem parati, ac sine ulla tergiversatione, ad id(3), quod aequissimum est, accedant.

Discedentibus regiis, cum Magni Ducis legati ad multam noctem (quod saepe faciebant) apud Antonium mansissent, deque Livonia quid in mandatis haberent, liquidius ac fidenter, ei roganti (quantum ad pacem citius faciendam expediret), aperuissent, data ei facultate, ut ad Joannem Zamojscium, regni Poloniae supremum Cancellarium et generalem Capitaneum, de tota re citatis equis perscriberet, cui integerrimam rei conficiendae potestatem Rex tradidisset; missae eâdem nocte litterae sunt in castra. Ad quas cum tardius responsum rediisset(4) (quatriduum enim effluxit): multum fuit Antonio, quod ageret in eximenda Moscis suspicione de regiis, hisque vix excusandis, quod cùm(5) scripto plenissimam potestatem se ad omnia habere dixissent, inde plenior Moscorum esse illa videretur, quae paucioribus verbis esset comprehensa. Biduo itaque dilato, cùm regios monuisset Antonius, ut colloquio interessent, in quo saltem de Rege Sueciae agi posset, die XVIII(6), de more, apud eumdem convenerunt(7).

6. *Die XVIII Decembris, Sessio quarta.*

Antonius Possevinus, cui a legatis ad cogitandum delata res erat, fateri se, inquit, majoris id esse momenti, quàm fortasse putaretur, quod de Sueciae Rege, deque cessione tituli jurisque Livoniae petebatur a regiis. Et a Pontifice quidem maximo se habuisse in mandatis, ut ea de re Sueciae Regis, tamquam sanctae Sedis amici, ageret. Quod quidem Staricae cum Magno Duce, tam ejus Sanctitatis, quàm Stephani Regis nomine, quinquies diligenter egisset, nec Magno Duci displicuisse, ut in Sueciam (quemadmodum fecerat) litteras de tota re mitteret. Nunc videri sibi, Stephanum Regem nulla ratione posse istud officium pro affine ac fratre suo deserere; cùm etiam occasionibus futuri belli praecidendis, valde id esset commodaturum. Proinde si quid Magni Ducis legati haberent, quod responderent, se, priusquam aliquid aliud diceret, libenter auditurum.

(1) *haec dictio deest.* (2) *add.* apostolicam. (3) ab eo. (4) pervenisset. (5) qui. (6) die XIV, *mendum typographi* (7) *add.* omnes.

Mosci responderunt, se nihil, ut dixerant, a Magno Duce ea de re in mandatis habuisse, id autem per legatos Suecos agi posse; quaerere vero se de regiis, num haberent a Sueciae Rege plenipotentiam ullam? Quod cum negassent, quid, ajunt, igitur vultis agi de negotio hoc, in quo etiamsi nobis agere aliquid licuisset, nihil tamen solidi effici (1) posset, praesertim, quod et alia inter Magnum Dominum nostrum et Sueciae Regem controvertuntur? Nam praeter Livoniae arces, Coreliamque et Ivanohorod, Jamam ac forsan alias hoc biennio occupavit. Tum Antonius, regiorum erga Sueciae Regem pietate commendata (2), Moscorum item responso audito (cui non facile poterant regii respondere), id unum restare, dixit, ut tempus saltem intercederet, quo inter Sueciae Regem et Magnum Ducem per legatos (si ji noluissent) invicem agi de tota re posset. Cum vero Mosci ad ea nihil respondissent, quippe quibus neque hoc fuisset a Magno Duce mandatum, ad alia ut progressus fieret (jis modò negotiis omissis), unanimes omnes legati consenserunt. Atque eo magis regii, quod in mandatis habuerant, ne, si Suecus a pace (3) excluderetur, propterea a pace facienda desisterent. Cum vero de titulo et jure Livoniae tradendo Mosci legati dicerent, se nihil prorsus habere, quod agerent; nec videri aequum, ut ex Livonia prorsus eorum Princeps excluderetur (4); nec dum vero e castris advenissent a Joanne Zamojscio, supremo regni Poloniae Cancellario (5), literae, quas Antonius legatique regii expectabant, ut de primario negotio aliquid statuerent: finis ei Sessioni impositus est.

7. Die XX Decembris, Sessio quinta.

Cum post superiorem Sessionem, Stanislaum Zolkievium (6) Joannes Zamojscius ad Antonium Possevinum cum litteris credititiis misisset, perque eumdem significasset, ob bonum pacis, posse Magni Ducis legatis tradi Novogardiam Livonicam, duasque alias Livoniae arces, a Rege captas (7), quibus versus Narvam et mare Moscis liber aditus pateret, dum arces a Rege captas, Velicolucum, Zavolociam, Neveliam, Velisium (8) in Regis potestate sinerent; quin item Velicolucum restitui posse (nisi omnino secus fieri pax posset), dum tamen nihil in Livonia daretur Moscis: sperare enim se, quamvis ea de re mandatum a Rege non haberet, Ordinibus tamen ac Regi id omne probatum iri. Antonius novo hoc consilio non mediocriter sollicitus fuit, tum quia Cancellarius (9) nullum chirographum miserat, quo chirographo (cum fere ad Antonii fidem atque judicium, ut dicebat Stanislaus (10), ea vel arcium in Livonia traditio, vel restitutio Velicoluci referebatur), aut rite in rem conferri negotium posset; vel, si regno Poloniae aliquando istius rei ratio reddenda fuisset, id liquido fieri posset. Quod si postea id consilium aut mutatum (quod non semel aliis in rebus Antonius erat expertus), aut a regiis legatis fuisset non leves ob causas impeditum (neque enim sibi quidquam a Rege ea de re praescriptum esse dicebant): Antonius inani promisso lactasse, aut adeo decepisse Magni Ducis legatos videretur; quod quidem Divino in Moscovia cultui promovendo admodum esset incommodaturum. Accedebat iterata saepissime a Rege petitio universae

(1) confici. (2) studio commendato. (3) *dictio haec deest.* (4) ejiceretur. (5) *titulus omissus.* (6) *add.* palatini Belzensis filium et consangvineum suum. (7) *ambae dictiones desunt.* (8) Velisiam. (9) Zamojscius. (10) *pro nomine scriptum cognomen.*

Livonicae provinciae[1], cujus ne spithama quidem cedere posset, licet vellet; ad quod decreto Ordinum regni, et jurejurando Regem teneri, cùm aliâs, tum discrtissime a regiis legatis[2] identidem dictum fuisset.

Ac Antonius quidem a Rege Cancellarioque[3], paucos ante dies, per litteras petierat, num, si tota Livonia Moscus cedere nollet, sibi in Moscoviam redituro procurandum esset, ut Magni Ducis legati Varsaviam ad futura Martii mensis Comitia venirent: sic enim rectius ab Ordinibus regni, aut ei decreto posse derogari (quatenus Livoniae nonnihil Magno Duci concederetur); aut, si e Republica judicaretur, ut in belli continuandi proposito perstaretur, tum legati Mosci, consensum regni ipsis oculis cernentes, facilius ad propositas pacis conditiones descenderent; hyeme interim bellici negotii inchoati persecutionem haud eximente. Verum Cancellarius[4] litteras Idibus Decembris datas, et eadem ipsa die per alterum tabellarium redditas, qua idem Stanislaus[5] cum brevibus illis alteris credititiis venerat e castris, Antonio scripsit, nihil opus esse, ut de mutando decreto ageretur. Stare enim Regis et Ordinum sententiam: si nollet Moscus assentiri toti Livoniae tradendae, rem armis esse decernendam. Itaque ab Antonio[6] tota re cum legatis regiis communicata, hi judicârunt, a se de Livoniae arcibus nihil agi, atque adeo omnino proponi debere: legatos enim Mosci, quibus satis erat persuasum, Stephanum Regem integram Livoniam velle, quique jam non minima praebuerant argumenta ejus restituendae, in spem venturos, alia quoque Magno Duci a Stephano Rege relictum iri; resque regias proinde pejore esse in statu, quam antea: unde pacis compositio extrahi posset; praeterquam quod, cum eas arces voce tantum consanguinei sui Stanislai Cancellarius offerret[7], tutum regiis non esset, ut eas nomine Regis Mosco offerrent[8]. Itaque cùm Cancellario[9] rescribendum esse existimassent, Antonius quoque sequentes litteras ad eum misit, multa, quae maxime ad celerem et honorificam pacis confectionem spectabant, si ad rem, non amissa tanta occasione, veniretur, per eumdem Stanislaum[10] significans, quae litteris non erant committenda. Sic jam[11] Sessionis illius pars privatae huic tractationi, antequam legati Mosci advocarentur, extracta est.

8. *Epistola Joannis Zamojscii, supremi Cancellarii regni Poloniae et generalis Capitanei, ad Antonium Possevinum.*

Quae dominationi vestrae de eruptione Moscorum, deque illorum castigatione scripsi, vera sunt. Quae vero de indicio Petri Koltowskj vere scripta significantur, vera ut sint, magis opto, quàm arbitror. Nam, nisi pax cohibet[12], hostem ego quaeram, nisi me ipse quaesiverit. Sed haec satis. Litteras dominationis vestrae summa celeritate mitto ad regiam Majestatem. Frustra tamen dominatio vestra rem differt[13], ut ego judico, ut de cedenda aliqua Livoniae parte in Comitiis deliberetur. Nemo enim patriae bene in futurum prospiciens, vel in Conventu etiam ipso regni, de ea decedere suadebit, re jam ad extremum adducta, ut aut nobiscum pugnare hostis necesse habeat, aut de hac urbe periclitari et unà de tota Livonia, occupante etiam illam altera ex parte Sueco, Album Lapidem

(1) universae Livoniae. (2) *sine praepositione.* (3) Zamojscioque. (4) *pro titulo itemque cognomen ejus.* (5) Zolkievius. (6) *deest.* (7) *brevius,* voce tantum Zolkievii Zamoscius offerret. (8) pollicerentur. (9) Zamojscio. (10) Zolkievium. (11) igitur. (12) coibit. (13) dominatio — differt, *hae dictiones desiderantur.*

oppugnante, premente Pernoviam et Felinum, ita, ut vix illa Moscus jam non amiserit, sed de Derpato saltem laborare videatur. Ordines vero quid? Vel ad educendum in posterum militem plus sumptuum impenderent, quàm in hunc deductum jam, et in supplementum inde vel ad Augusti. At quae interim tentari possunt? Hostis vero, instructus omni apparatu ex commerciis marinis, quàm erit postea potentior? Audio, istos bonos legatos Moscorum cunctari. Si expectant novam informationem, jam illam habebunt per tabellarium hunc, quem eo jussi deduci: quam graviter vero rem gerentem? Cum diceret, ire se Porchoviam, et inde Zapolsciam cum litteris ad dominationem vestram, jam tamen tandem Plescoviam versus, deflectens de itinere Porchoviensi, cum ductores Novogardia haberet, processerat, ut octo saltem milliaribus a Plescovia abesset, noctuque, non die iter faceret; et cum in nostros incidisset, et in viam Porchoviensem reduceretur, unum ex suis, dato illi equo, sub cujus sella ad legatos a Principe litteras insutas habebat, fugere jusserit; inde etiam alios tres comites, contra fidem datam, fugere jusserit. Haec certe inquirenda et dijudicanda diligenter erant, prius, quàm pro nuncio, non pro perduelle haberetur. Verùm tamen apud me vel umbra Juris gentium plus valuit. Itaque vel adhibitis ductoribus, a me ad locum Conventus mittitur. Ex novis istis litteris, quas affert, et praesertim tam diligenter occultatis, credo, quod ad exitum quemvis isti tractatus facilius adducentur(¹). Apollonius jam feliciorem, quam nos, vitam vivit. Scribam Russicum unum tantum in castris habeo. Commendo me favori dominationis vestrae. Datum ex castris ad Plescoviam, die XIII Decembris, anno Domini 1581.

9. *Alia Epistola Joannis Zamojscii, supremi Cancellarii regni Poloniae et generalis Capitanei, ad Antonium Possevinum.*

Mitto ad dominationem vestram consanguineum meum D. Stanislaum Zolkievskj, palatini Belzensis filium. Ex eo dominatio vestra de eo, quod a me scire vult, cognoscet. Ei vero non solùm dicenti fidem adhibere debet, sed etiam, si quae cum illo communicabit, prorsus tacita fore pro certo confidat. Hoc illi ita prorsus futurum esse spondeo. Commendo me dominationi vestrae. Datum ex castris ad Plescoviam, die XVII Decembris, anno Domini 1581.

10. *Antonii Possevini Responsio ad eumdem Joannem Zamojscium, Cancellarium et Capitaneum generalem.*

Hac ipsa die binas a dominatione vestra magnifica litteras accepi, alteras ab eo, qui tabellarium ad me Magni Ducis adduxit, commoratum in itinere, seu alibi, octo dies(²); alteras a D. Stanislao Zolkievskj, consanguineo vestrae magnificentiae, qui ea, quae legatis regiis ac mihi injunguntur(³) expedire, fusius refert. Ad quae, si vestra magnificentia scriptum, chirographo signoque suo obsignatum, nobis miserit, progrediemur in incoepto non sine spe perhonorificae pacis. Sin minus, in optimam partem accipiet, quidquid erit deliberandum nobis(⁴): cum etiam nobis ratio reddenda sit actionum nostrarum Reipublicae isti, Pontifici maximo, Magno ipsi Moscoviae Duci, ceterisque etiam(⁵) Principibus. Ne quid dicam de nostro Ordine, cujus tot certe pignora et obsides habet Polonia,

(¹) deducentur. (²) *add.* integros. (³) videntur. (⁴) a nobis. (⁵) forsan.

ut etiam iis, eorumque bono nomini confidendum sit(1). Porro scio, vestram magnificentiam, pro suo perspicaci prudentia, optime jam intellexisse, quantopere expediebat, ut quam Instructionem manu sua scriptam legatis Rex pollicitus fuerat, ea ut ipsis traderetur. Sic vero reliqua discuterentur, ut hoc rigidissimo tempore, tanti boni confectio nulla interturbaretur cunctatione. Meam fidem probari vestrae magnificentiae sic gaudeo, ut sperem, numquam illi jure improbatum iri. Jesus dexteram et cor vestrae magnificentiae illustrissimae coelesti praesidio muniat. Ex Kiverova Horca, die XX Decembris(2), 1581.

---

11. Porro evocati ad Conventum Mosci, primò(3) gravissime conquesti sunt (id quod saepe aliis quoque in rebus fecerant), quod in ipsa pacis tractatione, tamquam captivi tenerentur; sanguis passim funderetur; sibi bona hominesque raperentur; quodque Magni Ducis tabellarius, qui litteras ad Antonium et ad eos attulisset, in castra ductus, ejus vero comites passim interfecti; itineris autem ductoris eorum, rustici cujusdam, lateribus, ut solent, faces ad confessionem extorquendam admotae fuissent; huc deinde cum e castris ad Antonium recta a Cancellario(4) missus et scriberetur et diceretur, triduum tamen apud praefectum equitum Zebridovium, nobilem et probum(5) Polonum, mandato legatorum regiorum, fuisse detentum; denique post tot dies, litteras Magni Ducis vix redditas fuisse. Itaque legati Mosci(6), qui numquam se fuisse ad Conventum ex Moscovia venturos, dicerent, nisi Pontificis maximi ejusque, quem miserat, Antonii fidei Magnus Dux credidisset, cupere(7) potius discedere, quàm ista indignitate hostilibusque modis rem amplius agere. Tum regii cùm rem excusare, rationesque eas afferre coepissent, quas Cancellarius(8) ad Antonium scripserat: Antonius autem, quum et tabellarium prius interrogasset, et octiduum in itinere detentum (causa nescitur) cognovisset; videret autem, ex dilatione reddendarum literarum, cum vel Moscus, vel Rex aliquid essent scripturi, magnum negotio conficiendo incommodum posse creari: se jam, inquit, legatos utrosque, non tantum ob Pontificis maximi auctoritatem, (cui quidquid se deferre saepius dicebant, id quidem Deo acceptum esse, a quo eam auctoritatem accepisset), verum etiam(9) ob Christi sanguinem obnixe rogare, ne variis eventibus, quos subinde satanas esset excitaturus, rem ipsam(10) desererent: quae quanto magis protraheretur, tanto plus christiani sanguinis effunderetur. Porro in se ipsum totum id, quod acciderat (si quid ejusmodi fuisset, quale Mosci dicebant), sic suscipere, ut vel cum Rege, vel cum Magno Duce debitum omne officium, si necesse fuisset, in tempore esset praestiturus.

Tunc pacatioribus animis ad rem ventum est, cujus ea summa fuit: legatos regios unica et extrema propositione (ut Mosci cognoscerent, quantopere a fundendo sanguine Rex abhorreret), e quatuor arcibus, quae superiore biennio de Mosco fuerant captae, unam adhuc, quam indicasset(11) Antonius, sese tradituros, dum illi tota Livonia cederent, Sebiessumque arcem, Polociae(12) propinquam, traderent. Cui de Sebiesso petitioni cùm se Mosci non assensuros dicerent, quod arx ea non spectaret ad Livoniam; cumque omnes arces a Rege captas repeterent, ac se quidem

(1) consulendum sit (2) *add.* nocte. (3) *h. v. deest.* (4) a Zamojscio. (5) *latius*, valde nobilem, ac probum, ac fortem. (6) *ambae dictiones desunt.* (7) *add.* se ajebant. (8) Zamojscius. (9) in primis. (10) *add.* expositam. (11) judicasset. (12) Polonicae, *erratum.*

unam aliam Livoniae arcem addituros, dicerent, quae Laïs vocaretur: regii eam in manibus Sueci esse asserentes, ne verbo quidem addito, surgentes discesserunt, ejusque diei Sessio soluta est.

12. Die XXII Decembris, Sessio sexta.

Cum ejusdem generis pleraque fuissent dicta, quae superioribus diebus legati invicem objecerant; nec semel Mosci, Livoniam a Regibus Poloniae, sed ab Episcopis et Ordine Theutonico cepisse eorum Principem, dixissent: regii vero (quod et Mosci faciebant), ipsam ob Sedis apostolicae Pontificisque maximi reverentiam, jam multis rebus cessisse, dicerent; Antonii judicio se staturos, ut una e duabus arcibus, Velicoluco et Zavolocia, adhuc Magno Duci redderetur: supervenit Petrovius(¹), nobilis Polonus, missus a Cancellario regni (²) ex castris hisce cum litteris, quas Antonio Possevino Cancellarius(³) scribebat.

13. Joannes Zamojscius, Cancellarius regni et Capitaneus generalis, Antonio Possevino.

Etsi jam antea miseram ad dominationem vestram Zolkievium, per quem illi aperiretur(⁴), quid id sit, quod in Livonia concedi possit Mosco, et quibus modis concedi possit: tamen postea venit mihi in mentem scripto comprehensum dominationi vestrae mittere, quemadmodum mitto. Reliqua dominatio vestra, cum ex eodem Zolkievio, tum vero in primis ex dominis legatis cognoscet. Bene valeat dominatio vestra. Datum ex castris ad Plescoviam, die XIX Decembris, anno 1581.

14. Conditiones primae:

Si maneat penes regiam Majestatem Velicolucum cum arcibus Zavolocia ac Nevelia; sique Sebiessum Regi a Mosco traditum fuerit, Velisium item penes regiam Majestatem relictum fuerit, de quo nunc moveri quaestio a legatis Mosci non debet: cum in antecedentibus tractatibus non repetitum fuisset; sique ejus rei concludendae statim, non mittendo pro alia informatione ad Principem suum (atque hoc propterea, ne interim Pernovia pereat, quod dominationi vestrae saltem scriptum velim), legati Moscovitici facultatem habuerint: audebo illis(⁵) concedere in Livonia arces, Novogrodecam Livonicam, Serenescum, atque etiam arcem Laïs cum arcibus Ostrovo, Chelm, Crasnohorodek, Voronetz, Vielia.

15. Conditiones secundae et ultimae:

Si non habuerint facultatem Moscorum legati, statim (non mittendo pro alia Instructione ad Principem suum), acceptis arcibus, Novogrodeco Livonica, Serenesco et Laïs, cedere regiae Majestati Velicolucum(⁶), Zavolociam, Neveliam, Velisium, dare Sebiessum, vel saltem demoliri: neque etiam a regia Majestate illis per me concedi possunt arces, Novogrodeca Livonica, Laïs et Serenescum; sed retenta tota Livonia pro regia Majestate, et tradito vel demolito Sebiesso, retentisque Zavolocia, Nevelia et Velisio (id quod regia Majestas dominationi vestrae et mihi crediderat), adjiciat Mosco Velicolucum ad arces, Chelmum, Ostrovium, Crasnohorodkum, Voronecium, Vieliam, ut hae arces cum Velicoluco ipsi reddantur, retenta pro parte Regis omni Livonia cum Novogrodek, Serenesk ac Laïs, et suprascrip-

---

(¹) Petronius. (²) a Zamojscio. (³) *haec dictio deest.* (⁴) aperui. (⁵) illi. (⁶) Lucum.

tis arcibus, Zavolocia, Nevelia, Velisio, traditoque vel demolito Sebiesso.

Quae conditiones quoniam non reddebantur Antonio a legatis regiis, existimavit (¹) ille, sibi dandum esse tempus, ut de ipsa restitutione Velicoluci et Zavolociae cogitaret; ii vero paratiores ad Conventum postridie redirent, perlectis iis litteris, quas ad eos idem scripserat Cancellarius (²).

16. *Die XXIII Decembris, Sessio septima.*

Redditis Antonio conditionibus de pace à legatis, etsi (³) neque ad respondendum Joanni Zamojscio, Cancellario regni (⁴), videbat sibi spatium dari, quod Petrovii discessum ipso in momento temporis, quo conditiones tradiderant, urgebant; tum ne dies illa frustra efflueret: actum est cum Moscis, num Sebiessi (quae in agro Polocensi arx est) restituendi, numve permutandi cum arcibus quibusdam Livonicis, quas Regis nomine Cancellarius (⁵) offerebat, potestatem haberent? At illi, cùm quod ad Sebiessum pertinet, dicerent, denique illam se combusturos, si Stephanus Rex Drissam combureret; reliquas vero à Rege captas arces non posse non habere: ab Antonio (comprobantibus regiis, nec improbantibus Moscis) dicta sententia est, ut Velicolucum Magno Duci redderetur, si tota ille Livonia cederet, Zavolocia vero Regi relinqueretur. Nec pene aliud quidquam ea in Sessione actum est, nisi quod ex tribus arcibus, quas in Livonia regii offerebant, Serenescum, dicebant, esse in manu Succi; et Michaël Haraburda Moscis ostendit, quanta ex Livonia, qua cessuri essent, commoda ad Magnum Ducem essent perventura, si pax componeretur.

Eadem die, cùm Mosci se privatim contentos esse Novogradia Livonica et Kerepetio, si reliquae tres arces, Zavolocia, Nevelia, Velisium sibi traderentur, ac denique iisdem, si tantum Novogradia et Kerepetium Magno Duci relinquerentur: venit alter a Cancellario cum litteris, ac tertiis conditionibus, quarum exemplum hoc est.

17. *Joannes Zamojscius, Antonio Possevino.*

De iis rebus, de quibus ad me retulit dominatio vestra per dominum Zolkievskj, scripsi dominis legatis, ut cum dominatione vestra communicent. Difficultatum, quae de iis intercesserunt, explicatio tanto magis impedita est, quod quarumdam earum Moscus in prioribus tractatibus, ut Velisii, nullam mentionem fecisset. Sed haec plenius dominatio vestra ex dominis legatis intelliget, quibus etiam chirographa mea, ut voluerunt, misi de iis, quae concedenda putavi. Commendo me amori dominationis vestrae. Datum ex castris ad Plescoviam, die XXII Decembris, 1581.

18. *Conditiones postremae:*

Ad extremum audebo, et hoc propter bonum pacis, et ne labor dominationis vestrae, praesertim cùm nomine summi Pontificis susceptus sit, in irritum cadat: non dando arces Novohorodek Livonicam, Laïs, Serenescum, sed his et tota Livonia retenta pro regia Majestate, retentoque Velisio; dato Regi vel demolito Sebiesso, — concedere (⁶) Velicolucum, Zavolociam, Neveliam, Chelmum, Ostrovium, Voronecium, Krasnohorodkum, Vieliam, Principi Moscorum.

(¹) videbat. (²) Zamojscius. (³) *add.* postea. (⁴) *titulus omissus.* (⁵) Zamojscius. (⁶) concedendo.

Quae conditiones nisi accipiantur, jam liquebit, Deum nolle pacem nobis hoc tempore concedere. Etenim quod amplius facere valeam, vel audeam, nihil prorsus (Deum testor) habeo. Nec vero tam dominationis vestrae causa, de cujus optimo studio et sinceritate et regia Majestas, et ego, optime persuasi sumus, quàm ut conscientiae meae, pro debito meo erga regiam Majestatem et patriam, satisfaciam. Obtestor dominationem vestram per Deum vivum, perque Filium ejus Jesum, cujus dominatio vestra tremenda mysteria tractat, ac nomen gerit, ut ad nullas conditiones graviores, quae illis conceduntur, descendat, si levioribus rem evincere poterit.

Quae cum essent perlectae, re tota cum regiis communicata, judicatum est, ut quando Mosci promittebant, tota Livonia se cessuros, eaedem postremae conditiones haud simul proponerentur. Itaque variis de causis, in diem Nativitatis Domini sanctissimam Sessio dilata est.

19. Die XXV Decembris, Sessio octava.

Cum Antonio Mosci privatim scripto schedulam dedissent, qua una Novogardia in Livonia a Rege Magno Duci, et una Velisia a Magno Duce Regi relinquenda, se fore contentos, dicerent([1]); regii Rzovam, uberem agrum, ad Zavolociam quondam spectantem, se Moscis daturos adhuc ultra Velicolucum, dixerunt. Quam cùm Mosci responderent, ad Zavolociam pertinere([2]), denique regii Antonio integrum relinquerent, utram e duabus arcibus, Nevelia et Zavolocia, reddere Moscis voluisset: cui rei consultandae cum Moscis (quando regiorum quoque rationes audiverat), noctis spatio petito, Sessio dimissa est. Porro eadem nocte insequenti, cum Moscovia supervenisset a Magno Duce, maximis itineribus, tabellarius, cum responso ad litteras, quas Antonius ad eum e Biscovicio paucos ante dies scripserat; Mosci item legati alias accepissent: eorum rogatu, a regiis Antonius obtinuit, ut insequens dies vacaret. Qua tamen et cum Moscis accuratissime actum est, si qua iniri ratio posset, ut pax coiret; et eaedem Mosci litterae ad regios missae sunt ab Antonio, ne quid officii praetermitterent, quo utrique parti satisfieret. Sed cùm Mosci legatis Antonius dixisset, si ji a Principe suo metuerent, ne quid inconsultius agerent, si Neveliam et Velisium Regi relinquerent, se caput ipsum omni periculo objecturum coram Magno Duce, ne tanti boni consecutio([3]) intermitteretur; jique sancte jurarent, se id efficere non posse, adderent autem, si decem quisque capita haberet, ea unicuique omnia sibi redituris esse amputanda([4]): propterea Antonius ad Cancellarium([5]) hominem([6]) citatis equis misit, qui novissimas conditiones afferret. Dieque insequenti, legati regii ex condicto redierunt.

20. Die XXVII Decembris, Sessio nona.

Ubi Antonius utrosque legatos hortatus est, ut ea die, quae terminando Conventui a regiis praescripta erat, pax fieret, omniaque officia ad id adhibita fusius antea regiis exposuisset: regii dixerunt, perstare se in eo, quod propositum erat; exercitum duobus mensibus prope Plescoviam ab Antonio fuisse retentum, spe pacis, quam offerebat; nunc sese revocari in castra, nec debere ultra progredi, quibus esset ratio reddenda Regi Reipublicaeque, cui juraverant; ad extremum, protestari coram

([1]) affirmabant. ([2]) attinere. ([3]) confectio. ([4]) amputatum iri, *add.* a Mosco. ([5]) ad Zamojscium. ([6]) tabellarium.

ipso Antonio, quod per se non stetisset, quin pax coiret; petere denique ab illo, ut Comitiorum tempore, quae Varsaviae in Martium mensem erant indicta, quo tempore forsan ex Moscovia eò Antonius esset rediturus, velit Reipublicae ac regno eorum fidem testari; itaque se Moscis valedicere ac dare dexteras, idem cum Antonio sequenti die saltem per litteras facturos.

Tum Mosci paucis (sed quae altum dolorem ostendebant) convertêre se ad Antonium dixereque, se ad mandatum illius Livonia cessisse; Michaëlem Haraburdam intelligere nunc, an vera ea fuissent, quae dixisset initio, cùm ad Livoniam tradendam illos hortaretur, inquiens, ea trabe Livoniae submota, complanatum iri viam ad reliqua omnia; sese quidem Livonia cedere et fecisse, ac non loqui; regios autem loqui, et non facere: proinde se item Deum testari, per se non stetisse, quin pax fieret; viderent, super quos tantus sanguis esset casurus. Denique, ubi quaedam Michaël Haraburda iis respondisset, quae antea quoque erant dicta; Antonius, sibi quidem, dixit, esse optatissimum, ut pax fieret: verum cum neutram partem cogere posset, ut fidei erga suos Principes debitae deessent, nunc quidem videri sibi, ut Zavolocia a Stephano Rege restituatur; quandoquidem de ea necdum sententiam pronunciasset: ceterum sperare se, aut eamdem pacem denique secuturam, aut, nisi sequatur, tempus nondum appetiisse, ut eadem essemus digni. Quod si propter duas corbes(1) (sic enim arces illas Mosci vocabant)(2) neutri cedere nollent(3): viderent regii, num decem dierum intervallum Moscis possint concedere, ut a Magno Duce, sicut petebant, reponsum ea de re acciperent? Quod cum se posse concedere, regii negassent, tum Mosci, se Derpati restitutionem et alia supra id, quod poterant, pollicitos fuisse, dixerunt: dolere modò, quod cùm pene quadraginta arces reddendae sint, ob duas tantum pacis vinculum esset dissolvendum. Regii vero, Quando, inquiunt, supra id, quod potuistis, promisistis, adhuc et hoc facite: vos de una, nos de altera ex duabus arcibus, de quibus controversia est, Antonii judicio stemus; et vos Magno Duci, nos Regi denique, ea re in nos suscepta, rationem reddamus. Sic Antonio obsecratis regiis, ut Moscis ad deliberandum noctem eam adhuc concederent, regii assenserunt, ea lege, ut dicerent: si iis ab Antonio significatum fuisset ante diem, Moscos ei rei posse assentire, crastina die redituros; sin minus, sese discessuros omnino.

Nocte insequenti, cùm se Mosci aperuissent, se nulla ratione Velisio posse cedere, sed, si regii vellent, se reliqua omni Livonia cessuros, tantum Novogardiam retenturos et regii Velisium, dum ab utroque Principe responsum expectaretur, eaque res nec damno, nec fraudi alterutrius partis cederet: Conventus solutus est.

Quae vero cum legatis et aliis Antonius praestitit, ut adhuc pacis tractatio staret, ea ex litteris scriptis ad regios, atque ad Regem, quarum iis actis exempla erunt adjuncta(4), intelligi poterunt(5); quae quidem non minimi sunt momenti, ad totum rei statum cognoscendum.

21. *Die XXVIII Decembris, Sessio decima.*

Cum ea die regii, jam sese in viam daturos, dixissent, et Mosci bis ejus diei nocte supe-

---

(1) propter duas ejusmodi arces. (2) *pericope haec, cincta parenthesi, deest.* (3) vellent, *paragramma videtur.* (4) quarum — adjuncta, *hae dictiones accessoriae desiderantur.* (5) possunt.

riore, cum lacrimis, diu apud Antonium fuissent, ut de Velisio, quid esset deliberandum, quaererent (si enim Regi relinqueretur, sibi ab suo Principe vitam ademptum iri; sin pax ob unam illam arcem minime componeretur, intelligere se, novo bello repetito, maximam fore sanguinis effusionem): Antonius, nullam sibi rationem superesse, dixit, post tot alias omnes tentatas, nisi ut ipse, quò legatorum vitae parceretur, unicuique illorum chirographum signo[1], quo utebatur, munitum traderet, quo fidem faceret, se illos ad eam deliberationem adegisse; ceterum se Mosco caput suum allaturum, ut faceret, quod vellet, si quid, ad novi belli continuationem praecidendam, audacius factum fuisse ab Antonio judicasset; porro, nisi aliud consequi posset, se a regiis tentaturum, ut Velisium solo aequaretur. Tum Mosci se, salutem suam, Velisium denique, ita, ut saltem everteretur, relinquere in manu Antonii, dixerunt: tantum ut recordaretur apud magnum Ducem haec res, ne sibi ipsis interitum afferret. Quae cum acta essent, supervenêre legati regii[2], abituri longius, et Antonio primum valedicturi; sed tota re audita, ipsi jam se Velisium tradere Antonio polliciti sunt, cui esset integrum eò imponere, qui ex ejus comitatu erant, ut denique vel Regi relinqueretur, vel id fieret, quod judicasset. Sibi autem non esse de vita dubitandum, si ea in re facerent praeter Regis mandatum: sed dignitatem suam in magno futuram discrimine, nisi ipse Antonius et Regi, atque in futuris Varsaviae Comitiis, in se hoc totum ad boni publici compositionem suscepisse, publice testaretur. Quod cum se facturum Antonius recepisset, instauratus est Conventus. Ac cum regii peterent, ut Sebiessum Regi traderetur; Mosci dixerunt, Velisium se integrum relicturos, si Sebiessum stet: si vero Derpatum Magno Duci relictum fuisset, tum esse contentos, ut Sebiessum a Magno Duce, Drissa a Rege comburerentur. Qua de re cum magna esset altercatio, in posterum diem rejecta est, eo consilio, a regiis tractatio, ut interim per tabellarium a Cancellario regni[3] ex castris mentem Regis liquidius exquirerent.

Deinde, cùm regiis quaerentibus Mosci respondissent, se plenissimam potestatem habere, arces Livoniae tradendi, quae quidem in manu Magni Ducis, non in manu Regis Sueciae essent; adjecerunt legati Regis: quandoquidem saepissime scriptum et actum per legatos et internuncios, iteratumque est, Stephanum Regem totam Livoniam petere, dicerent legati Magni Ducis, num vellent titulo jureque proprio[4] ipsius cedere omnino, nec ne? id nisi facerent, relictum iri scintillam ad novum bellum excitandum: cùm quas arces Sueciae Rex cepisset, eas vel pacate ab ipso, ut ab affine suo, Stephanus esset obtenturus, vel denique bello vindicaturus[5]. Quo in bello nisi Moscus[6] jurejurando Livonia integra cessisset, si Moscus etiam a Sueciae Rege easdemque arces repetere bello vellet, liquere, ad arma inter Stephanum et Moscum ventum iterum iri.

Quae cum Antonius aliis rationibus amputasset[7], ac dixisset, eos avidius et verius pacem expetituros, qui futurae contentionis radices evellendas diligentius curarent: Mosci responderunt, sese in litteris de pace nomina omnium arcium scripturos, quae sunt in manu Magni Ducis; earum jus possessionemque Regi tradituros; rem totam jureju-

---

(1) *add.* suo. (2) regis. (3) *pro titulo cognomen*, a Zamojscio. (4) *dictio haec deest.* (5) alia ratione procuraturus. (6) ac nisi nunc Moscus *et c.* (7) comprobasset.

rando confirmaturos; desinerent autem regii ea petere, quorum Mosci nullam haberent potestatem, nec possessionem retinerent: de Sueco (¹) in litteris de pace conficiendis, ne verbum quidem inseri posse.

Ad ea Antonius, si contingeret, inquit, ut eamdem arcem Rex, Moscusve bello peteret, certe providendum est (si de reliquis mutuo consensu a legatis decerni queat), ne reliqua Livonia, quae Regis erit, totumque ipsum Poloniae Regnum Magnusque Ducatus Lituaniae, Prussia item propterea a Mosco invadantur; sicuti item neque Regi in Mosci ditionem propterea cum exercitu erit invadendum.

Tum regii rogarunt Antonium, ut protestationem ea de re admitteret, ac chirographo et signo suo obsignaret. Quam cum Antonius ita se admissurum, respondisset, ut neque ipsi Regi, nec Magno Duci, nec ulli omnino hominum praejudicaret, vel quidquam juris adimeret: tum, adjecit, se illa cum protestatione sententiam laturum (quod et eadem hora faciebat), ut ea juris titulive protestatio alterutri justa vel sufficiens belli causa esse non posset; se quidem (quod et per legatos effici poterat) cum utroque Principe pacate tentaturum (²), ut quam minima ea de re contentionis, ac fortasse nulla in posterum ansa (³) relinqueretur.

Regii vero cùm verbo tenus per Michaëlem Haraburdam protestationem pronunciassent, postea, ut scripto constaret, ab Antonio petierunt. Quae cum regiis tradenda non videretur, nisi (quod etiam in castris Antonio dixerat rex) Moscis integrum tantumdem faciendi relinqueretur; diserte regii Moscis adhuc protestati sunt, Regem eas omnino arces velle, quas Sueciae Rex bello cepisset.

Ventum est postea ad arcium tormenta, quae in Mosci manu essent, ut, cum quibus tormentis eae fuissent captae, essent restituendae: quod quidem antea Mosci legatos alios, qui Vilnae fuerant, Regi (⁴) promisisse, dicebant. Ad quae cum Mosci responderent, aulicos Novogardia sese illico evocaturos; nec de tormentis, si regii tantundem facerent, magna futura difficultas esset: altera in alterum insequentem diem Sessio indicta est.

22. Die XXIX Decembris, Sessio undecima.

Ea in Sessione Mosci orsi sunt a Sebiesso, de quo diu multumque agitatum (⁵), regiis urgentibus, ea ut res ad Antonium deferretur, qui cum utroque Principe ageret, pax interim firmaretur: Moscis autem iterantibus, in gratiam Antonii a se Velisium concessum fuisse, nec jam dicere se, ut combureretur, sed integrum Regi maneret; porro a regiis semper aliquid peti. Quamobrem, ajebant, ut ferreus globus nisi eximatur e corpore, corpus putrescit: ita Sebiessi negotium nisi absolvatur, totam pacis tractationem infecturum et turbaturum. Quod si denique regii id suspendi ad tempus velint, permitterent, ut Magnus Dux consuleretur, ne qua restet in posterum litis occasio. Antonio autem regiorum sententiam probanti, atque urgenti, ut reliqua conficerentur, illud differretur (expectabatur enim, quae superius data (⁶) est, a Cancellario (⁷) responsio, et Regis mentem quadantenus ea de re Antonius noverat); Mosci regiis objecere, non effici, quod per Zachariam Boltinum Magno Duci, de exercitu ab obsidione Plescoviensi deducendo, promissum fuerat. Id enim

(¹) de rege Sueciae. (²) attentaturum. (³) *dictio haec mendose omissa.* (⁴) regii, *erratum.* (⁵) agitata res est. (⁶) dicta. (⁷) a Zamojscio.

se facturum aliquot intra dies, Antonio pollicitus fuerat Rex. At regii dixere, Antonio promissum fuisse, ne irruptio tentaretur: exercitum autem, quamprimum pax facta, conditiones scriptae jureque jurando firmatae fuissent, deductum iri. Denique cum de ratione tradendarum arcium regii agerent, Mosci: «nobis altum sapere, dixerunt, Magnus Dominus noster haud mandavit; nae enim Princeps christianus est, ideo christiano more sincereque ut nos ageremus, jussit; quod et facimus vobiscum, quasi cum fratribus nostris: itaque scitote, quamprimum aliquid de Sebiesso statuerimus, Novogardiam mittemus, aulicos nobis dignitate non impares evocaturi, quorum item unus palatinus est Porchoviensis Joannes Zerebcow(1), quibus arcium traditio demandata est.»

Actum est deinde a Moscis, ne rustici in Lituaniam abducerentur; quod regii prohibitum fuisse, dixerunt, a Rege, ac proinde negotium pacis esse quamprimum absolvendum, ut istiusmodi aliqua ne acciderent.

Tum ad Beatissimae Virginis Annunciatae diem, cum Mosci dicerent, arces esse tradendas (quod regii recusarunt), de tormentis vicissim utrimque reddendis actum est, in quibus, nempe, Regis, vel Magni Ducis essent insignia vel inscriptiones.

Deinde ventum est ad captivos. Moscis petentibus, ut liberaliter omnes utroque a Principe dimitterentur; regiis(2) negantibus, aliter id effici posse, quam quomodo Rex Antonio exposuisset, nempe(3), ut miles pro milite, centurio pro centurione, palatinus pro palatino permutarentur: si qui superessent, ii vel pecunia redimerentur, vel cum Livonibus aliquibus(4) compensarentur. Insuper adjectum est a regiis, mercatores liberandos esse a Mosco, quos praeter omne jus moremque christianum, atque praeter constitutiones et litteras, quae alias inter eos Principes scriptae fuerant (ne quid, orto bello, mercatoribus damni inferretur), Magnus Dux detinuisset et haberet captivos, praesertim Zareski et Martinum Mammonicium Vilnenses, quos nominatim dimitti Rex volebat. Tum Mosci, sanguinem christianum non esse pecunia redimendum, dixerunt; mercatores autem non fuisse captivos, neque asservatos in ulla custodia: pristavum tantum illis adhibitum fuisse, quos, ne quid incommodi possent accipere, servaret(5). Quae cum essent dicta, et advesperasceret, reliqua in futuram Sessionem rejecta sunt.

23. Diei primae anni 1582, Sessio duodecima.

Mosci, cum multam noctis partem demorati essent apud Antonium, eum rogarunt, ut omnino, si gratissimam rem facere Magno eorum Domino vellet, curaret in litteris, quae erant de pace scribendae, ut ille Czar Casani et Astracani diceretur: prae hoc, nihili arces pendere Magnum Ducem, quas Regi esset traditurus. Hanc occasionem nactus Antonius, multa illis exposuit de uno christianorum Imperatore, quam dignitatem Sedes Apostolica confirmaret, quamque ex Oriente, ubi Ecclesiae Catholicae minus fidi Imperatores Byzantii esse coeperunt, in Occidentem transtulerat. Si Moscus isto(6) titulo vocari atque honoribus legitimis decorari velit, ageret primum cum Pontifice maximo, ea ratione, qua reliqui christiani Principes agunt, qui non ignorant, non esse tantam rem Casanum et Astracanum, ut

(1) *corrupte*, Zerebuoun. (2) regii, *erratum*. (3) id autem erat. (4) *add.* qui essent in Moscovia. (5) ne quid damni —, curaret. (6) justo, *paragramma videtur.*

novus titulus, quasi alterius Caesaris, id est, Imperatoris (1) addatur. Si Caesar id fecerit, sciri, vocem istam «Czar» non Caesarem, sed aliquid a Tartaris usurpatum (2) designari. Ad ea Mosci: Honorium et Arcadium Romà Volodimero primo Moscorum Principi coronam imperatoriam misisse; Pontificem maximum per Cyprianum quemdam episcopum id confirmasse, ac reliqua ejus generis dixerunt (3). Quibus Antonius cùm respondisset, plus (4) quingentis annis Honorium et Arcadium praecessisse Volodimerum; dixere (5), fuisse alios (6) Honorium et Arcadium, qui eo tempore vixissent. Tum iterum urserunt Antonium, ut quandoquidem vocassent universae christianitatis pastorem Pontificem maximum, vellet item operam dare, ne hoc titulo Rex Principem suum fraudaret, atque item, ne illi titulus Livoniae periret. Quibus Antonius: Quod pastorem christianitatis universae vocare velitis Pontificem maximum, id quidem recte habet: cum id Christus Dominus instituerit, Pontifice maximo minime id curante (nisi quatenus id Ecclesiae unitati ac Dei gloriae inserviat), ceteroquin se Servum servorum Dei vocante. At Principi vestro Livoniae titulum reservare, a quo arces Regi traduntur, quaenam ista veritas esset? Si mihi istam vestem tradideris, eaque cesseris, num vestis dominus amplius vere vocaberis?

Haec igitur cum ultro citroque dicta essent, quae postea lucem reliquae tractationi afferent, cumque regii ad indictam Sessionem rediissent, de Sebiesso deque futurae pacis tempore actum est. Ac Sebiessum quidem ut Magno Duci maneret, legati regii assenserunt; pax autem ut ad octo annos duraret. Ea die Mosci contenti fuerunt, asserentes, sese nocte insequenti cogitaturos, si quid amplius addere possent. Deinde, ne qua rusticis, qui Regi jurassent, damnum a Moscis inferretur, cum regii petiissent, Mosci de eo sese libenter fidem suam interposituros, dixere. Cum vero ad arcium reddendarum rationem ventum fuisset, dictumque esset, ut Derpatum ac reliquae munitiores arces redderentur, nec in ea re viderentur invicem legati discrepare: petiere Mosci, ut deducendis Wladycis ac poppis (7), ceterisque omnibus, ac praesertim imaginibus piis avehendis, praesidium regium adderetur, ne in Sueci (8) manus inciderent. Quod cum regii non omnino concederent, Antonius, aequum esse, ut tuto deducerentur, respondit; eo magis, quod Moscis permittere nolebant, ut cohortes aliquas eò mitterent, quae suos prosequerentur. Sicque finis Sessioni impositus est.

24. Diei secundae Januarii 1582, Sessio decima tertia.

Regis legati, palatinus et Haraburda (9), soli ea die ad conventum rediere, Alberto Radivilio domi ex morbo, ut dixerunt, remanente. Cum vero Antonius de iis quaesivisset, num, si quid eo absente decerneretur, id ratum esset futurum, atque annuissent: evocati sunt Mosci. Qui ab Antonio interrogati de pacis tempore, annum adhuc addidere, ut pax in novem annos duraret; quod tempus regii quoque admiserunt.

Deinde cum regii, a Cancellario (10) admoniti, rogassent Moscos, ut tota Livonia cederent, clausulamque in litteris inserere vellent, qua Moscos eò perducerent, ut etiamsi diserte universae Livoniae cessio non exprimeretur,

(1) *add.* vel regis. (2) *add.* aliud, quasi regium titulum. (3) *verbum hoc omissum.* (4) *h. v. deest.* (5) *add.* nescientes, quid dicerent. (6) *add.* quosdam. (7) *add. explicatio,* qui sunt eorum sacerdotes. (8) regis Sueciae. (9) *add. hujus nomen,* Michaël. (10) a Zamojscio.

id tamen posset intelligi; nec vero ambigui istiusmodi rationem probaret Antonius, quin potius inquit eis privatim: petite liquidissime Livoniam totam, quam ut futuros fratres videamini circumvenisse. Mosci responderunt: nos ante quinque dies respondimus, Livoniâ integra, quae in Magni Ducis potestate sit, integre nos cessuros; quae vero arces in manu Sueci([1]) sunt, de iis nullum nos verbum facturos. Quod si, ajunt([2]), novas subinde res comminiscemini, tempus extrahitis: annus erit, cum tractationem pacis haud absolvemus. Ac quidem Michaël Haraburda, regiorum nomine, protestatus fuerat, protestationemque eam, de qua dictum est, admitti ab Antonio petierat, ita, ut ea res jam esset definita; Michaëlque ipsam protestationis formulam Antonio tradiderat, quam postea repetiit, quamquam ejusdem exemplum Antonius retinuit. Id vero totum a regiis ex Instructione, chirographo signisque regiis munita([3]) factum fuerat: cum inde omnis absolvendae pacis mora esset auferenda([4]), si Mosci titulo jureque Livoniae cedere voluissent.

Et Antonius quidem, dum sermones ex sermonibus sererentur, legatis regiis dixit: videri sibi, quandoquidem eò res esset perducta, nec antea forsan satis mature provisa, ut arces omnes, quas Magnus Dux obtineret, fines jusque earum omnium nominatim scripto mandari et tradi curarent; ceteras, si quae item ad id tempus essent in manu Mosci, licet ad Suecum pertinere dicerentur([5]), etiam traderent, quandocumque eas a Mosco teneri, compertum fuisset. In litteris autem operam, si vellent, adhiberent, ne Livonici dominii titulus Magno Duci adscriberetur; ceteris rebus satis, ex animo et ex instructione Regis fuisse prospectum.

Deinde legati, cum inter sese de finibus Livoniae decernendis egissent, Moscique eam rem in adventum legatorum de pacis confirmatione rejicerent; institêre regii, ut id totum inter sese, ne qua controversiae radix restaret, constituerent. At Mosci: si quid, inquiunt, minus commode constituere potuerimus (quandoquidem fines omnes haud scimus), id ad Principes nostros deferre poterimus([6]). Tum, ut fines Plescoviae ii essent, qui fuerunt antiquitus, utraque pars consensit.

Quaerentibus porro regiis, an etsi Sebiessum Magno Duci, ac Velisium Regi manebunt([7]), utrique tamen Principes inter sese, de earum permutatione, hoc anno agere per legatos possent? Mosci, nulla se ratione id velle in litteris de pace scribi, responderunt, sed ut liquidò Magno Duci Sebiessum maneret; cum item Velisium Regi libere ipsi concessissent.

Sed regii, qui obtentu Velisii([8]) putabant, se quoque universae Livoniae possessionem([9]) posse adipisci, revocata tractatione, tempus eximere coeperunt; proptereaque([10]) arcium numerum ac nomina, quas Moscus adhuc retinebat, petierunt, quas Mosci illico nominarunt; deinde earum, quas Suecus([11]) cepisset. Denique se cum Alberto Radivilio([12]) ea de re acturos, dixerunt, atque ad diem posteram Sessioni interfuturos.

Nomina arcium a Mosco tradendarum: Lenevardt, Skrovna, Ascheradt, Kokenhaus, Krysbork, Borzun, Levdun, Czestvin, Luza, Rezica, Weleca, Wolodimeretz, Rovnoj, Govia, Try-

---

([1]) regis Sueciae. ([2]) *verbum hoc omissum.* ([3]) obsignata. ([4]) abrumpenda. ([5]) licet — dicerentur, *pericope haec omissa.* ([6]) referemus. ([7]) manebant, *paragramma videtur.* ([8]) obtenta *(i. e. arce)* Velisio. ([9]) cessionem. ([10]) primòque. ([11]) rex Sueciae. ([12]) *add.* duce.

kat, Alyst, Perkol, Salacz, Novogardia Livonica, Kerepiecz, Derpt, Mukov, Randeh, Rynhol, Conhot, Caulecz, Curslov, Lais, Tarvas, Polczev, Pajda, id est, Lapis Albus, Vilian, Pernava utraque.

Nomina arcium, quae in manu Regis Succiae sunt: Narva, Serenescum, Adesum, Tolsczabora, Racobor, Kolyvan, Pajdca, Kolover, Libover, Absel, Vyholumisa.

25. *Die V Januarii, Sessio decima quarta.*

Ubi legati vicissim conquesti sunt, Mosci quidem, quod regiis, rem protrahentibus, interim rustici captivique a Polonis et Lituanis abducerentur, vacuaque regio circumquaque relinqueretur, et incendio absumeretur; Regii vero, quod Mosci, tempus extrahentes, neque ad rem, de qua agebatur, venientes, effusi sanguinis erant causa, qui tanto magis erit effundendus, quanto magis ipsi conditiones non admitterent: addidere regii, rusticos et captivos haud abduci, sed in hyberna castraque, cuique militi assignata deduci.

Inde de Serenescio arce Livoniae actum est, quam Mosci a Sueco([1]) occupatam, regii a Magno Duce detineri, dicebant. Qua de re cum veritas non constaret, regii eam sese omnino velle, dixerunt; quam sese tradituros, Mosci responderunt, nisi Sueci([2]) in ea praesidium fuisset.

Postea nomina uniuscujusque arcium, quae adhuc in potestate Mosci sunt, repetita sunt a regiis; earum item, quae in Sueci venerant manus. Ad extremum, cum legati de verbis potius, quam de re litigarent, sic, Antonio sententiam dicente([3]), constitutum est, ut Mosci, quidquid in Livonia Magnus Dux haberet, id cum arcibus, pagis, agris, atque adeo rebus aliis immobilibus, ad eas pertinentibus, Regi traderent: Rex Magno Duci arces a se captas (praeter Velisium), quae quidem arces([4]) fuissent Magni Ducis, huic([5]) cum pagis, agro, rebusque aliis immobilibus, ad eas spectantibus, restitueret. Interea neutri Principum([6]), quamdiu pacis tempus duraret, vel Mosco adversus Velisium atque Livoniam, vel Regi adversus Lucum, Zavolociam, Neveliam, Chelmum, Sebesium ac Plescovienses arces, esse bellum innovandum. Quae ut Basilius Zamos, ei rei ab Antonio constitutus scriberet([7]), utrique legati petierunt.

Praeterea cum de ratione temporeque tormentorum, Vladycarum, popporum, imaginum ex arcibus avehendarum, regiique exercitûs ex Plescoviensi obsidione deducendi, multa contentio fuisset, ac dies ad noctem inclinasset; relata earum rerum deliberatio est in sequentis diei Sessionem.

26. *Die Sanctae Epiphaniae, Sessio decima quinta.*

Cum qui Novogardiam a Magno Duce fuissent missi, ut redderent arces, inde abjissent, regiis ea de re sciscitantibus, Mosci responderunt, alios a Magno Duce ei negotio fuisse assignatos; itaque ubi pax coivisset, nullam restituendis arcibus moram interpositum iri.

Deinde vero cum primum ad eas arces ventum esset a regiis aulicisque Magni Ducis, ex unaquaque, octo dierum spatio, palatini, vladycae, poppi, mercatores, imagines, cum eorum bonis mobilibus exirent; frumenta et

---

([1]) a Succiae rege. ([2]) *itemque rursus, imo inferius.* ([3]) *hae tres voces desunt.* ([4]) *haec repetita dictio deest.* ([5]) *item.* ([6]) *item.* ([7]) quae ut ab Antonii amanuensi et interprete scriberentur.

alia ejusmodi, nisi eo tempore avehi possent, redeuntibus aliquibus Moscis asportatum iri.

Omnium vero arcium, quae in Livonia Regi tradendae erant, restitutio, intra octo hebdomadas, ab ea die, decreta est; quo in spatio regii suas Mosco item essent reddituri.

Cum vero iterum de tormentis actum esset, utrique legati convenerunt, ut interposito jurejurando atque osculo Crucis, tormenta cum arcibus capta restituerent. Michaël autem Haraburda Regis, et Mikita Bassenka Magni Ducis secretarii, eorum tormentorum nomina numerumve, chirographo munita, describerent, ac vicissim traderent.

Regii deinde Antonio protestati sunt, Serenescum velle sese a Moscis, quod hi (ut antea) dicerent, esse in manu Sueci [1].

De captivis magna rursus disceptatio fuit, Moscis negantibus, pecunia arcibusve redimendum esse christianum sanguinem, quod regii duas arces, Sebesium atque Opocam, propterea petiverant. At rursus regiis objicientibus, Magnum eorum Ducem quondam Usviatum et Jezeriscium arces a Rege Poloniae ad captivos redimendos petiisse; ipsumque adeo Ducem, non solum pro Hlebovicio nobili Lituano tres captivos, verum etiam pecuniam, uti de aliis faciebat, voluisse. Ad extremum igitur, ut ea tota res per legatos cum utroque Principe ageretur, constitutum est; cum Antonius (cui eam rem deferre regii voluerant), id omnino non expedire, respondisset, quippe qui (in castris expertus, Regi, qui Moscum captivum ei promiserat, non fuisse obtemperatum) judicavit: si qui a tot externis Mosci aliò fuissent abducti, Magno Duci non redderentur, eam rem Pontificis maximi nomini ac fidei incommode cessuram.

Denique cum Mosci urgerent, ut Rex primo legatos suos ad pacem firmandam in Moscoviam mitteret; regii vero dicerent, sat esse, si utriusque Principis legati, ad fines utriusque ditionis eodem tempore venientes, alteri ad Regem, ad Moscum alteri procederent, aut etiam Regis legati Smolenscium pervenirent; nec vero Mosci hoc probarent, quod suos esse illarum rerum imperitos, dicerent: nihil in ea Sessione statutum est, sed in futuram rejectum.

Eadem die, cum Magnus Dux ad Antonium et ad suos legatos litteras misisset, cum altera validiore plenipotentia, id Antonio ac regiis fuit argumento, jam [2] de pace serio agere. Ea vero perlecta est in ipso legatorum consessu, quae ita habet [3].

27. Exemplum secundae Magni Ducis plenipotentiae.

Divina gratia ac clementia, qui nos praefecit in Oriente ex altissimis, quique dirigit pedes nostros in viam pacis. Hujus ergo Dei nostri in Trinitate adorandi clementia, nos Magnus Dominus, Imperator atque Magnus Dux Joannes Basilii [4] totius Russiae, Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Imperator Cazaniae et Imperator Astracaniae [5], Dominus Plescoviae et Magnus Dux Smolensciae, Tveriae, Iveriae, Permiae, Viatciae, Bolgariae et aliorum, et Dominus haereditarius terrae Livoniae etc. Stephano, Dei gratia Regi Poloniae et Magno Duci Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Principi Transsylvaniae et aliorum. Scripsit ad nos Gregorii XIII Papae Romani nuncius, Antonius Possevinus, de pacis constitutione, ne inter nos sanguis christianus funderetur et bellum ut

(1) Sueciae regis. (2) eum. (3) habebat. (4) Basilius. (5) Casani — Astracani.

cessaret, ut legatos nostros ex utraque parte inter nos ad unum locum mitteremus, qui, praesente illo Pontificis nuncio, inter nos pacem et foederis constitutionem constituere possent. Itaque nos, propter pacem christianam, misimus legatos nostros, aulicum nostrum et praefectum Casinensem ducem Demetrium Petri Jeletzki; aulicum nostrum et praefectum Coselnensem Romanum Basilii Olpherium, et notarium nostrum Mikitam Bassenka, Nicephori filium Veresczahina, et vicenotarium nostrum Zachariam Svjazeva, ad Zapolscii Jamum, vel ad aliquem alium locum, qui aptus erit, inter Porchoviam et Zavolociam, ad conventum, pacis statuendae gratia, data illis plena Instructione, ut convenientes cum legatis tuis, inter nos et te Regem Stephanum, de bono opere et de pace christiana, coram Papae nuncio, quaecumque illi concludent, et ad pacis constitutitionem ex utraque parte constituent, litterisque foederis et Crucis osculatione confirment, — immobiliter, secundum constitutionem illorum, tenere debeamus. Et quos tu, Rex Stephane, legatos tuos ea de causa ad nos allegabis, nos litteras legatorum nostrorum nomine nostro scribere et signo nostro obsignare debemus; easdemque litteras, osculatione nostra Crucis confirmatas, per eosdem legatos tuos ad te Regem Stephanum mittemus. Tu autem, Rex Stephane, eodem modo, cum ad te legatos nostros allegabimus, easdem constitutionis litteras, nomine tuo scriptas et signo tuo obsignatas, per legatos nostros ad nos mittere debes. Propterea has litteras fidei legatis nostris sub signo nostro dedimus, scriptas in dominio nostro, in aula arcis Moscoviae, anno a conditione mundi septimo millesimo nonagesimo(1), mense Decembri, indictione decima, dominiorum nostrorum 47, imperiorum nostrorum, Astracanensis 28, Casanensis 29, Rosiensium 35.

28. Die VII Januarii, Sessio decima sexta.

Cum iterum legati omnes adfuissent, tempus legationibus ad utrumque Principem mittendis decretum est: ad sanctissimae Trinitatis festum diem regiis in Moscoviam, ad beatissimae Virginis Assumptionem Moscis ad Poloniae Regem. Ut vero quaestio de captivis per legatos ipsos cum jisdem Principibus tractaretur, in idem tempus relata res est(2).

Tum primo latenter, deinde aperte atque accuratissime a Moscis actum est, ut eorum Princeps in litteris hisce nominibus in primis appellaretur, «Dominus Magnus, Imperator, Magnus Dux» etc. Quod cum constanter regii recusassent; Antonius autem, cum saepe, tum ea, quae praecesserat, nocte, a Moscis ea de re tentatus, illis id ipsum dissuasisset, quod unum tantum Imperatorem christianum agnoscerent, neque ea appellatio(3) sine Pontificis maximi auctoritate valeret, qui tum Caesari Romanorum nunquam passurus esst, ut ejusmodi injuria afferretur: Mosci ab ea petitione destitêre. Ac tum, ut Czar Casani et Czar Astracani scriberetur, egregie urgebant; id quod neque obtinuerunt, regiis negantibus, Moscis asserentibus, ab Sigismundo Augusto eo nomine Moscum fuisse appellatum. Ad quae cum Antonius quaereret: cur Mosci easdem litteras haud attulerint, ita enim veritati gravius testimonium fuisse futurum? responderunt, id sibi excidisse. At Michaël

---

(1) *erratum,* nongentesimo. (2) relatum est. (3) *in num. plur.* eae appellationes.

Haraburda antiquas ac signis munitas foederum litteras ostendit, in quibus nihil eorum nominum erat adscriptum(1).

29. Diei VIII Januarii, Sessio decima septima.

Cum Mosci acrius(2) urgerent, ut iisdem saltem nominibus «Czar Casani et Czar Astracani» Magnus Dux appellaretur, ac denique negotium hoc ad Antonium deferrent; regii vero cum nihil ea de re se a Rege habuisse in mandatis, dixissent, ac tum id ab eodem Antonio agi posse cum Mosco, ad quem erat rediturus, ac deinde cum Rege, exposuissent(3): Antonius conversus ad Moscos dixit, tres superesse rationes, quibus hac de re aliquid agere se posse intelligeret. Unam, qua regii Moscum Casani et Astracani Dominum vocarent, quod Mosci non curare visi sunt, licet id regii admiserunt, qui dicerent, numquam inducere in animum potuisse Poloniae Reges, ut titulo Tartarico vel Turcico, qualis erat ille Czar(4), christianus christianum Principem appellaret. Alteram, ut Mosci ea de re protestationem facerent, quam sine alterutrius Principis injuria, et sine pacis pene confectae impedimento, Antonius esset admissurus. Quas tamen protestationes ignorare se, nec in usu esse apud se, Mosci dixerunt. Tertiam, qua ille pollicitabatur, id ea in re cum Rege, ac (si opus esset) cum Pontifice maximo curaturum, quod fidum ac christianum hominem deceret. Postea conquestus est cum Moscis Antonius (quando illum adhuc mirifice hac de re urgebant), quod nec Magnus Dux sibi quidquam ejus generis Stariciae mandasset, cùm pleraque alia diligenter per suos senatores secum egisset; nec vero sibi in castra ad Plescoviam scripsisset, cum litteras de aliis gravissimis rebus ad pacem spectantibus misisset; quodque legati Mosci id eo usque abditum in pectore celassent. Itaque eorum esse culpam, si jam tempus ei rei tractandae effluxisset. Quamobrem Mosci, ut sine iis titulis regiae litterae conficerentur, permiserunt.

Haec cum acta essent, instare coeperunt, ut saltem Smolenscii (qui Magnus Ducatus olim a Moscis de Lituanis captus, in eorum est potestate) titulus in litteris Mosco adscriberetur. Quod regii constanter negarunt, sese morem scribendi antiquum servaturos, dicentes. Atque ita utrinque discesserunt.

30. Die IX Januarii, Sessio decima octava.

Cum eam diem litteris de pace relegendis atque emendandis legati (absente Alberto Radivilio) impendissent, duo rerum capita tractata sunt(5): alterum, ut(6) arcium nomina finesque de more antiquarum foederis litterarum singillatim scriberentur; alterum, ut Antonius eisdem litteris de pace subscriberet(7). Utrique autem rei a regiis petitae constanter adversati sunt Mosci(8), quod ea sibi a Magno Duce mandata non esse, persaepe testati fuerant(9). Ac generatim quidem scripturos se pollicebantur, ne Lituania, vel Livonia contra Moscoviam, neve haec contra illas bellum gereret. Sed urgentibus tum regiorum, tum Antonii rationibus, tandem assenserunt, nempe, se scripturos, ne quid Moscus contra ullam Lituaniae arcem, Kio-

(1) *add.* sicque sessio finita est. (2) *add.* iterum. (3) ac deinde — exposuissent, *haec pars periodi omissa.* (4) *add.* tartaricus. (5) duo — sunt, *pericope haec deest.* (6) impendissent, actum est, ut *et c.* (7) alterum — subscriberet, *pars haec periodi omissa.* (8) cui rei a regiis petitae (ut fere in aliis omnibus rebus facere soliti erant), cum Mosci adversarentur. (9) quod ea — fuerant, *hae lineae in contextu desiderantur.*

viam, Canevium, Czerkasiam aliasque finitimas, item ne contra Livonicas arces, quibus cesserat; Rex item ne contra alias Mosci arces hostile quidpiam ageret; et fines, qui erant antiquitus, iidem utriusque Principis ditioni arcibusque essent.

Ceterum, de Antonii subscriptione, quam regii identidem urgebant, Antonius ipse, ad Moscos conversus, bono ut essent animo, jussit: neque enim justas ob causas id se facere posse, etiamsi velint. Deinde, quantum satis fuit, regios allocutus, se nulla mora pacis exitum velle impedire, dixit. Porro biduum ea subscriptionis res, Antonio a regiis proposita, valde illum sollicitum habuerat, sive quod nihil ea de re in mandatis habuerat; sive in primis, quod, dum regii Livonia firmari ea ratione consulebant, videret, Sedem ipsam apostolicam, Caesaremque et alios forsan Principes, quorum in Livonia esset aliquod jus, de Antonio, ac (quod caput est) de Sede apostolica conqueri posse, quod nimio ausu jus suum aliis quasi adjudicasset. Ac tum Regi fore, ut non ita multo post pro aequitate a Pontifice maximo satisfieret, sperabat, si res ad ejus Majestatem referretur. Quae ratio regiis probata est. Interea vero, si Moscis ea de re acriter litigantibus, longius fieret conficiendae pacis tempus (uti singulis momentis, exercitu regio Plescoviam obsidente, fieri poterat), nec tamen ad Ecclesiae dignitatem aliquid accedere, ac multum periculi posse creari, intelligebat: cum quidquid alterutri Principi ex ea mora intercidisset, id in Pontificem maximum facile, ut fieri solet, conjici potuisset. Itaque Mosci ubi dixêre, eorum Principem non esse sub lege, sed supra legem, iis rebus designantes, nolle se Ecclesiae subjici, mitiora quaedam addiderunt: sese, ajentes, si ea de re Moscus in tempore praemonitus fuisset, illius mandatum sedulo in rem collaturos fuisse. Ceterum, quae in litteris ipsis de pace, de summo Pontifice, deque Antonio attigerant, quae item pluribus Magni Ducis ad Antonium litteris ac plenipotentia sibi missa, scripta fuerant, satis argumento esse, quod a Pontifice maximo toto in eo negotio pacis in Principis sui gratiam factum fuisset; reliqua, redeunte in Moscoviam Antonio, tractari posse liquidius (¹)

Sic sessioni eidem fine imposito, sequens dies describendis de pace litteris fuit decretus.

31. Diei X et XI Januarii, Sessiones.

Regii, quoniam examinandis Moscorum litteris de pace, biduum illud impenderant, viderent autem, in Regis et Magni Ducis plenipotentiis diserte contineri, ut omnia, quae ad pacem spectarent, coram Antonio agerentur, atque adeo conficerentur (quae verba nisi in litteris insererentur, invalidam eam tractationem futuram, putabant): magna inter eos et Moscos fuit contentio, cum tamen hi(²) denique cesserunt. Cum vero jam omnia putarentur esse confecta, Mosci ad litteras addi, petiverunt, ab eorum Magno Duce non solum arces, quibus cedebat, verum etiam Rigam et Curlandiam, quas numquam ille possederat, regiis tradi; ab his ita repulsi sunt, ut cùm nulla ratione Mosci cedere(³) vellent, crastina die ut discederent, jussi sunt(⁴). Ac quidem eo spectasse Moscus intelligebatur, ut semper aliquid sibi restare juris ea cessione in Livonia videretur: quasi eam ad tempus decennii

(¹) ceterum de Antonii — liquidius, *sectio haec tota desideratur.* (²) Mosci. (³) *add.* rationi. (⁴) *add. sequens periodus:* tum regii, per se non stare, quin summo pontifici justis omnibus in rebus obedirent, Antonio protestati sunt.

tantummodo traditam, quo tempore pacta fuerat pax, deinde repetere posset. Augebat suspicionem justam regiis, quod biduum, qui ad evocandos Novogardiâ palatinos tabellarius a Moscis fuerat designatus, is adhuc retinebatur, moras nectentibus, nec aliquid afferentibus, nisi quod adhuc litterae nondum essent confectae, de quibus nulla pene controversia restabat. At postquam abire jussi sunt, unus primo, deinde alter, denique omnes simul ad Antonium rediere: modò se, ajentes, non habere in mandatis, ut sine illa scriptione Rigensis traditionis pax coiret; modò se non esse ejusmodi sub suo Principe, quales ceteri sunt, subditi, cum ne syllabam quidem praescripti mandati possent ipsi immutare; petere denique decem dierum tempus, quo a Mosco responsum acciperent. Ad extremum, quaerere de Antonio consilium, quid facerent. Tum Antonius (cui circuitio illa in reliquis tractationibus usurpata, jam se prodebat apertius), veritus, quin ea omnia fierent ad exercitum regium detinendum, ut in castris durissima hyeme conflictatus, tandem ad internecionem redigeretur(1), dixit, aut scripto pollicerentur, in omnibus, quae acta essent, sese assensuros, nil de Riga quaesituros; aut hac ipsa nocte ad legatos regios esse eundum, et litteris de pace lectis, postridie ejus diei jurejurandó pacem sanciendam: sin minus, regios omnino abituros. Tum illi (ut solebant): velle denique facere, quidquid dixisset Antonius; nil de Riga quaesituros; noctem scribendis litteris insumpturos; unum se Michaëlem Haraburdam cupere, qui eas videat. Ad quem cum misisset Antonius, non solùm is, sed palatinus Braslaviensis ab eo, ad quem recesserant, pago, paulò post initium noctis ad Antonium rediere. Qua fere tota, sicut etiam insequenti die, examinandis jisdem de pace litteris insumpta, petitum ab regiis est (Antonio illis in memoriam revocante): num Mosci vellent in litteris inserere, ne quid rusticis, qui ad Regem defecissent, damni a Mosco, post compositam pacem, inferretur? Quod Mosci abnuerunt, sed dextera Antonio data, eidem ac legatis polliciti sunt, nihil jis ab suo Principe damni illatum iri: quos esse tamquam oves; et metu, et caede aliorum, non improbitate territos, jurejurando sese Regi obstrinxisse cognoscerent. Tum in decennium decreta pax, altero ad novennium anno addito. Mosci vero petierunt tormentorum nomina et numerum eorum, quae essent in arcibus a Rege captis, de quibus antea fuerat actum. Quorum cum unius tantum Neveliae catalogum deprompsisset palatinus Braslaviensis, ac Mosci tum urgerent, ut omnium traderetur, quemadmodum ipsi omnium suorum attulerant: missi sunt, qui id celerrime procurarent, meliore quidem causa regiis, sed minore, quam Mosci fecerant, providentia et diligentia, non sine causae periculo, utentibus.

32. Die XIV (2) Januarii, Sessio ultima.

Cùm eo biduo, quod hanc diem praecesserat, maxima iterum inter legatos contentio fuisset, Moscis in suis saltem litteris adscribere volentibus, quas Regi arces traderent, eas sese ex Magni Ducis gratia(3) tradere; id vero regii fortiter abnuerent, quod dicerent, eo quasi jure illum usurum in reliqua Livonia tentanda, quam Regi haud dedisset: ab regiis iterum jussi sunt Mosci, ut in Moscuam re infecta abirent, nisi vellent ab eo proposito abstinere. Sed cùm Antonium Mosci suppli-

(1) *aliter et brevius*: quin ea omnia fierent ad exercitum regium ea spe lactandum et fatigandum. (2) die XV Jan. (3) ex magni ducis patria seu terra.

ces rogarent, ut suam adhuc operam ea in re interponeret, regiosque discessum comminatos retineret: sic eo officio, quantum satis[1] opus erat, functus, Moscis, ut verba illa e suis litteris craderent, persuasit. Tum simul legati convenientes, litteris ipsis adhuc perlectis, iisque ac plenipotentiis suorum Principum invicem de more traditis, ut quae erant Magni Ducis, regiis, quae hujus essent, Moscis relinquerentur; schedis item de tormentorum numero reliquisque arcium munitionibus, ab utriusque Principis secretariis, qui Conventui interfuerant, Michaële Haraburda et Mikita Bassenka subscriptis: cum regii ab Antonio protestationes[2] de reliqua Livonia petiissent, pacem jurejurando, chirographo, Crucis osculo, coram Antonio, in ejus hospitio, sanxerunt. Quod ad Dei gloriam sit. Amen. In Kiverova Horca, die XIV[3] Januarii, anno 1582.

Ex autographis litteris P. Ant. Possevini (Tom. I, No 20.), quae adseruantur in Tabulariis secretioribus Vaticanis. Confer. Moscovia *ejus, pag. 82 — 98* [4].

XXXIII.

Antonii Possevini de Societate Jesu publicum Colloquium[5], de Religione catholica, habitum die XXI Februarii 1582, cum Joanne Basilii, Magno Duce Moscoviae, in ejus Regia, senatoribus ac centum aliis proceribus praesentibus.

Бесѣда первая о каѳолической Вѣрѣ, Iезуита Антонія Поссевина съ Московскимъ Царемъ Іоанномъ Васильевичемъ, въ его Дворцѣ, въ присутствіи бояръ и сановниковъ, 1582 г. Февраля 21.

Ubi senatores Magni Ducis Antonio variis de rebus, quas ei ante triduum proposuerat, responderunt, addidere, Principem haud solitum esse privatim agere quidquam de magnis rebus, quanta isthaec erat[6], quam ipse Antonius, Pontifice maximo mandante, Stariciae quidem superiore aestate, sed etiam[7] Moscuam veniens, Principem rogaverat. Adjecere, Principem vereri, ne qua ex colloquio de religione contentio inter se atque Antonium oriretur, qua vel ipsum cum Stephano Rege compositae pacis bonum[8] minueretur, aut molestiam Antonio facesseret.

---

(1) *haec dictio deest.* (2) *in num. sing.* (3) *iterum* die XV Jan. (4) *In autoris* Moscovia, *edit. Colon.* (pag. 98 — 115), *restat adhuc non pauca actorum series, quorum inscriptiones sunt sequentes:* a) Protestatio regiorum legatorum, ab Ant. Posseuino admissa, b) Litterae compositionis pacis legatorum magni Moscouiae ducis, c) Litterae compositionis pacis legatorum ser. Poloniae regis, d) Litterae Posseuini ad Annam Poloniae reginam *(vide supra, pag. 73),* e — g) trinae litterae ejusdem Stephano Poloniae regi, h — i) binae litterae Posseuino Joan. Zamojcii, k — m) trinae litterae Posseuini Zamojscio, n) Litterae magni Moscouiae ducis pontifici Gregorio, o) Litterae Annae Poloniae reginae Posseuino, p) Litterae Joanni, magno Moscouiae duci, ab Ant. Posseuino, et q) Litterae pontificis Gregorii Joanni, magno Moscouiae duci, 1582 cal. Oct. (5) *add.* primum. (6) *add. in parenthesi*, erat autem de religione. (7) et tum. (8) beneficium.

At Antonius cum dixisset, sperare, se nullam contentioni cum tanto Principe ansam (1) praebiturum, totumque id, quod proposuerat, spectare ad arctiorem christianorum Principum cum ipsorum (2) Principe conjunctionem; nec vero se ab eodem colloquio cogitasse secernere senatores, si ita Princeps expedire judicasset: re Principi a senatoribus relata, accersitus est eum ad locum, in quo Princeps cum senatoribus suis, centumque aliis proceribus et aulicis (3) consederat.

Tum orsus Princeps, et jisdem verbis pronunciatis, quae paullò antea retulerant Antonio senatores: vides, inquit, me quinguagesimum jam annum agentem (4), non adeo diuturnum vitae spatium superfuturum; ea porro in religione me educatum, quae vera christiana, quaeque mihi mutanda non sit: instare autem judicii diem, in quo Deus judicaturus sit, nostra ne, an Latina fides veritate nitatur. Neque tamen, ait, improbo, quod a Gregorio XIII Pontifice maximo missus, officio isto fidei Romanae tuendae fungaris: quamobrem ea dicere potes, quae libet.

Tum Antonius, serenissime Princeps, inquit, singularium beneficiorum, quae erga me contulisti, praecipuum hoc est, quo mihi concedis, ut de summa re colloquar hodie tecum. Scito autem, Pontificem maximum nequaquam tibi esse auctorem, antiquissimam ut Graecam religionem mutes, qualem Patres ac legitimae Synodi docuerunt. Quin vero hortatur, ipsam ut quaenam fuerit nôris, et amplectaris, atque adeo quidquid ex ea integrum est, in ditionibus tuis retineas (5). Quod si feceris, jam non erit Occidentalis et Orientalis Ecclesia, sed unum omnes erimus in Christo; nec tua templa, nec sacra, nec sacerdotes declinabimus, a quibus recta fide et rite ministeria (6) divina administrabuntur. Ceterum, quod nunc id ejus Sanctitas tibi proponat, ne mirere: nam et urgetur a Christo, a quo sibi demandata est pascendi christianam Ecclesiam cura; ac tuae in primis litterae eum praemoverunt, de foedere inter Principes christianos adversus Turcam, per ejus Sanctitatem procurando. Quae item a te Stephano Regi scriptae sunt de fidei unitate, quam Constantinopolitanus Imperator unà cum Oriente in synodo Florentina agnovit, et cui Moscoviae Metropolita Isidorus (sicut tu scribebas), interfuit. Adjecisti, catholicos ac Romanae fidei homines libere in sua fide in Moscovia versari et vivere. Quae cum tu, nemine cogente, scribebas, non potest Pontifex maximus non cogitare, quin e candido pectore, quantum te istiusmodi (7) Principem decuit, profecta fuerint; ac vero te, ad testimonium veritati perhibendum, fuisse impulsum ab Eo, in cujus manu corda sunt Regum, et sine cujus nutu ne folium quidem arboris movetur.

Jam cum adversus perfidos et paganos nullum fortius praesidium comparari, vel arctiori vinculo constringi christiani Principes queant, quam fide ea, quae esse nisi una non potest: hinc foederis fundamenta jacienda sunt, sine quo reliqua humana tractatio, quantacumque esset, aut extrui non posset, aut exstructa facili momento concideret. Itaque alterum e duobus cogita: aut apud omnes christianos Principes, apudque ipsum Orientem, cum ad synodum Florentinam convenit, fuisse veram christianam fidem; aut tuam, nisi eadem sit, ab illa sic discrepare, necesse ut sit, ut alterutrius partis fides errore non vacet: quo certe errore perniciosior nullus est. Quod si is, de quo tute scripsisti,

(1) caussam. (2) *h. v. deest.* (3) *add.* primariis. (4) mihi — agenti. (5) *extra numerum,* quidquid ex ea in tuis ditionibus integrum est, retineas. (6) mysteria. (7) *add.* tantum.

tantus Imperator Joannes Emmanuelis, et quidem, ut iterum dicam, una cum tuo metropolita reliqui orientales, non temere fuerunt permoti; cur in sola Ecclesia Romana veram esse fidem, et eam ipsam, quam universa Graecia et Asia integram antiquissime servabat, agnoscerent. Et quid tibi reliquum est, ut agas, nisi ut vel eamdem semitam teras, vel si dubitas, quin eadem, quae acta sunt in concilio Florentino, tibi proponantur: accerse Interpretes Graecos, atque ex ipso Byzantio libros ipsos Patrum Graecorum pete, nisi vel nostris Graecis et ab ipsismet pene auctoribus propria manu conscriptis, vel mihi ex jisdem eadem tibi ostensuro, fidem adhibes.

At vero si ex eadem synodo Florentina, quam tibi Graece editam a Pontifice maximo attuli, praecipua quaedam Patrum loca exponi volueris; id libentissime faciam, eo apud Deum lucro, ut serio sperare quoque possis, fore, ut certioribus, quàm hactenus factum est, insignibus ac titulis, Orientis Imperator non ita multo post appelleris, si in Oriente orthodoxam et catholicam fidem promoveris. Ad quam rem non deerunt Principes christiani, qui aliis ex partibus tibi opem sedulo ferant.

Ad ea Princeps respondit, se Pontifici maximo non scripsisse de fide, de qua nec modò loqui cogitaret: tum, ne quid sibi excideret, quod aegre deinde laturus esset Antonius; tum, quia sui muneris esset temporalia, non spiritualia administrare: nec ad eam rem quidem a suo Metropolita benedictionem accepisse, qua benedictionis voce facultatem, aut veniam Mosci designant [1]. Ceterum, se non in Graecos, sed in Christum credere. Ad imperium Orientis quod attinet, *Domini esse terram*, quam pro sua voluntate, quibus illi placeret, esset daturus. De Florentina synodo, deque Moscoviae metropolita Isidoro nihil omnino locutus, etiam tacuit ad ea, quae ad religionis vinculum pertinebant, quo uno adversus Turcam Principes christiani essent obstringendi. Pollicitus autem iterum, se praestiturum id, quod eadem die per senatores Antonio promiserat, ut catholici sacerdotes a mercatoribus cum legatis libere possent in Moscoviam adduci, in eaque commorari, et catholicis sacramenta administrare: negavit tamen, se concessurum, ut publicos conventus, aut ecclesias, ad quas Rutheni accederent, haberent publicas; porro ea de re fidem, magno suo signo obsignatam, se Antonio, priusquam discederet, traditurum, quam [2] quidem antea is Stariciae impetrare nequiverat.

Tum Antonius Principem rogavit, ut dignaretur aperire, quid de toto hoc religionis negotio sentiret: neque enim a tanto Principe quidquam sibi molestum accidere posse. Quod autem non in Graecos, sed in Christum crederet, id optimum esse; ac propterea testimonium Graecorum Patrum ab Antonio afferri, ut ex jis, quibus tamquam gravioribus testibus fidem haberet, intelligeret, ipsam verissimam et orthodoxam fidem, qua in Christum credimus et tendimus, a summis Pontificibus [3] Romanis semper edoctam fuisse.

Nos, inquit Princeps, jam ab ineunte christiana Ecclesia fidem christianam hausimus, cum Andreas, Petri Apostoli frater, in has regiones venisset, ac Romam profectus esset; deinde Volodimero ad fidem converso, religio latius propagata est. Itaque eodem tempore, quo vos in Italia, nos in Moscovia christianam fidem accepimus, quam et integram servavimus: cum in Romana Sede [3] septuaginta fides sint, vel te Antonio teste, qui id mihi Stariciae significasti.

---

(1) qua — designant, *pericope haec deest.* (2) quod. (3) *add.* istis. (3) fide.

Antonius, qui intelligebat, ea a Principe dici, quae ipsemet Antonius, occasione oblata, non semel senatoribus atque aliis ostenderat, respondit, mille et ducentos ferme annos christianam fidem in Italia fuisse, antequam Moscovia Christo nomen dedisset. De s. Andrea pauca locutus, ne quid gravius in Principem, quasi haud vera dicentem pronunciaret, adjecit: Inconcussa et eadem fides Romae semper stetit, quam Petrus et Paulus initio praedicarunt; pro ea sanguinem fudêre trecentos totos annos qui Petro successêre Pontifices; inde reliqui, pacatiora licèt tempore habuerunt, eamdem tamen variis in fluctibus sine naufragio illaesam servarunt. Septuaginta, de quibus dicis, Romae fides non sunt, sed una est, quae septuaginta, atque adeo plures ex Luthero enatas haereses (quas isthic permittis in paucis quibusdam Livonum reliquiis, de quibus tibi Stariciae scripseram) anathemate ferit, atque intrepida fronte persequitur; sicut et cum Orientis atque Africae haeresibus semper fecit.

Quod dicis, Antoni, inquit Princeps, Pontifices maximos sanguinem pro Christi fide fudisse, id bene habet; dixit enim Salvator: *nolite timere eos, qui interficiunt corpus, animam autem non possunt interficere.*

Et propterea, respondit Antonius, nos in Moscoviam fidenter in Dei nomine venimus, et ad Indias, totumque(¹) in orbem terrarum Pontifex maximus alios mittit, qui omnia pro Christi nomine subeant, ut ejus veritas innotescat, et Crucis trophaeum quam latissime excitetur.

At Princeps ista declinans, scriptum est, inquit: *Euntes ite, docete omnes gentes, praedicate Evangelium omni creaturae, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Omnes id Apostoli cum fecerint, nec alius alio major fuerit; ab jis profecti sunt Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitae atque alii plures, quorum(²) et nostri sunt in ditionibus nostris. ... ...

Quoniam, Antonius ait, quod ex Evangelio citasti, verbum Dei est, propterea id indubitanter credimus: at eidem ipsi Christo, qui reliquos Apostolos pari auctoritate, sed tamquam delegata potestate misit in mundum (quia sic fidei ubique promulgandae necessitas exigebat), credendum est, quod soli Petro (quod aliis Apostolis numquam fecit) regni Coelorum claves, fratrum confirmationem, ovium pascendarum curam demandavit. Quod si profecti a ceteris Apostolis episcopi potestatem suam retinent: quanto magis retineat Petri Sedes, *adversus quam* (quod aliis Apostolorum sedibus dictum non est, ac propterea in multis provinciis eorum successio et religio, aut variata est, aut interiit) *nec inferi portas praevalituras, et eam usque ad consummationem saeculi duraturam*, irrevocabili promisso testatus est Is, qui *veritas est*, ac non mentitur Deus.

Tum Princeps: Nos Petrum, pluresque Pontifices maximos sanctos agnoscimus, Clementem, Sylvestrum, Agathonem, Vigilium, Leonem, Gregorium et alios. At vero, qui eos sequuti sunt, quonam modo Petro successerunt, aut, cum improbe vixerint, eadem num auctoritate in sede resident Petri?

Facile, inquit Antonius, pro tua sapientia, Princeps, intelligeres, eadem cum auctoritate, qua Petrus, reliquos Pontifices maximos, usque ad haec tempora Ecclesiam administrasse, si, quod verissimum est, pateris ostendi tibi, eorumdem, quos probas, antiquorum Pontificum libros, canones, doctrinam, atque in primis Divini verbi expositionem constanter esse

(¹) atque ad reliquum. (²) ex quibus.

secutos. Quod ad probitatem, aut improbitatem vitae spectat, non agam longius, tum quoniam virtus Sacramentorum et Ecclesiae administratio, delata Pontificibus, non ab hominum vita, sed ab immobili instituto Christi pendet; tum, quoniam non omnia vera sunt, quae ii, qui abscissi a Christi corpore sunt, nimio ausu (cum neque ea viderint, de quibus affirmant, aut negant), pleraque solent licentius effutire, ne de sua ipsorum vita reliqui audeant proferre veriora. Obsecro autem te, Princeps serenissime, ut pro tua benignitate mihi respondeas: num tu, qui post quingentos annos Volodimero successisti, istius imperii legitimus sis haeres atque successor? Cui cum Princeps annuisset, adjecit Antonius: jam si quis de tui, vel majorum tuorum auctoritate vellet obstrepere, si qui pro humana fragilitate aliquid commisissent; ecquis illum merito redarguendum, ne dicam, plectendum esse, non existimaret?

Quo sermone cum interius magis urgeretur, quam antea ostenderat([1]), fere assurgens, scito, inquit, Pontificem Romanum non esse pastorem, sed lupum([2]). Quam injuriam cùm eò iniquius ferret Antonius, quod in tanto Procerum consessu, aditum ea vox praecluderet ad fidem, adolescentem interpretem (aliàs fidum et catholicum, sed quod a Principe sibi timeret, haesitantem) animavit ad dicendum: cur igitur ad lupum([3]) de tuis rebus misisti([4])?

Tum Princeps exscandescens, atque exsurgens([5]), cum universi crederent, fore, ut pedo illo suo, quo tamquam pontificio pastorali utitur, cujus extremae parti cuspis ferrea infixa est, Antonium (ut et alios, atque adeo ipsum filium suum solitus fuit) percuteret atque interficeret: Fuere, inquit, in foro rustici, qui te docuerunt, ut mecum aeque ac cum rustico loquereris. Quae verba cùm aequabili facie Antonius excepisset; scio, ait, serenissime Princeps, me cum Principe prudente ac bono loqui, erga quem non solùm ipse fide atque obsequio, quod in pace componenda expertus es, verùm etiam ipsemet Pontifex maximus paterno ac singulari amore fertur: qui si quid dicimus, eò id meliorem in partem, spero, a te acceptum iri, quod et verba Christi sunt, quae profero, et tu mihi, ut libere loquerer, concessisti. Sic complanato illius animo (ut mirarentur senatores ac reliqui proceres), cum iterum consedisset, quatuor idemtidem pergebat, pacatioribus licet verbis, objicere([6]), quod Pontifex nimio fastu([7]) in sella gestaretur; quod Crucem in pedibus ferret; quod sibi raderet barbam; quod faceret se Deum. Ad quae cum Antonius obtinuisset, ut posset respondere (videbat enim astantes, rebus exterioribus, falsisque calumniis, addita Principis auctoritate, sic commoveri, ut quidam dicerent, Antonium illico in aquam esse demergendum), ita locutus est: quod Pontifex maximus aliquando in sella gestatur, id non ad fastum, sed ad benedicendum frequentissimo populo, solemnioribus diebus festis, in nomine non suo, sed sanctissimae Trinitatis fit. Porro unà cum aliis plerumque familiarissime incedit, ac saepe pedibus, religionis gratia, pia loca obit. De cruce autem, quam gerit ad pedes, non te, ait, lateat, Princeps, quod cùm populi initio ad pedes Apostolorum prosternerent sese, idem successoribus beati Petri frequentissime acciderit; qui, ne sibi is honor

([1]) *add. in parenthesi:* cum et jis diebus quidam Angli haereticissimi, et medicus Hollandus Anabaptista, multa principi obtrusissent, adversus pontificem maximum. ([2]) *dictio haec deleta.* ([3]) ad eum. ([4]) *add.* quem item pastorem ecclesiae tu, tuique praedecessores semper appellàrunt? ([5]) omnino assurgens. ([6]) *add.* ab iisdem haereticis instillata. ([7]) *ambae dictiones desunt.*

omnino deferretur, crucem apposuerunt, quam osculantes agnoscerent ac venerarentur Crucis Christi mysterium; quo quidquid Pontifices haberent, aut possent, id se Christi Domini merito ac passione assecutos, indicarent. Atqui, inquit Princeps: dedecus est gestare crucem in pedibus; nam et ignominiae loco habetur a nostris, si sub ipsum pectus ad ventrem crux aliqua dependeat. Videbat autem aliquibus eorum, qui Antonium in itinere erant concomitati ([1]), paululum sub ipso pectore, cruces de collo pendentes. Cum Christus, respondit Antonius, toto corpore crucifixus sit, et nos toto corpore cum Christo cruci confixi esse debeamus: nihil piaculi committimus, si qua in corporis parte ad pietatem crux geratur; quam pietatem divina Sapientia de corde in primis et conscientia pura potius, quàm de externa positione dijudicat. Ac quidem de pedum osculatione, praeterquam quod Pontifex maximus pauperum pedes lavat et deosculatur, certe nemo est, qui cùm illi pedes deosculantur, divinum se putet honorem deferre. Ceterum id, ita praedicente per Ecclesiam Deo ([2]), septingentos ante annos, quam Christi Ecclesia fundaretur, necessario futurum erat. Haec dicit Dominus ([3]): *Ecce levabo ad gentes manum meam, ad populos exaltabo signum meum, et afferent filios suos in ulnis et filias suas super humeros portabunt; et erunt reges nutricii tui, et reginae nutrices tuae: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Numquid igitur, Princeps, quoniam Dominus Deus, qui gentilibus regibus honor deferebatur, eum suis detulit servis (quos lucem, petram, fundamenta, et propriis sibi Deo titulis decoravit), non debebat in rem conferre promissum suum, sic, ut non solum oscularentur, sed ad majorem diaboli confusionem, lingerent eorum pedes, ut ait Scriptura, quos Christus Ecclesiae suae pro tempore praefecit? Sed et privatis istis episcopis tuis sese tui populi ad terram prosternunt, et quâ aqua sibi in templis abluunt manus, ea, licet, sordida, oculos faciemque reverenter aspergunt. Tu autem sapiens es, qui non ignoras, si qui legatis, ac proregibus, aut praefectis a populis, vel adeo a magnis dominis honor defertur, eum in te redundare: qui cùm a Deo auctoritatem acceperis, an Deo adimit honorem is, qui hunc honorem, propter Deum, tibi tuisque tribuit? Tum Princeps: Et nos, inquit, ut sumus Princeps christianus, quotiescumque ad nos Metropolita noster venit, ei obviam cum omnibus nostris procedimus, manumque illius osculamur, at non facimus illum Deum.

Ergo et tu, ait Antonius, ob istam speciem spiritualis auctoritatis, non subdito tuo tum, sed Deo putas honorem tribuere: quamvis multo major ei debeatur, cui Deus universam Ecclesiam tradidit administrandam, quàm qui Metropolitae alicui deferendus sit, si tamen canonice electus, riteque confirmatus sit. Neque vero Deum Pontifex maximus ipse se facit, qui plurimis omissis titulis, quos juste posset adsciscere, servum se Dei servorum vocat. Ac cùm id re ipsa omnibus cum nationibus, quae sub coelo sunt (ut tuus vidit Severigenus), exhibeat, tum in universum orbem terrarum, ad Dei Christique Filii ejus nomen praedicandum, continenter operarios mittit: quod quidem nemo umquam Patriarcharum Orientis aut fecit, aut facere potuit.

Jam quod ad barbam attinet, sane eam sibi radere non facit, quam satis prolixam habet; ac si radere juberet, nihil proinde mali

---

([1]) comitati. ([2]) *add.* et alias per Esaiam. ([3]) *add.* inquit propheta.

committeret: cum qui id fecêre sancti et prisci Pontifices, quorum effigies adhuc in antiquis numismatibus cernuntur, justas et pias ob causas facere, pro varia temporum ratione, potuerint. Aliud enim est, quod in Apostolicis Constitutionibus a sancto Clemente laicis praescriptum est, ne raderent barbam, nempe, ut et caput uxorum suarum sese ostenderent, nec porro illam sibi abscinderent, quemadmodum Turcae ad immunditiem libidinemque faciunt; aliud autem, quod sacerdotibus licet, si qui ob mysteria corporis et sanguinis Christi religiose tractanda, fugiendamque ostentationem id faciunt.

Quae cum dixisset Antonius, ne quid offensionis in animo Principis restaret, manum ipsius petiit, ut oscularetur; quam cum ille benigne porrexisset, non solum, inquit, manum tibi tradam, verum etiam te amplectar. Itaque assurgens, bis totis ulnis, magna cum astantium admiratione, amplexus Antonium, ac se excusans, quod agere de religione noluerat, ne quid sibi gravius excideret, illum amanter a se dimisit. A prandio vero tres proceres ad Antonium cum cibo et potu, postque horam alteram aulicum cum vario potuum genere ad eumdem misit. Qua iterata benevolentiae significatione, plerique omnes obstupescebant; cùm id cum legatis([1]) summorum Principum facere([2]) non consuevisset, ac vero prorsus actum de Antonii capite, paullo ante existimaverant.

Ea, quae secuta est, nocte, Princeps ad Antonium misit, ut, quae loca([3]) sibi ex Esaia recitaverat, ea mittere scripto vellet: quod postridie ejus diei, addita Patrum explicatione([4]), fecit; atque his quinque Gennadii Patriarchae Constantinopolitani capita, de Primatu Pontificis maximi, adjunxit, quae Ruthenice verti in itinere procuraverat, tum eamdem ob causam, tum ut aliquando Gennadius totus Ruthenice prodiret in lucem.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini (Tom. I, No 20), quae adservantur in Tabulariis secretioribus Vaticanis. Confer. Moscovia *ejus, edita Coloniae, pag. 31 — 35.*

XXXIV.

Alterum Colloquium Antonii Possevini cum Magno Moscoviae Duce et cum senatoribus ejus, die XXIII Februarii.

Вторая бесѣда о вѣрѣ Антонія Поссевина съ Московскимъ Государемъ и боярами его, Февраля въ 23 день.

Ea die, frequentissimo populo, Aulaque Principis pleniore, quàm antea, evocatus ad Principem Antonius accessit: cùm extraordinariis illis benevolentiae argumentis, non ab omnibus in bonam partem acceptis, nonnulli vererentur, quin Antonio ac suis gravissimum

([1]) *add.* aut nunciis. ([2]) *add.* extraordinarie. ([3]) *in num. singul., imo inferius.* ([4]) expositione.

aliquid accideret; cumque praesertim Antonio significatum esset, Principem ei velle publice ostendere librum, quod tum denique non fecit. Itaque Antonius socios, atque adeo omnes de suo comitatu animavit ad bonam fidei confessionem, re ipsa faciendam, si quid ab immani illa gente adque sanguinem prona[1] contigisset; eosque proinde Sacramentis expiavit et sanctis Reliquiis munivit. Verumtamen, sive quod Principis animum divina sapientia emolliverat, sive quod servis Dei dignioribus eam pro Christo in Moscovia patiendi palmam tempus in aliud servabat; factum est, ut Princeps, cum primum Antonium vidit, non solum (ut solebat) jusserit eum sedere in medio procerum consessu, scamno e regione Principis locato, et tapete instrato, verum etiam omnibus ad se accersitis senatoribus suis, sic satis alta voce locutus est: Antoni, si quid tibi heri dixi de Pontifice maximo, quod tibi displicuerit, rogo te, ut mihi parcas[2]. Volumus enim cum eo (quamquam inter nos, et vos multa[3] diversa sint in fide) ceterisque cum christianis Principibus amicitiam, fraternitatem atque unionem habere. Itaque hac de re tecum internuncium[4] mittemus; nostrique senatores reliqua, nostro nomine, tibi ad ea, quae nobis proposuisti, respondebunt. Antonius, gratiis Principi actis, ejusque benignitate commendata, se non minus in reliquis ejus negotiis procurandis fidelem fore, dixit, quam in pace cum Stephano Rege componenda expertus fuisset. Sicque cum senatoribus solitum in conclave secedens, quod matutini temporis restabat, id per aliquot horas audiendis senatoribus, et cum eis agendo de rebus gravissimis impendit. Quae quidem spectabant ad res Persicas, iterque ad eum regem liquidius intelligendum; deinde ad Tartaros; ad Principum christianorum foedus adversus Turcam[5]; ad pacem cum Sueciae Rege[6] tractandam, causasque vestigandas, cur Sueci[7] legatis quondam illata videretur a Principe fuisse injuria: inprimis autem ad religionem Catholicam ac Ruthenam, de qua Principis nomine ab Antonio petierunt, ut scripto discrimen inter utramque tradere vellet; quandoquidem in Moscovia non esset, qui synodum Florentinam Graecam posset interpretari. Quod cum se facturum polliceretur Antonius, Gennadium Latinum[8], quem secum attulerat, depromsit, ac senatoribus ad Principem dedit, ex quo posset primaria rerum capita, seu discrimina, a Latinis interpretibus in Ruthenicam linguam verti jubere[9].

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini (Tom. I, No 20), quae adservantur in Tabulariis secretioribus Vaticanis. Confer. Moscovia *ejus, edita Coloniae, pag. 35 — 36.*

---

(1) *contumeliae dictiones deletae.* (2) *add.* nec velis id ejus sanctitati referre. (3) nonnulla. (4) legatum, *add.* ad pontificem. (5) *ambae dictiones desunt* (6) *add. nomen regis,* Joanne III. (7) regis Sueciae. (8) *add.* integrum. (9) *add.* Graecum enim eumdem Gennadium antea dederat.

XXXV.

Tertium de religione Colloquium Magni Moscoviae Ducis cum Antonio Possevino, eodem in procerum consessu, senatoribus autem adstantibus.

Quod item post illud contigit ea ipsa die, quae fuit quarta Martii et dominica prima Quadragesimae, cum evangelium legitur: *ductus est Jesus in desertum* et c. Luc. 4, 1.

Третія бесѣда о вѣрѣ Антонія Поссевина съ Московскимъ Государемъ, въ присутствіи бояръ, Марта въ 4 день.

Etsi quotiescumque ad Principem adibat Antonius, praeter proceres eos, qui illum deducturi, ad sese frequentes in vehiculis et in equis venire soliti erant, stipatores Principis longissima serie sese contingentes, et ferreis tormentis terrae innixis, ab utraque viae parte, tam in secunda, ubi hospitium erat Antonii, quàm in prima Principis arce circiter mille quingenti stabant; cives autem et reliqui scalas, atrium, fenestras(1), ut et nobiles ac proceres primum ac secundum Principis conclave, replebant: id tamen, quod quarto Calendas Martii Princeps tentare decreverat, fecit, ut frequentior populus in primam arcem, arcisque plateam convocaretur (ad quinque enim hominum millia minimum existimati(2) sunt). Aedis autem Deiparae Virginis, cujus pinnacula septem aureis laminis contecta sunt, itemque sancti Joannis fores sic panderentur, ut quod Antonio transeunte, numquam antea factum fuerat; induti etiam sacris (si sacrae dicendae sunt) vestibus sacerdotes coronam in medio templi facerent, et preces de more Ruthenico(3) funderent. Manserat autem hebdomada ea Princeps in cubiculo, jejuniis arctioribus et orationibus plus solito vacans, quod Rutheni feriâ secunda (quod nos facimus quarta) suam Quadragesimam inchoent(4), licet a Septuagesima carnibus (non item ovis et lacticiniis) ad id usque tempus abstineant. Ergo tanto apparatu evocatus Antonius, ubi Principem conspexit, sedere jussus, mox ad se(5) proxime vocatus, eum ita loquentem audivit.

Antoni! relatum est nobis a senatoribus nostris, cupere te ecclesias nostras obire; qua in re tibi gratiam nostram (ea phrasi saepe utitur) ostendere volumus. Jussimus enim, ut te ad eas proceres nostri deducerent; in quibus videbis, quanto cultu Sanctissimam Trinitatem adorantes, Beatissimam item Virginem ac Sanctos veneramur et invocamus. Conspicies autem, quanta pietate feramur erga pias imagines, cum et Beatissimae Virginis eam, quae a S. Luca depicta est, cernes. Nec tamen videbis, nos, aut Metropolitam nostrum (ut Pontifex maximus facit)(6), contra Christi exemplum, qui pedibus incedebat(7), ad templum proficisci(8). Tu vero, inquit, nosti, quid Simoni Coriario fuerit dictum, cum visionem vidisset, atque ad eum missus a Domino Petrus pedibus esset profecturus(9).

Antonius, cui nec opinanti ea verba dicebantur, cùm etiam paucos ante dies, Princeps

(1) *add.* deambulacra. (2) *mendose,* aestimata. (3) ruthenicas. (4) *add.* Graecorum more. (5) *add.* ab ipso. (6) ut — facit, *insertum hoc delitum.* (7) contra — incedebat, *pericope haec itidem deest.* (8) in sella gestari. (9) tu vero — profecturus, *periodus haec tota e textu exclusa*

veniam ab eo de hujusmodi verbis petiisset, hortatus interpretem, ut altius loqueretur, ita respondit:

Quae ad Dei honorem rite pieque fiunt, et nos comprobamus et extollimus. Sed quod attinet ad meam templorum tuorum visitationem, scito, me a nemine petiisse, ut Sacro precibusve tuorum sacerdotum interessem: novi enim, quae in jis apud vos aguntur. Quousque vero inter nos de fidei negotio conveniat, ac tuus Metropolita ab eo confirmetur, qui ejus sedem tenet, cui Dominus dixit: *Confirma fratres tuos*, non possum[1] istis eorum actionibus interesse. Ad Pontificis maximi gestationem quod attinet, dixi tibi, id ad benedictionem populo impertiendam fieri: quamvis ea dignitas tanta sit, ut ipsam Christi Domini dignitatem, Apostolicae Sedi collatam, expediat ita quoque monstrari. Plus vero est, quod populi isti deferunt honoris Episcopis (si Episcopi sunt) tuis, cum, qua aqua[2] abluunt manus, eam suis oculis aliisque corporis partibus inspergunt, sese autem iis Episcopis persaepe ad terram inclinant[3]. Quae verba cum Princeps excepisset, ne fabulere, inquit, tibi quidem videris intelligere, at non intelligis hoc aquae mysterium: illo enim Christi resurrectio designatur[4].

Ne tibi, respondit Antonius, negotium hisce de rebus facessam, licebit, serenissime Princeps, tibi[5] haec perlegere, quae tibi, mandato tuo, de discrimine inter Catholicam et Graecam fidem conscripsi: ex jis etiam intelliges, quae de multis hujusmodi rebus, si velles, possent responderi. Quod scriptum cum Princeps accepisset, ac vero dixisset, «multa nobis scripta tradis, Antoni»[6], jussit, ut adduceretur ad Beatissimae Virginis templum. Sed ei jam ex cubiculo exeunti Princeps inclamavit: «vide, Antoni, ne Lutheranum aliquem in ecclesiam adducas.» Cui Antonius: nos, Princeps, Lutheranos, nisi resipiscant, comburimus[7], neque nobis ulla cum eis conjunctio est. Sic igitur descendentes proceres, Antonium ad dexteram partem templi[8] Beatissimae Virginis, una cum suis sistere volunt[9], expectaturum, quousque Princeps veniret: ceterùm nulla de re ejusmodi praemonitum, atque eo minus id opinantem, quod diserte Principi declaraverat, se nulli Sacro aut precibus eorum publicis interfuturum. Itaque re animadversa, se inde sensim, sed libere, cum omnibus suis subduxit Antonius: cum ei proceres identidem protestarentur, eum, qui in reliquis cum Principe suo[10] recte se gessisset, in ea re magnam injuriam Principi inferre. Quibus cùm rationes sic afferret, ut frequens populus miraretur, ceterique nobiles[11] essent attoniti, diriorem aliquem casum[12] expectantes: ecce senatores admoniti, qui jam cum Principe ipsam in plateam descenderant, ad Antonium, satis ab aede illa jam remotum, accedunt; sciscitati causam, Principi referunt, quem sacerdotes quidam, praelata Beatissimae Virginis imagine, praecedebant.

Tum Princeps, media in platea cum omnibus aulicis subsistens, manuque caput fricans, ambigens quid ageret, tandem senatores remittit Antonio, dicentes, eum quidem descendisse, illique gratiam suam ostendere voluisse: verum enimvero cùm eam nollet accipere, integrum ei relinqui, ut in palatium ad certum[13]

---

(1) *in num. plur.* (2) *haec dictio mendose omissa.* (3) *add.* ac terram fronte percutiunt. (4) *brevius;* excepisset: hoc aquae mysterio, inquit, Christi resurrectio designatur. (5) licebit serenitati tuae. (6) ac vero — Antoni, *pericope haec deest.* (7) *admodum lenius,* non admittimus. (8) aedis. (9) conati sunt. (10) erga principem suum. (11) nobiliores. (12) *add.* adversus Antonium. (13) ad solitum.

conclave ascenderet, quo senatores paullo post de negotiis, de quibus agebatur, essent venturi. Sic Principi ad aedem appropinquanti Metropolita cum aliquibus Episcopis et sacerdotibus exiens, obviam venit; salutatum in aedem deducunt; crucem osculandam tradunt. Ea vero in aede suggestum et cathedram pro Antonio excitatam fuisse, ut omnia cerneret, ac deinde aliquid ei de fide objiceretur, a nobilibus postea audivit. Itaque vitata([1]) ea tempestate, et manus Metropolitae deosculatione, quam Princeps optaverat, ubi in conclave ascendit Antonius, hîc ex pectore reliquiarum plena cruce deprompta, cum suis omnibus([2]), satis alta voce, genibus flexis, hymnum *Te Deum laudamus* recitavit. Quod nobiles Antonium prosecuti cum perquirerent, quid id esset; cognovissent autem, ab eo gratias Deo actas, quod christianam veram fidem cum suis constanter ac publice defendisset, mirifice affecti sunt, ut non solùm obmutescerent, verum etiam expavescerent([3]). Hanc enim a teneris annis Mosci opinionem imbuerunt, sese ut solos veros christianos existiment; reliquos, licet catholicos, et immundos, et haereticos, aut errantes putant. Sed et ejus ingenii Principi res illa molestissime accidit, cùm hominis a Pontifice maximo missi praesentia, et erga Metropolitam suum demissione, gentem illam in schismate stabilire cogitasset, quasi Pontifex maximus Antonium, ad id officium praestandum, veritate agnita, misisset: quemadmodum antea Smolenscii per Episcopum aut wladycam illum, deinde vero Novogardiae Magnae per Archiepiscopum frustra tentaverat. Itaque astuto in astutia sua comprehenso, facti illius publici testimonium in cordibus Moscorum diu, ut sperandum est, haerebit: cum re ipsa coram Principe suo viderent, eam, quam putant sese habere fidem, ab Orthodoxis et Catholicis ne dignam quidem aestimari, ut ipsorum ritibus pius aliquis intersit.

Cum itaque haec acta fuissent, senatoribus ad Antonium venientibus, ab eo rationes allatae sunt, cur Princeps, si quid gratiae, ut ajebant, Antonio ostendere voluisset, nec Pontificem maximum, a Christo institutum, carpere coram omnibus debuisset; nec cogitare, eos, qui ab illo mitterentur, inferiores esse Metropolita: qui ne Metropolita quidem esset, cum et alter, qui diceretur Metropolita, esset in monasterio superstes; alius vero, quod liberius Principis mores reprehendisset, una cum omnibus suis fuisset combustus, ac nemo eorum a Christi vicario fuisset confirmatus. Tum de veritate fidei Catholicae plura locuto Antonio, cum pacatas([4]) aures et animum senatores adhibuissent, ipsi, cum omnia Principi sese relaturos polliciti essent (sicuti eo ipso die fecerunt); ad alia([5]) capita ex scripto responderunt, quae Antonius aliquot ante dies Principi proposuerat.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini (Tom. I, No 20), quae adservantur in Tabulariis secretioribus Vaticanis. Confer. Moscovia *ejus, edita Coloniae, pag. 36 — 37.*

([1]) *add.* ab Antonio. ([2]) *add.* qui erant quindecim. ([3]) expallescerent. ([4]) *dictio haec omissa.* ([5]) *add.* rerum.

XXXVI.

Capita, quibus Graeci et Rutheni a Latinis in re fidei dissenserunt, ubi ab Ecclesia Catholica Graeci sese praeciderunt (1), tradita ab Antonio Possevino (2), in magno consessu procerum, Ioanni Basilii Magno Moscoviae Duci, die III Martii, 1582, Moscuae (3).

Изложеніе спорныхъ пунктовъ о Вѣрѣ между Греками и Латинами послѣ раздѣленія Церквей, поданное Московскому Царю Іоанну Васильевичу Антоніемъ Поссевиномъ, въ присутствіи бояръ, въ Москвѣ, 3го Марта 1582 г.

Quod de me, tuo nomine (4), quaesivere senatores tui (5), ut discrimen indicarem (6) tibi (7) inter Ruthenicam et Catholicam Romanam fidem, id esset longius, quàm ita angusti temporis ratio patiatur, quod mihi restat, ut in viam me dem (8). Verumtamen, cùm ex libro Gennadii Patriarchae Constantinopolitani, qui Florentinae (9) synodo, prius quam esset patriarcha (10), interfuit (quem librum (11) senatoribus tuis ad te dedi), praecipua discriminis ejus capita cognoscere poteris, agam, quantum potero (12), breviter de summa rei, originem in primis ac tempus attingens, quo ab Latinae et Occidentalis Ecclesiae unione secessionem Graeci fecêre, unde fidem suam Rutheni acceperunt (13). Hoc enim ad totam rem liquidius intelligendam vel maxime faciet.

Dum stetit in Oriente sincerior fides atque simplicitas, credidêre Graeci primatum Ecclesiae in Petro Apostolo ejusque successoribus (14); sicque vel in Conciliorum confirmatione necessariam esse agnoscebant Petri successorum auctoritatem, ad quos illa vox Christi Domini pertinebat: *Petre, confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32.); vel cùm a variis (15) haereticis, et ab Imperatoribus ipsis Patriarchae ceterique Orientales Episcopi persecutionem paterentur (16), ad unam ipsam Pontificis Romani Sedem confugiebant, ut defenderentur: quemadmodum divo Joanni Chrysostomo, s. Athanasio aliisque (17) contigit (Epist. 1 et 2 ad Innocentium. Sozomen. Hist. lib. 3, cap. 7). Quin vero ex universo orbe terrarum ad eamdem Sedem, de fidei quaestionibus, deque aliis gravissimis rebus scribebant Episcopi, atque ad jussum Pontificis maximi Concilia vel cogebant, vel coacta petebant ut confirmarentur. Et Thessalonicae, ipsius Graeciae civitatis (18), Episcopus (19) delegatam habebat (20) potestatem a Pontifice, qui causas et dissidia, quae in Oriente oriri

(1) descivêre. (2) *ambae autoris nomenclationes omissae.* (3) *add.* quibus brevis, dilucida et solida errorum Graecorum et Ruthenorum refutatio continetur. (4) *add.* serenissime princeps. (5) ante biduum a senatoribus tuis quaesitum est. (6) scripto ut exponerem, quid discriminis esset. (7) *haec dictio deest.* (8) quod — dem, *pericope haec omissa, interim add.* quod ad serenissimum Poloniae regem in Livoniam, atque inde ad Gregorium XIII pontificem maximum, una cum oratore tuo *(verbum deficit.)*, eas ob causas, quas nosti, mihi praescriptum est. (9) *add.* sanctae. (10) prius — patriarcha, *pericope haec deest.* (11) *add.* propterea. (12) *ambae dictiones desunt.* (13) *idem, sed multo secus,* quo Graeci, a quibus Rutheni non integram, neque rectam fidei normam acceperunt, sese a catholica Romana ecclesia praeciderunt. (14) *latius,* Graeci primatum visibilis hujus ac militantis ecclesiae Petro apostolo ejusque successoribus fuisse a Christo Domino delatum, credidêre. (15) a diversis. (16) affligerentur. (17) et aliis plerisque. (18) quae Graeciae civitas est. (19) archiepiscopus. (20) acceperat.

potuissent ([1]), decideret ([2]), sicut Leo primus testatur ([3]) (Epist. 84). At vero cum Constantinus Magnus cessit Roma, suique imperii sedem Byzantium delegit, inflati Graeci, ex temporario et praesentis Principis splendore, potiùs, quàm ab instituto Christi, quo sedes Petri omnibus praelata fuerat, auctoritatem metiri voluerunt ([4]). Sicque anno Domini CCCLXXXI, Episcopum Constantinopolitanum, qui antea ne Patriarcha quidem fuerat, tribus Orientis Patriarchis anteposuere, et secundum a Romano Pontifice facere voluere, uti ex Concilii Constantinopolitani primi canone quinto patet. Deinde, neque hoc contenti, anno CCCCLI, eumdem Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici parem efficere conati sunt, uti ex Chalcedonensis Synodi articulo sexto decimo ([5]) constat. Neque vero hoc contenti ([6]), divo Gregorio Pontifice maximo ([7]), prope sexcentesimum a Christo nato annum, Episcopum Constantinopolitanum Oecumenicum, id est, orbis terrae Episcopum, sive universalem vocare ausi sunt. Quod s. Gregorius primus pluribus Epistolis ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, atque ad Imperatorem Mauricium, et ad Imperatricem Constantiam, atque ad Partriarchas Orientis, planissime, tamquam blasphemiam contra Christi Domini institutum, confutavit. Denique anno MLIV, ut ascendit semper superbia, variis haeresibus et peccatis Oriens lucem veritatis amiserat: Episcopum enim Constantinopolitanum majorem esse Petri successoribus Graeci dixerunt ([8]). (Vid. Epist. Leonis 9. Anselmi lib. de Spiritu S. Sigibert. in Chronicis. Antonin. Hist. lib. 3. tit. 22. cap. 13).

Quibus ex rebus intelligi potest ([9]), si Graeci id ausi sunt eo tempore, quo Gregorius primus, Pontifex sanctus, Ecclesiam administrabat; eos non propter peccata Pontificum, quae modo a quibusdam ([10]) praetexuntur, sed quia excaecaverat eos tumor atque mendacium, ordinem Christi imperturbabilem ([11]) voluisse perrumpere ([12]). Sed, gratia Deo, ipsi perturbati sunt atque perrupti; ipsi mancipia Turcarum effecti; iis libri, et ipsa Sanctorum Patrum corpora adempta, et ad unam veram Catholicam Ecclesiam Romanam translata; iis denique sublata ita auctoritas est, ut ne unam quidem Synodum umquam cogere potuerint, cùm post octavam ([13]) Synodum, plus quàm decem Generalia Concilia coëgerit Sedes apostolica. Quo temporis spatio, quater et decies suos agnovit errores Graecia: sed, ut inquit s. Jacobus Apostolus, *considerans se in speculo, ac maculas suas videns, abivit retrorsum*, et ad vomitum rediit (I, 23–24). Tandem cùm securim ad radicem juste apponere Christus ([14]) vellet, sterilemque ficum ([15]) exscindere, synodum Florentinam cogi jussit; cui Ioannes Paleologus ([16]) ceterique Orientales cum interfuissent, veritate cognita, dedêre dexteras Apostolicae

([1]) enascerentur. ([2]) *add.* ac qui nominarentur in ecclesiis episcopi, eos auctoritate pontificis maximi confirmaret, si confirmandi viderentur. ([3]) *latius*: Quod vero isti Thessalonicae archiepiscopo eà potestas a summo pontifice fuerit delegata, Leo primus, cui tui Rutheni fidem habent, ac qui tot ante saecula fuit, testatur. ([4]) *latius*: At vero cum Constantinus magnus, imperii sui sede Byzantio delecta, Roma Christi vicariis, diuino afflatus numine, cesisset; Graeci, qui tanto magis ea re Petri sedem suspicere ac venerari debuissent, sic terreni imperatoris praesentia inflati sunt, ut ab eo, potius, quam ab instituto Christi, quo sedes Petri omnibus praelata fuerat, Constantinopolitanae ecclesiae dignitatem aestimare voluerint. ([5]) actione XVI. ([6]) sed neque inter hos terminos constiterunt. ([7]) diuo — maximo, *hae quatuor dictiones deficiunt.* ([8]) *latius aliterque*: episcopum enim Constantinopolitanum, non solum Petri successoribus parem esse, Graeci dixerunt, sed ementitis calumniis eos anathemate ferire, ac Latinos ex ecclesiis, quas Byzantii habebant, ejicere sunt ausi. ([9]) facile intelliges. ([10]) quae fallaciter a quibusdam Graecis. ([11]) ordinem a Christo constitutum. ([12]) perturbare atque perrumpere. ([13]) post septimam. ([14]) Deus, justus judex. ([15]) *add.* illam. ([16]) *loco nominis, titulus*, Constantinopolitanus imperator.

Sedi, erroresque, quos hauserant, Patribus ipsorum[1] publice perlectis, quos ipsimet ex Graecia et Asia secum attulerant, ejurârunt. Quorum ii praecipui erant, quos Gennadius, qui postea eorum fuit Patriarcha, eo in libello[2] demonstrat[3] et refellit, quem tibi tradendum[4] curavi. At quoniam quam lucem hauserant, eam paullo post eorum plures depulêre; factum est divinitus, ut Constantinopolis imperium, fidem Orthodoxam, splendoremque omnem amitteret[5].

1. *Primum caput dissensionis, de processione Spiritus Sancti.*

Et illud sane primarium inter Catholicos et Orientales erat discrimen, quod hi putabant temere et contra Concilia, quae praecessêre, additum esse Symbolo, quod Spiritus Sanctus procedat a Patre et a Filio. Verum Orientales ex verbo Dei et ex Patribus intellexerunt Graecis, a Latinis non duo principia, sed unum tantum principium fieri, additaque illa verba «ex Filio» ad quorumdam haereticorum[6] haeresim declinandam. Quae declaratio necessaria antea non erat; quia error ille non apparuerat. Pontifices autem maximi, qui primas Synodos coëgerunt, et alii quoque sanctissimi Patres Graeci, qui eisdem interfuerunt, eamdem processionem ex Patre et Filio testati sunt (lege Gennadium), uti ex sanctis Athanasio, Basilio, Gregorio Nysseno, Chrysostomo, Anastasio, Concilio Ephesino atque aliis ostensum est: cum disertissime scripserint, a Patre et Filio *mitti*, *procedere*, *prodire*, *profluere* Spiritum Sanctum. Sic[7] etiam ex sanctissimis Pontificibus et Patribus Occidentalis Ecclesiae haec veritas comprobata est: cum eorum Patrum sententiis, pro veritate fidei promulgatis, anathematis poenae a sexta[8] et septima Synodo subjiciantur, qui non crediderint.

Porro, quoniam nescientes[9], quid dicerent, audebant dicere[10], Latinos in excommunicationem incidisse; quia in Constantinopolitana Synodo anathema erat latum adversus eos, qui aliter, quàm in ea[11] decretum erat, sentirent, aut docerent, quàmque Ecclesia tum temporis sensisset: intellexerunt[12], quod recte Ecclesia Latina semper idem sensit aut docuit[13]; aliter autem senserunt Macedonius et Eunomius, aliique hujusmodi haeretici, adversus quos anathema illud fuerat latum[14]. Quamobrem cùm Graeci saepius sese errasse animadvertissent, saepius item, uti dictum est, cum Ecclesia Occidentali consenserunt, sicuti et in synodo Florentina (atque ante plùs quàm trecentos annos fecerant, in generali synodo Lugdunensi, Gregorio X Pontifice maximo) factum est[15]: cùm Graeci ipsi[16] eò venientes, tam reliquorum Orientalium, quàm Imperatoris Constantinopolitani nomine, publice professi sunt, Spiritum Sanctum aeternaliter ex Patre et Filio, non tamquam duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedere. Idque coram toto Concilio illo[17], ter Graece ac ter Latine cum iis verbis «secundum Scripturas, Filioque», similiter decantârunt.

---

[1] Graecis. [2] iis in capitibus de primatu Petri. [3] *verbum hoc omissum.* [4] quae tibi Ruthenice versa tradenda. [5] *latius, additoque sermone tumidiore:* ut Constantinopolitani et Graeci imperium, fidem orthodoxam, ac splendorem omnem amitterent: dilexerant enim plus tenebras, quam lucem, atque ita in tenebras interiores et exteriores traditi sunt; super cordibus adhuc velamen habentes, ut, in quo saepe convicti sunt et judicio suo ipsorum condemnati, id confiteri jam nolint. [6] *dictio haec dificit.* [7] quamobrem. [8] *add. superius,* a quinta. [9] *add.* quidam. [10] asserere. [11] *add.* synodo. [12] edocti sunt. [13] *negatiue,* nunquam aliter ecclesiam Latinam sensisse, aut docuisse. [14] pertinuisset, [15] *verbum hoc deficit.* [16] episcopi. [17] coram tota illa synodo.

2. *De pane azymo.*

Erat secundum discrimen de azymo pane, quo Latini utuntur in conficiendo divino Sacramento: sed Orientales ([1]) intellexerunt, hunc ritum, non sine afflatu Spiritus Sancti, ab Apostolis Petro et Paulo fuisse traditum Ecclesiae Occidentali ([2]); idque optima quidem ratione, sicut et laudabili ratione Orientales in fermentato consecrant ([3]). Dum enim ([4]) in consecratione Eucharistiae materia tritici, sacerdos, locus, intentio et verba sint ([5]), quae Christus instituit; nihil refert, utrum alter in azymo, alter in fermentato conficiat ([6]). Intellexerunt ([7]) item Orientales, Occidentalem Ecclesiam bona et laudabili ratione azymum in usu Eucharistiae ([8]) adhibere, sicut s. Gregorius magnus, quem Dialogum vocant, qui vixit ante schisma, ostendit ([9]): *Romana*, inquit, *Ecclesia offert azymos panes, propterea, quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; sed ceterae Ecclesiae offerunt fermentatum, pro eo, quod Verbum Patris indutum est carne, estque verus Deus, et verus homo; item et fermentum commiscetur farinae, et efficitur corpus Domini nostri Iesu Christi vivi: sed sive in azymo, sive in fermentato id conficiatur, corpus Domini nostri Iesu Christi sumimus* ([10]).

Quod autem hoc non sit judaizare, quum Christus in agni coenâ in azymo consecraverit, jusseritque idem facere, quod ipse fecit; cumque non propterea judaizemus, si aqua in Baptismo utamur, qua in suis baptismatibus Iudaei utebantur: ipsa sancta synodus Florentina et Gennadius ([11]), quem tibi tradidi ([12]), solidissimis rationibus ex verbo Dei et Patribus ostendunt.

3. *De Purgatorio, Beatitudine Sanctorum et Primatu.*

Purgatorium autem ignem esse, in quo animae expiantur, ac post expiationem in coelum ([13]) ascendunt; animas item fidelium ante judicii ([14]) diem, frui felicitate coelesti; ac Pontificibus Romanis delatam esse ([15]) curam universalis Ecclesiae, usque ad consummationem saeculi,—tam evidenter ex eodem verbo Dei atque ex antiquis ([16]) Patribus ostensum est, ut certissime sperem de misericordia Dei, si quis vel synodum Florentinam, vel Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum attente legerit, eum cogniturum verissimam et unicam fidem, sine qua impossibile est, ut alicui ad coelestem felicitatem pateat ([17]) aditus.

Ubi primo Orientales cognoverunt ([18]), Ecclesiam Catholicam, sanctam Petri sedem apostolicam ([19]), neque posse errare, et vero a Christo Domino, ad veram populis doctrinam tradendam, accepisse Spiritum Sanctum: facillimum fuit, reliquas nugas, et historias falsas, atque eas, quae Latinis objiciebantur, calumnias vel mendacia diluere.

Primum enim, quod Graeci ([20]) objicere soliti ([21]) sunt, post septem prima Generalia Concilia, nullum ([22]) Concilium esse cogendum:

([1]) *add.* item. ([2]) *dictiones ambae in num. plur.* ([3]) *latius:* quod cum optima ratione fieret, relinquerunt tamen orientalibus integrum, ut ipsi in fermentato non sine laudabili ratione consecrarent. ([4]) *in parenthesi add.* ut inquit eorum patriarcha Gennadius. ([5]) a consecratione — non absint. ([6]) *apodosis brevius contexta:* amplius requirendum non est. ([7]) et agnovêre. ([8]) *dictio haec desideratur.* ([9]) *de s. Gregorio nulla in textu autoris est mentio.* ([10]) *demonstratio haec verbis, non sensu discrepat, ad cujus plenitudinem accessit inductio sequens:* nec propterea duo Christi credendi sunt, alter in azymo, alter, qui in fermentato conficiatur. ([11]) *add.* ipse. ([12]) *add.* Graecum et Latinum. ([13]) *add.* ante extremum judicii diem. ([14]) *add.* eundem. ([15]) *add.* in Petro apostolo. ([16]) *in gradu superlat.* ([17]) sine qua nemini umquam ad coelestem gloriam patebit. ([18]) *latius,* ubi ergo Graeci haec didicerunt, et inde etiam intellexère. ([19]) *paucis aliter,* sanctam Petri sedem, et quae ab ea regitur, catholicam Romanam ecclesiam. ([20]) *add.* aliqui. ([21]) aussi. ([22]) *add.* aliud.

Ubinam Christus hoc dixit? Ecquis alligavit verbum Dei? Quis Spiritum Sanctum obmutescere fecit, quin emergentibus erroribus et haeresibus, Ecclesia usque ad consummationem saeculi (1) consuleret christianae concordiae, ac per Concilia Generalia, generalibus morbis remedium adhiberet? Verumtamen cum Graeci viderent, sine uno Pastore visibili, quem propterea (2) Christus Dominus reliquit Ecclesiae, sese numquam potuisse ulla vera (3) Concilia cogere (quamobrem etiam variis dissidiis et erroribus inter sese dissecti sunt); Catholicam autem Occidentalem Ecclesiam auctoritatem suam in cogendis (4) Conciliis Generalibus servasse (5), ac plura alia post septem illa prima (6) indixisse et confirmasse (sicuti et paucos ante annos, synodum Tridentinam adversus Lutheranam et alias haereses coëgit): propterea iidem Graeci mendacio illo veritatem tegere voluerunt, quasi septima Synodus aliorum sustulerit, aut (si Deo placet) tollere potuerit facultatem eam, quam Christus ipse Ecclesiae suae in perpetuum tradidit.

4. De rituum diversitate.

Quod ob varios in Ecclesia ritus, quos prudenter, pro ratione variarum nationum (7), Apostoli instituerunt, aut fidem (8) laedi, aut imminui, Graeci putassent, si secus fieret in Occidente, quam fit in Oriente (9) (quamvis etiam in ipso Oriente sint plurimi atque diversi ritus inter Syros, Maronitas, Aetiopes, Armenos, et Graecos): id facile ostensum est, nihil obesse (10) Orthodoxae fidei, dum unaquaeque provincia cum charitate et unione servaret, quae a suis Apostolis, vel legitimis eorum successoribus accepisset.

5. De Baptismi ceremoniis.

Itaque quod ad Baptismum pertinet, qui fit cum integra corporis immersione (11) apud Graecos (12), aut cum capitis perfusione in Occidente, utrobique idem re ipsa est. Corporis enim totius de immersione, sancti Dionysius Areopagita et Cyrillus episcopus Hierosolymitanus, de capitis vero perfusione S. Clemens in Apostolicis Constitutionibus testimonium reddunt. Itaque si quis Latinus Graecum infantem, Graeco ritu baptizatum, rebaptizaret; sicut, et si quis Graecus Latinum, ritu Occidentalis Ecclesiae baptizatum, rebaptizaret, aut hunc, vel illum fuisse vero Christi baptismo baptizatum, non crederet, pessime faceret ac pessime crederet (13).

6. De Unctione Chrismatis.

Negant autem reliqui Graeci, esse plus, quam unam chrismatis unctionem; qui error manifestissimus est contra verbum Dei, et s. Clementem, et Constitutiones Apostolicas, et contra s. Dionysium Areopagitam, et s. Cyrillum Hierosolymitanum, et s. Melchiadem pontificem et martyrem. (Vid. Eccl. Hierar. cap. 4. Catech. 3. Mystagog. Epist. ad episcopos Hisp.). Proinde mirandum non est, si Graeci, ubi sacramentum Confirmationis rite non susceperunt, infirmati sunt in fide, et ab infidelibus (14) pessima quaeque (15) patiantur.

(1) ad extremum hujus mundi diem. (2) ut necessario, ita sapientissime. (3) legitima. (4) *add.* ac confirmandis. (5) catholicae—integram restare. (6) *add.* eandem apostolicam Romanam sedem. (7) ratione diversarum gentium. (8) religionem. (9) si alii (*i. e.* ritus) in occidente, quam in oriente retinerentur. (10) obesse non posse. (11) *praepositione sublata.* (12) *add.* et apud Ruthenos. (13) *dictionum ordo permutatus.* (14) et a Turcis perfidis Christi hostibus. (15) *add.* adhuc.

7. *De Divortio.*

Matrimonium ex Christo, sanctaque universali Ecclesia indissolubile est, quamdiu alter conjugum vixerit. Graeci autem divortium ita permittunt, ut, superstite altero conjugum, alter uxorem ducere possit: quod mirum non est, cùm divortium ab Ecclesia Catholica fecerint, cujus conjunctio indissolubilis cum Christo Capite per matrimonium designatur, quod divus Apostolus Paulus propterea vocat magnum Sacramentum (Ephes. 5, 32).

8. *De sacerdotum caelibatu.*

Sacerdotes Graeci uxorem ante sacerdotium ducunt(¹), Latini autem caelibatum servant: quod quidem melius est, tum ad tractanda divina mysteria, ut sint sancti corpore et spiritu; tum quoniam negotiis temporalibus et filiorum carnalium propagatione implicari non debent, qui spiritualibus rebus vacantes, semper(²) accincti esse debent ad proximos adjuvandos, sacramentaque dies et noctes, vivis et moribundis ministranda.

9. *De Jejunio Quadragesimae.*

Aliqui Orientales de jejunio magno Catholicos abscindere hebdomadam objiciebant: sed facile fuit illis ostendere, Catholicos, a tempore Apostolorum Petri et Pauli, unam et integram Quadragesimam accepisse, quam jejunarent. Quae quidem vitae Christi imitationem habet, sicut Beatus Ignatius scribit ad Philippenses, scilicet: *quod ad Christi Domini exemplum, quicumque id praestare possumus, totidem dies jejunare debemus* (Epist. ad univers. cap. 4). Quod si quis hebdomadam et plures quoque dies Quadragesimae velit adjicere, quibus se ad jejunium illud melius praeparet, id integrum cuilibet relinquitur; sicut et laudabile est (quod etiam plures faciunt apud nos religiosi viri), non unam tantum, sed plures quoque quadragesimas facere. Quod vero Telesphorus Pontifex maximus suaserit, ut, quod et ante illius tempora fiebat, septem hebdomadas plenas jejunaretur; id clericis et monachis proposuit: quod etiam plerique observant, quamquam non fuerit, tanquam lex rigida omnibus imposita. Porro in Ecclesiis Catholicorum per totum Orientem et Occidentem, alii secunda, alii quarta feriâ jejunium incipiunt: et tamen nulli vis inferenda est, dum quadraginta dierum jejunium expleat, ad Christi imitationem (quantum hominibus licet), qui(³) exemplum dedit nobis(⁴), ut quemadmodum ille fecit, ita et nos faciamus. Quemadmodum enim inquit s. Ioannes Damascenus in libello, quem de jejuniis ad Cometum scripsit, postquam de orientalis jejunii more, qui etiam in Occidente ex parte servatur, locutus est: *Haec est regula, et lex Ecclesiae, quam in sancta Christi resurrectione servari scimus: sed abundare in bono,* ἐπιδα ψιλεύεσθαι τὴν ἀρετὴν, id est, *et exuberare virtutem, non est improbandum, sed potius Deo et hominibus prudentibus gratum: ita tamen, ut nulla vis fiat, nec imponatur necessitas, sed suasio adhibeatur, nunc praesertim, in hac temporis difficultate. Utrumque enim nunc utile est et necessarium, addere ad bonum, et a violentia abstinere.* Deinde subjungit: *quis juberet, ut per universum vitae tempus unum jejunium esset? Verum aliud est modus admonitionis, alius legislationis: satis sunt, quae a Spiritu Sancto sancita sunt,* οὐθετησθώτη προσθήκη τοῦ ἀγαθοῦ, id est, *admoneatur accretio, sive accessio boni.* Haec Damascenus.

(¹) *add.* et in sacerdotio ea utuntur. (²) super. (³) quibus. (⁴) *haec dictio deest.*

Quin vero, cum charitas sit finis praecepti divini[1], lexque omnis eò referri debeat; jejunium autem non ad destruendam naturam, sed ad animi perturbationes domandas, et ad animum ad coelestia excitandum institutum sit: propterea aegrotis et debilibus (si opus sit) tempore jejunii[2] dare cibum, qui bene valentibus interdictus est, id nullo cum scrupulo faciendum est; ut enim inquit divus Paulus Apostolus: *pietas ad omnia utilis est.* (1. Tim. 4, 8). Tum autem aegrotis cibus non datur, ut cibus, sed ut medicina: quoniam *Deus ex altissimis*, ut inquit Scriptura, *creavit eam* (Eccles. 38, 2). Si quis aegrotis adimit[3], is cum possit esse causa mortis alicujus, tamquam homicida judicaretur a Deo[4]. Neque vero Orientales a Latinis in fide discrepant, quod non solum ii longiorem Quadragesimam, quàm Latini, jejunant, verum etiam aliis anni temporibus plura videantur habere jejunia. Quae enim erant necessaria Ecclesiae, pro ratione temporum et locorum, sive Apostoli, sive qui iis successerunt, Spiritu Sancto dictante, tradidere. Nec tamen Latini Graecorum jejunia improbant, licet Graeci haud semper ea recte praestant: cum plerumque ac saepius eo die jejunii comedant, potationibusque plus aequo indulgeant[5].

10. Jejunia Vigiliarum et quatuor temporum.

Porro Latini in pervigiliis Apostolorum aliorumque aliquot festorum dierum, uti praesertim Salvatoris nostri et Beatissimae Virginis, jejunant, quò diem insequentem vegetiores in orando, piisque operibus faciendis, visitandis carceribus et nosocomiis[6], consolandis afflictis, invisendis aegrotis, impendere possint. Duodecim praeterea dies sunt, qui in quatuor anni tempora distribuuntur (adnumeratis tamen tribus iis diebus, qui in tempus incidunt Quadragesimae), in quibus juxta antiquissimum Apostolorum exemplum jejunant, ut ea fiat ab Episcopis recta spiritualium operariorum ordinatio, quam ipsimet Apostoli jejunantes et orantes fecerunt, tum, cum Paulum et Barnabam, impositis eis manibus, sacerdotes crearunt (Act. Ap. 13, 3).

11. De Jejunio Sabbathi.

Cum aut Graeci, aut alii objicerent, ex Epistola divi Ignatii ad Philippenses, et ex Concilio Gangrensi, atque ex Apostolicis Canonibus, non esse sabbatho ac die dominico jejunandum: Latini illis ostenderunt, traditum esse eum ritum non jejunandi sabbatho Ecclesiis Orientis[7], tum propter Simonianos in Oriente ortos, qui mundum, a cujus creatione Deus sabbatho requievit, opus ejus esse negabant; tum quia divinitus afflati Apostoli praenoscebant, futuros quoque haereticos in Oriente Manichaeos, Eustachianos, Marcionistas, Lampetianos et Messalianos, qui in Paphlagonia apparuerunt: qui quidem jejunabant sabbatho simulate, in contumeliam Resurrectionis Christi, cui Resurrectioni a vespere sabbathi (ut ait Magnus Leo Pontifex, in Epist. 81, cap. 1), initium constat adscribi. Porro eam fuisse causam prohibendi jejunium sabbathi, Synodus Gangrensis ipsa, et s. Anastasius Patriarcha Antiochenus exponunt, cum inquiunt, illos sabbatho et die dominico jejunare πρὸς τὴν νομιζωμένην ἄσκησιν, id est, ob simulatam abstinentiae exercitationem. Porro, quia in Occidente eadem

---

(1) domini. (2) *ambae dictiones desunt.* (3) *in autographo nomen substantivum (i. e.* cibum) *desideratur.* (4) si quis — a Deo, *periodus haec tota in textu deficit.* (5) *add.* ut tua Serenitas scit: ne quis ista specie ac nomine potius, quàm re abstinentiae, se atque alios decipiat. (6) nosodochiis. (7) *ordo verborum permutatus.*

causa non erat, nec illa haeresis vigebat; prohibitum non est, quin ipsa die sabbathi, ad alium finem (de quo mox dicetur) jejunare, sive a carnibus abstinere laudabiliter (1) possent.

12. De abstinentia feriae quartae.

Cum aliqui mirarentur, quod quarta feriâ Latini non jejunarent, aut a carnibus non abstinerent; Latini illos docuerunt, non deesse apud sese, qui diem illum religiosâ abstinentia observent. Sed ut antiquitus quaedam fuere indicta in commune jejunia (quae Synodus Gangrensis appellat εἰς τὸ κοινὸν tradita); sic fuisse alia non in commune tradita, dixere (2), quae pro ratione locorum, variis observanda diebus, ab Apostolis relicta fuissent. Orienti quidem jejunium quartae et sextae feriae, Occidenti autem feriae sextae et sabbathi; utrique vero Quadragesima seu jejunium magnum in commune praescriptum. At vero et Orientalibus et Occidentalibus (3) abstinentiae consentanea rationi causa est, et decorus in Ecclesia Dei cultus. Apud Graecos quidem quartâ et sextâ feriis, quod ablatus iis fuerit Sponsus: feriâ enim quarta pactus est Iudas Domini proditionem, sexta vero crucifixus est pro nobis benignissimus Dominus. Sed apud Occidentales feria sexta, ob eamdem, quam diximus (4), causam; sabbatho vero, quod et in sepulcro latuit, et qui dies erat quietis Iudaeis, nobis adhuc fuit doloris; utque reliquias eorum sabbathismi jam christiani nolle se indicarent: qui et ad diei insequentis dominici celebrandam festivitatem, et ad communionem Eucharistiae plerumque se praeparabant ac praeparant. Porro tantum abest, ut ob hanc causam Ecclesia Latina ritum illum Orientis damnet, ut etiam (quod quidem ad eas Ecclesias attinet) eum defenderit, sicut B. Augustinus contra Urbicum, et Tertullianus in Apologetico fecerunt. In quo sicut Ecclesiae Catholicae ingenuitatem agnoscere possunt, ita iis esset faciendum, si ab eodem Capite, quod est Christus Dominus, eundem Christi Spiritum velint accipere (5).

13. De abstinentia monachorum et episcoporum.

Illud vero discrimen in fide non est, quod Monachi et Episcopi Orientales a carnibus abstineant, non omnes autem Occidentales monachi (licet complures eorum carnes non edant), neque omnes episcopi Latini earumdem carnium esum sibi interdicant. Nam neque Apostoli omnes, praeter jejuniorum dies, perpetuo a carnibus abstinuerunt, nec Christus, perfectionis omnis auctor et fons, id fecit: quamvis integrum unicuique reliquerit, ut pro arbitrio suo, dataque gratiae coelestis mensura, id genus vitae eligeret, cui idoneum se fore censeret, et ad quam capescendam a Domino vocaretur. Quin vero si diversitas haec pertineret ad negotium fidei, pertineret item illud, quod in Ecclesiis Catholicorum per Occidentem et per Orientem, alii in pane et aqua jejunant, alii piscibus, alii solis herbis et leguminibus, alii aridis tantum, quod (6) Graeci vocant ξηροφαγίαν, atque ex his alii plus, alii minus sumunt; alii rursus usque ad vesperam, alii usque ad nonam prandium differunt, alii usque ad meridiem tantum, et horum alii partim usque ad posteram diem abstinent, partim paululum degustant (7).

---

(1) cum laude. (2) docuerunt. (3) ut orientalis, sic occidentalis. (4) *passiue.* (5) spiritum se accepisse, ostendere possent. (6) *add.* genus jejunii. 7) horum pars abstinet — degustat.

14. *De abstinentia a suffocato et sangvine.*

Cum Graeci [1] obstupescerent [2], quod adversus Apostolorum decretum, a suffocato et sanguine non abstineamus; Latini illos docuere [3], decretum illud fuisse latum adversus idolorum cultores, qui immolatum et idolothytum comedebant, aut *calicem*, quem Apostolus vocat *daemoniorum*, *bibebant* (I. Cor. 10, 21). Servandum autem esse, sicut et a Catholicis servatur, illud decretum, ubicumque inter gentes, quae idola adorant, immolatitia sint. Porro eo decreto immolatitia fuisse prohibita, non autem reliqua, gravissimi testes sunt: B. Cyrillus Hierosolymitanus in quarta Catechesi, Iustinus Martyr in Quaest. XLV, Gregorius Nazianzenus in Sermone in Sanctum Pascha, Origenes in libro VIII contra Celsum, et Magnetes, antiquissimus auctor librorum trium Apologiae pro Evangelio, contra Theostenem Evangelia calumniantem. Qui omnes summae auctoritatis Patres in Oriente vixerunt; ne quid dicam de Tertulliano, qui fuit Africanus, id ipsum in Apologetico antiquissime comprobans.

15. *De signo Crucis.*

De signo crucis, quod Rutheni ad laevam finiunt, quoniam ad Patris dexteram Filium considentem ipsi putant, ea consignatione, quam ad dexteram faciunt partem [4], designari; respondemus [5]: nos quidem alteram piam et mysterii plenam, nobis sanctae crucis signo consignandi habere consuetudinem; qui ut illorum non improbamus sensum atque pietatem [6], sic laudare non possumus, quod, cùm ad sinistram sese signo crucis muniunt, id propterea, dicunt [7], sese facere, quod Spiritus Sanctus ad sinistram Patris sedeat. Est vero [8] altius [9] quàm pro humano captu [10], de Sanctissimae Trinitatis mysterio credendum et judicandum. Ceterum nostrae consignationis haec est ratio, ut, cum eam a capite inchoamus, inde Patrem caput et fontem omnium bonorum, atque adeo primarium fontem reliquarum personarum Santissimae Trinitatis agnoscamus. Cum vero tres primos digitos dexterae demittentes, nomen Filii nominamus, tum ejusdem in ventre Beatissimae Virginis incarnationem recordamur; qua recordatione testamur, mysterium illud temporibus aeternis tacitum, Angelis et mundo (sicut testatur Apostolus), innotuisse, erga nos vero summum omnium beneficium collatum fuisse. Ad laevam porro et dexteram pectoris partem Spiritus Sancti nomen adsciscimus, ut eum a Patre et Filio procedentem (sicut revera procedit), contra impiam Eunomii haeresim aliosque haereticos, confiteamur [11]. Sic autem nos finimus eam consignationem ad dexteram; quoniam dextera in divinis scripturis perfectionem signat [12], semper autem nobis ad perfectionem tendendum est: quippe quod id Deus potissimum velit, qui omnia, quantum in se est, perficit. Sicut in Missa quoque evangelium, tamquam rem perfectiorem, in dextero cornu legimus, Missaeque sacrificium eodem in cornu absolvere solemus, tamquam omnium perfectissimum opus [13].

---

(1) *add.* quidam. (2) obstreperent. (3) *passiue.* (4) *haec dictio deest, interim add.* cum Filium nominant. (5) non valde laborabimus. (6) *in parenthesi add.* si alioquin absit ab errore. (7) putent, *posthac add.* sicut a tuis mihi relatum est. (8) *add.* serenissime princeps. (9) multo altius, (10) *add.* ac rebus, quae sub sensum cadunt. (11) *add.* utrique consubstantialem et ab utraque distinctam personam. (12) significat. (13) sicut in missa — opus, *tota haec periodus desideratur.*

16. *De ratione pingendi Imagines.*

Quod autem mirentur Rutheni ([1]), nos piis imaginibus nomina eorum Sanctorum, quos repraesentant, non semper adscribere, ut ipsi faciunt; respondemus ([2]): si nominum illorum adscriptio ideo necessaria est, ut, quos Sanctos repraesentent, ii agnoscantur ([3]), jam eam necessariam non esse iis, qui illas agnoscunt. Catholicis autem primo aspectu innotescere cuique ([4]) Christum Crucifixum, Beatissimam Virginem, et plerasque alias Sanctorum imagines, quis dubitet? Praeterea, si nominis adscriptio necessaria sit, quid illa faciet idiotis legere nescientibus, quales plerique omnes sunt Rutheni, cum potius ipsaemet imagines loco scripti ([5]) adhibeantur? Quod si dicunt, in ipsa nominis adscriptione virtutem aliquam consistere (id enim aliquando ex iis audivi) ([6]); respondemus ([7]), in notis illis haud sitam esse vim, aut virtutem ullam, sed in sensu ac viva fide ([8]): laudare tamen nos ([9]), si quis ex pietate, et non ex superstitione ([10]), nomen imaginibus adscribat, ut alii, quod ignorant, intelligant, eaque ratione pias a profanis imaginibus dignoscant: quod quidem plerumque ([11]) Catholici ([12]) faciunt.

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini (Tom. I, No 20.), quae adseruantur in Tabulariis secretioribus Vaticanis. Confer. Moscovia *ejus, ed. Coloniae, pag. 38 — 43.*

XXXVII.

Errores ([1]) Ruthenorum, qui Graecorum fidem sequuntur ([2]), postquam illi ([3]) ab Ecclesia sese absciderunt.

О нѣкоторыхъ установленіяхъ Восточной и Россійской Церкви, несогласныхъ съ Церковію Римскою.

1. *De fornicatione.*

Errant ([4]), cum dicunt, simplicem fornicationem non esse peccatum; dicunt enim contra illud Christi Domini: *de corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta et similia, quae coinquinant hominem* (Math. 15, 19); ac contra illud Pauli: *neque fornicarii, neque adulteri* et c. *regnum Dei possidebunt* (1. Cor. 6, 9).

2. *De Eucharistia feriae quintae majoris hebdomadae.*

Errant, cum dicunt, praestantissimum Eucharistiae Sacramentum in die Coenae Domini,

---

([1]) *add.* tui. ([2]) scito. ([3]) *idem, sed latius:* ex ea sancti illi viri agnoscantur. ([4]) *haec dictio deficit.* ([5]) *add.* et loco litterarum idiotis. ([6]) ut mihi tui dixere. ([7]) tu sapiens es, qui intelligas, *et cet.* ([8]) *dictionum ordo permixtus.* ([9]) ac tamen non improbamus eorum consvetudinem. ([10]) qui pietate, non superstitione adducti. ([11]) sane crebro. ([12]) latini quoque catholici.

([1]) *add.* alii. ([2]) orientale schisma sequuti sunt. ([3]) Graeci. ([4]) *item add.* Graeci.

nempe, feriâ quintâ majoris hebdomadae confectum, excellentioris esse virtutis et efficaciae, quàm alio quolibet die consecratum. Eadem enim virtus est divini verbi, cum a sacerdote juxta Domini praeceptum profertur: *Hoc est Corpus meum* (Mat. 26, 26). Neque enim una plus, quàm altera dies, sed instituti ac voluntatis Dei ratio tribuit efficaciam (1) huic sancto sacramento, quocumque tempore id rite celebretur.

3. De communione peccatorum.

Errant, cum dicunt, eos, qui fuerunt aliquibus peccatis obvoluti (2), non recipere corpus Christi Domini, cum ad altare accedunt (3): vere enim illud sumunt, licet indigne, et *ad judicium accipiunt, non dijudicantes corpus Domini,* ut Apostolus ait (1. Cor. 11, 29).

4. De secundis nuptiis.

Errant, cum primas nuptias admittunt, secundas damnant. Dum enim alteruter conjux mortuus sit, solutus est alter, ut iterum possit nubere, non autem, si alteruter conjugum sit superstes, quod ex Christi Domini verbo manifeste colligitur (Mat. 19, 9. 1. Cor. 11, 9, sq).

5. De salute corporis a sacramento extremae Unctionis.

Errant, cum dicunt, extremae Unctionis sacramentum aegrotantibus non prodesse aliquando ad salutem quoque corporis, quamvis semper ad salutem animae (4) prosit. Hoc enim adversatur (5) sancti Jacobi Apostoli verbo, qui de tali sacramento loquens, ait: *et oratio fidei salvabit,* vel (ut Graecus textus habet) *sanabit infirmum; et, si fuerit in peccatis, remittentur ei* (5, 15).

6. De usura.

Errant, cum dicunt, peccatum non esse (6), dare aliquid ad usuram (7). Dictum enim est a Christo Domino: *mutuo date, nihil inde sperantes* (Luc. 6, 35), et a Davide propheta: *eum, qui non dabit pecuniam suam ad usuram, habitaturum in tabernaculo Dei* (Psal. 14, 5). Ergo qui dabit pecuniam suam ad usuram, non habitabit in tabernaculo Dei (8).

7. De restitutione.

Errant, cum putant, non esse necessariam rei furto sublatae restitutionem, ut aliquis ad vitam ingrediatur aeternam. Scriptum enim est: *non furtum facies* (Exod. 20, 13), et: *facite fructus dignos poenitentiae* (Luc. 3, 8.) Et Zachaeus ait: *si quem defraudavi, reddo quadruplum* (Luc. 19, 8). At vero quomodo fient fructus digni poenitentiae, nisi rei injuste usurpatae fiat ejus Domino restitutio? Itaque pessime faciunt ii sacerdotes (9), qui pro furto, usura, rapina manifesta, peccatoribus haud injungunt, ut quibus aliquid abstulêre, iis id restituant (10); sed oleo simplici inungentes raptorem, quem sibi cogunt aliquam pecuniae ejus (11) portionem distribuere (12), quo ei absolutionem impertiant: sicque tandem, ea pecunia a fure accepta (13), ipsum absolvunt (14).

(1) *add.* et vim. (2) inquinati. (3) accesserint. (4) *add.* obicem non ponentis. (5) *add.* aperte. (6) cum peccatum committi negant. (7) *cum conditione,* si quis ad usuram alicui det. (8) *idem, sed non iisdem dictionibus*: quamobrem qui dabit ad usuram, nec resipiscet, is profectò in tabernaculo Dei non commorabitur. (9) *in num. sing.* (10) *breuius,* satis esse putent, si oleo *et c.* (11) *add.* male partae. (12) impertire. (13) quo ei — accepta, *phrases hae e textu exclusae.* (14) *add.* qui tamen coram Deo absolutus non est.

8. *De ratione formandi imagines.*

Errant, cum putant, non licere Christi Domini imaginem exculpere, non intelligentes, sculptilia fuisse prohibita a Deo, ut pronos ad idololatriam Iudaeorum animos averteret ([1]): *non facias tibi sculptile* (Exod. 20, 4. 23). Haec enim verba ad eos pertinebant, qui idola Beelzebul, Dagon et aliorum daemonum sic adorabant, ut illis etiam immolarent et thus offerrent. At vero Christi luce exoriente, idololatria sic depulsa est, ut jam liceat veri Dei et hominis Christi Iesu, Sanctorumque servorum suorum memoriam omnibus piis modis excitare et ad mentem revocare. Quod si illis verbis, *non facias tibi sculptile*, putant, Sanctorum imagines sculptas prohiberi: cur item picturam istarum, quales permultas Rutheni honorant ([2]), non putant, prohiberi iis, quibus statim post ea verba, *non facias tibi sculptile*, adjecta sequentia ([3]): *neque omnem similitudinem, quae vel est in caelo desuper, et quae in terra deorsum*? (Exod. 20, 4). Cur item divi Nicolai exculptam alicubi habent imaginem, si hoc putant interdictum ([4])?

9. *De perpetuitate sacerdotii.*

Error item est maximus ([5]), cum creditur, demortuâ sacerdotis uxore, desinere esse sacerdotem ([6]). Si enim semel sacerdos a vero Episcopo consecratus sit, nunquam desinit esse sacerdos, etiamsi moriens resurgat ([7]). Character enim is imprimitur, ut perpetuo sit indelebilis; idque omnium Patrum sanctissimorum Orientis et Occidentis unanimi fide verissimum est ([8]). Non enim ab uxore sacerdotium pendet (cum tam multi etiam inter Ruthenos sacerdotes sint episcopi, vel monachi, qui uxorem non habent), sed pendet a Christi instituto: cui maxime deceat, ut caelibatus annexus sit ([9]).

10. *De spe salutis in schismate.*

Omnium errorum fons est ([10]), quod quis putet ([11]), extra Ecclesiam Catholicam se posse salvari ([12]). Ecclesiam autem esse christianam, eam, ubi non sit idem ordo, quem Christus Dominus instituit, futurum usque ad consummationem saeculi, quis umquam dixerit ([13])? Qui enim in uno non credit, factus est omnium reus ([14]). Quamobrem item legitimi ([15]) neque episcopi, neque metropolitae sunt ([16]) apud Deum, qui non sunt confirmati a Pontifice maximo ([17]). Dictum est enim Petro a Christo Domino, qui ([18]) numquam mentitur: *confirma fratres tuos* (Luc. 22, 32). Atqui Ecclesia, quae erat pascenda, et episcopi, qui erant

([1]) *add.* ab eadem. ([2]) venerantur. ([3]) *brevius*, prohiberi sequentibus verbis. ([4]) *aliter*, imaginem, sicut ipsi tua in Russia his oculis vidimus. ([5]) foedissimus. ([6]) *expressius*, creditur sacerdos (si rite initiatus sit) amplius non esse sacerdos. ([7]) *tota haec periodus desideratur.* ([8]) *idem, aliis tamen verbis*: cum enim ab episcopo character indelebilis sacerdoti imprimatur (quod omnium patrum S. occidentis et orientis unanimi fide constat): cur, pereunte uxore, suus indelebilis ordo sacerdoti pereat? ([9]) *variantia textus continuatur:* An ab uxore forsan sacerdotium accepit, et non a Christo per episcopum? an non etiam inter Ruthenos plures sacerdotes sunt vel episcopi, vel monachi? qui cùm uxorem non habeant, gravissimi testes sunt, sacerdotium a Christi instituto, non ab uxore pendere. Cùm igitur maxime deceat, ut caelibatus christiano sacerdotio sit annexus. ([10]) *add* is, tum certissimus, tum maximus. ([11]) Graeci et Rutheni opinentur. ([12]) *idem, sed variis phrasibus:* aeternam se posse salutem adipisci. ([13]) *latius*: Neque enim vere christiana ecclesia est, quae institutum a Christo ordinem, aut potestatem non habet; nec, si quondam habuerit, adhuc retinet. ([14]) *itemque latius:* Si autem quicumque totam servaverit legem, offendat autem in uno (ut s. Jacobus ait), factus est omnium reus; *posthac add.* Sane, qui traditam Petro a Christo Domino potestatem ac primatum in terris negauerit, aut fallaci fraude cogitaverit, ipsam evanuisse, adversus quam portae inferi nunquam erunt praevaliturae: jam condemnatus est, etiamsi pleraque alia omnia crederet. ([15]) *dictio haec deest.* ([16]) ii censentur. ([17]) *add.* ab ejus in terris vicario. ([18]) *add.* qui veritas est, quique *et c.*

sicut fratres confirmandi a Petro, non tantummodo ad Petri, dum viveret, tempora, sed usque ad consummationem saeculi ([1]) erunt duraturi. Quod s. Ioannes Chrysostomus (Homilia 83 in Matthaeum) innuens, *Non dixit,* inquit, *non negabis, sed, ut non deficiat fides tua* (Luc. 22, 32): *cura enim ipsius et favore factum est, ne Petri fides* ([2]) *evanesceret.* Theophylactus item in 22 cap. evangelii Lucae: *Quamvis,* inquit, *brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina fidei; etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, et non deficiet fides tua.* Et Agatho Papa in Epistola ad Constantinopolitanum Imperatorem, quae lecta est in Sextae Synodi actione quarta, et postea in actione octava ab omnibus comprobata: *Haec est,* inquit, *verae fidei regula, quam et in prosperis, et in adversis vivaciter tenuit apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei gratiam, a tramite*([3]) *apostolicae traditionis numquam errasse probatur, nec haereticis novitatibus umquam depravata succubuit; quia dictum est Petro: Simon, Simon: ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, ego autem oravi pro te, ne fides tua deficiat* (Luc. 22, 31 et 32).

Vides jam ex his([4]), sed multo liquidius ex sequentibus agnosces, Serenissime Princeps([5]), Metropolitam et Episcopos tuos non legitime ([6]) sacra administrare ([7]): quoniam confirmati non sunt ab eo, cui Christus confirmandi eos potestatem detulit; quam si qui putant evanuisse, ubi nunc, obsecro, erit Sedes Petri, contra quam inferi portae non erunt praevaliturae ([8])?

11. *Necessitas summi Pastoris.*

Porro, si quo errore conficiatur([9]) Oriens, aut Occidens ullave christiana pars orbis; quis([10]) de fidei quaestionibus judicabit? quis delectos a clero([11]) confirmabit? quis schismata tollet, aut ad concordiam rediget([12])? *Confirma,* inquit Christus, *fratres tuos* ([13]). Ita, ne in vanum curreret, aut cucurrisset, ipsemet Paulus Apostolus ascendit Hierosolymam, ad Petrum et Jacobum (Gal. 2, 9), ut conferret cum eis Evangelium([14]): cum tamen Paulus([15]) arcana Dei vidisset, quae non licebat homini loqui (2. Cor. 12, 4), cumque nec ab homine, nec per hominem, sed a Deo electus esset([16]).

Sic Synodus Ephesina ducentorum Episcoporum, ex multis ac variis provinciis, in Epistola ad Coelestinum Pontificem ait: *ἔθος γὰρ ὑμῖν τοῖς οὕτω μεγάλοις εὐδοκιμεῖν εἰς ἅπαντα ἐρίσματα τῶν ἐκκλησιῶν τὰς ἑαυτῶν ποιεῖσθαι σπουδὰς* ([17]), id est: *Est*

([1]) mundi. ([2]) *add.* omnino. ([3]) *dictio haec deficit, ex typographi culpa.* ([4]) *add.* ex tam insignibus patribus. ([5]) *ambae dictiones desunt.* ([6]) *add.* nec rite. ([7]) *add.* tuumque populum tantum satis procul a recto apostolicae fidei tramite deflexisse. ([8]) quoniam — praevaliturae, *ultimae lineae deficiunt.* ([9]) in aliquem errorem incideret, uti saepe factum est. ([10]) *add.* sine visibili universalis ecclesiae Praeposito. ([11]) *add.* aut a regibus nominatos. ([12]) aut — rediget, *phrasis haec omissa, sed sequitur deinceps non pauca quaestionum ac exhortationum series:* quis haereses damnabit ? quis, addo, principes ipsos majore cum dignitate ad concordiam rediget? Quod tu tanti aestimasti, ut ad pontificem max. mitteres, quo ille bellum, quod inter te ac Stephanum Poloniae serenissimum regem ardebat, auctoritate ac studio suo interposito restingueret. ([13]) *add. novum monitum:* Quod si sine confirmatione tua, senatores tui nec ferre judicium, nec legitime administrare attributas eis provincias possent: quis tam erit exors, ut spiritualis regni Christi, i. e. ecclesiae Dei viventis episcopos existimet, vel a terrenis principibus posse confirmari, aut qualemcumque eorum nominationem apud Christum valere? ([14]) *add.* suum. ([15]) ille. ([16]) electum se fuisse, fidenter ac vere testaretur; *posthaec add.* Sic beatus Basilius in Epistola Sabino diacono ad pontificem Romanum data, «Re vera enim, inquit, dignum est excellentissima illa voce, qua te beatum praedicauit, quod pietati tuae donatum a Domino est, scilicet, ut quod adulterinum est, a legitimo et puro discernas, ac fidem patrum sine ulla subtractione praedices.» ([17]) *textus graecus desideratur.*

*

enim vobis tam eximiis hoc in consuetudine positum, ut firmamenta, ἐρίσματα [1] *Ecclesiarum studia vestra faciatis* [2].

Sic Cyrillus, qui postea eidem Synodo, loco Pontificis [3] Romani, praefuit, ad eumdem Coelestinum scripsit, cum ad eum, tamquam ad caput Ecclesiae, de haeresi Nestorii referre necessarium esse judicaret: ἐπειδὴ δὲ καὶ θεὸς ἀπαιτεῖ παρ' ἡμῶν τὸ νηφάλιον ἐν τούτοις, καὶ τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη πειθοῦσιν ἀνακρινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι, γράφω πάλιν ἀναγκαίως [4]; id est: *Quandoquidem*, inquit, *Deus a nobis in hujusmodi causa vigilantiam nostram postulat, et longa Ecclesiarum consuetudo suadet cum Sanctitate tua communicare* [5]; *scribo, plane necessitate adactus* [6].

12. *Apostolicae Constitutiones.*

Sic Apostolicam Constitutionem, quae in libro VIII Clementis, capite IV, scripta est, secutus s. Leo Magnus, capite VII ad Anastasium Epistolae scripsit: *De persona autem consecrandi Episcopi, et de cleri plebisque consensu, Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat; quodque in provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas.*

Ac paulò post, s. Leo Magnus [7], in Epistola ad Anastasium [8], praecepit, ut de electione Metropolitani referant episcopi provinciales ad vicarium Pontificis [9], Archiepiscopum Thessalonicensem, ut auctoritate ejus [10] firmetur. Ex ea enim Epistola perspici potest, Pontificis [11] Romani in Orientis Ecclesiis vicarium fuisse [12], Archiepiscopum Thessalonicensem, qui nomine Pontificis, ut universalis Pastoris, tum provincias visitaret longinquas, tum alia conficeret, quae ratio et necessitas postulassent. Cujus etiam auctoritate, ne propter longinquitatem urbis Romae mora interponeretur, Episcoporum confirmarentur Ordinationes, quae sine auctoritate successoris beati Petri fieri non poterant, ut idem s. Clemens eodem in loco testatur. Cum enim beatus Petrus sanciat, ut electionem Episcopi a presbyteris et populo factam, Metropolitanus (quem τὸν πρόκριτον vocat) approbet, si nihil obstet, et rursum idem cum duobus episcopis episcopum ordinet: sequitur, ut ex ipsius Petri et ejus successoris auctoritate, confirmatio electionis factae et auctoritas Ordinationis faciendae pendeat. Sic Sophronius Hierosolymitanus, apostolicus vir, in Epistola sua ad Honorium Pontificem Synodica, tempore Imperatoris Heraclii, *Apostolica*, inquit, *et vetus traditio invaluit, ut qui ad hierarchiam eliguntur* (episcopatum intelligit), *ad eos, qui in hierarchiis capescendis et administrandis majores sunt, omnino sincere referant, quid sentiant, et qua fide sint, ut Paulus illis tradidit,* ἄγαν ἀσφαλῶς, id est, *valde caute, ne in vanum currerent, aut cucurrissent.* Itaque subjungit: *Huic nos consuetudini servientes, ad vos* θεοσόφους, *qualis sit fides nostra, scribimus* πρὸς δοκιμεῖν, *id est, ut probetur. Scribimus, inquam, ad vos, qui non solum nostis discernere* ἀπὸ τῶν νοθῶν τὰ δόκιμα δόγματα, *id est, legitima dogmata ab adulterinis, sed etiam* προσαναπληροῦν τὰ ἀπέιμοντα, *id est, supplere, quae desunt, potestis.* Sic rogat idem Sophronius Pontificem Romanum [13], ut, quamprimum Synodicam de fide sua acceperit, rescribat literas, quibus exhilaretur ipse Sophronius, *evangelizaturus*, ut ait,

---

(1) fulcra, στηρίγματα. (2) constituatis, *dictiones autem praecedentes ambae desunt.* (3) *add.* summi. (4) *textus graecus non plene citatur.* (5) et diuturnae ecclesiarum consuetudines persuadent, ut cum tua sanctitate haec communicentur. (6) scribo – adactus, *ultima pericope deficit.* (7) *tres dictiones omissae.* (8) in eodem decreto. (9) *add.* maximi. (10) auctoritate sibi a pontifice max. delegata. (11) *add.* summi. (12) *add. in parenthesi,* ut supra diximus. (13) *add.* maximum.

τὴν ὑμετέραν θεόσδοτον ῥῶσιν, *sanitatem suam*(1) *a Deo datam*. Sanitatem fidei significavit, imitatus Apostolum, cum ait, ut *sani sint in fide* (Tit. 1, 13). Sic Petrus Patriarcha Constantinopolitanus, idem exemplum imitatus, et Apostolicae Traditionis consuetudinem secutus, de fide quoque sua, ante quingentos annos, ad Leonem IX per Synodicam retulit, petiitque, ut in fide et sede sua firmaretur, quod et obtinuit(2).

Quae tibi loca, Princeps(3), ex plurimis affero, ut videas, nec Christi auctoritatem et ordinem in successoribus Petri desiisse, et intelligas(4), nisi isti tui Metropolita(5) et Episcopi in fide et sede sua ab eodem Petri successore confirmentur, eos apud Deum non haberi pro veris(6) ac legitimis metropolita et episcopis, aut idoneis impertiendae coelestis gratiae dispensatoribus.

Inde autem factum est, ut cùm Patriarchae Orientis firmitatem sanitatis fidei suae, a coelesti sanitate capitis sui petere(7), id est, fidem suam a fide Ecclesiae Romanae, tamquam regulam et formam, Synodicis item litteris descriptam, accipere desierunt: fidem(8) ac sedium auctoritatem, vitaeque ipsius libertatem, facti infidelium mancipia, amiserint(9).

Ex litteris autographis P. Ant. Possevini (Tom. I, No 20), quae adservantur in Tabulariis secretioribus Vaticanis. Confer. ejus Moscovia, *edita Coloniae, pag. 43 — 46.*

(1) vestram. (2) *add.* ab eo. (3) *dictio haec deest.* (4) *add. in parenthesi*: iterabo eadem, quae attigi supra. (5) *in num. plur., sic et inferius.* (6) *h. v. deest.* (7) Petri. (8) *add. in parenthesi*, ut dictum est. (9) *In autoris* Moscovia, *reperitur additamentum sequens*: Habes, serenissime princeps, praecipua quaedam capita discriminis et errorum, quibus Graeci et isti tui Rutheni involvuntur. Quoniam vero, ut dixi, ex quinque Gennadii patriarchae Constantinopolitani Tractatibus, quos tibi tradendos curavi, is, in quo de processione Spiritus sancti a Patre et a Filio tractatur, ut summi momenti est, ita non facile ab istis episcopis tuis (quod theologi non sint, neque Academias habes, ubi ista exponantur) intelligeretur; eum ipse Tractatum, in gratiam tuam, ad Dei gloriam, in eum modum et ordinem faciliorem redegi, quem tu huic scripto adjunctum videbis. Ipse tibi Spiritus Sanctus illucescat, efficacissimaque desideria suggerat, quibus tot populos, qui tuo imperio subjecti sunt, ad Orthodoxae catholicae fidei lumen adducas.

В) ИЗЪ ТОРУНСКАГО ГОРОДСКАГО АРХИВА.

XXXVIII.

Privilegium Andreae Georgii Ducis Vladimiriae et Russiae Magistratui et civibus Thorunensibus, de jure concesso hospitibus seu negotiatoribus, mercaturam liberam et a vectigalibus immunem in ejus regionibus exercendi.

Грамота Владимірскаго и Галицкаго Князя Андрея Георгіевича Торунскому магистрату и гражданамъ, о предоставленіи тамошнимъ купцамъ свободной и безпошлинной торговли въ его областяхъ. 1320 г.

Andreas Dei gratia Dux Ladimiriae et Dominus Russiae, discretis viris, consulibus, scabinis ac universis civibus in Thoren, favorem et in omnibus affectuosam voluntatem. Novit vestra discretio, quod nos cupientes meliorationem terrae nostrae, ac etiam profectum omnium hospitum, terram nostram cum pannis mercimoniisque vel rebus quibuscunque ingredi volentium, vestro consilio maturo, baronum ac nobilium nostrorum, omnibus hospitibus jus tale per preces concedimus, quod nullus de cetero theloneatorum vel ministraliorum nostrorum ab eis pannos vel mercimonia exigere debeat, nec etiam omnino ista ademptare. Ceterum omnia jura, quae tempore patris nostri felicis memoriae, in terra Russiae omnes negotiatores habuerunt, volumus, ut de cetero omnes hospites seu negotiatores simili jure perfruantur. Item, si alicui hospiti vel negotiatori, terram nostram ingredienti, aliqua injuria vel molestia aut violentia nata fuerit, per aliquos nostros, in terra nostra, quod ostendi potuerit: pro uno quocunque denario injuste ablato vel recepto, duos reddere obligamus. Haec autem omnia in verbo dominationis nostrae, per nos et per omnes nostros, firmiter volumus observari. Datum in Ladimiria, in die Ruffi martyris, anno Domini MCCCXX.

Originale scriptum in pergameno, cui sigillum pensile avulsum.

C) ИЗЪ ГАЛИЦКО-РУССКИХЪ АРХИВОВЪ.

XXXIX.

Breve Gregorii XI Papae, in quo declaratur, qui Conventus Dominicanorum in Russia et Valachia pertinere debent ad societatem fratrum peregrinantium.

Грамота Папы Григорія XI, съ означеніемъ, какіе именно Доминиканскіе монастыри въ Галицкой Руси и Валахіи должны принадлежать странствующей братіи сего ордена. 1378 г. Января 28.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Fidei orthodoxae propagationem ac animarum salutem super cuncta desiderabilia cupientes, his, quae pro hujusmodi propagatione et salute provide ab aliis facta sunt, libenter adjicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Heliae, praedicti Ordinis fratrum Praedicatorum confessoris, fratrum ejusdem Ordinis inter gentes peregrinantium propter Christum vicarii generalis et nonnullorum fratrum ipsius societatis, nobis nuper exhibita, continebat: quod dilectus filius Helias, ejusdem Ordinis professor et magister generalis, zelans dictorum fidei et Ordinis dilatationem, per suas certi tenoris litteras voluit et declaravit, Lemburgensem, Camenecensem, Smotricensem, Lanczitensem, Przemysliensem et Ceretensem conventus praefati Ordinis, in Russiae et Valachiae partibus consistentes, ad societatem dictorum fratrum peregrinantium specialiter pertinere, prout in ipsis litteris plenius continetur. Quare pro parte vicarii et fratrum Praedicatorum ut fuit nobis humiliter supplicatum, voluntatem et declarationem hujusmodi ratas et gratas habentes, eas apostolica authoritate confirmamus, et praesenti scripto communimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se nouerit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, quinto Calendis Februarii, pontificatûs nostri anno octavo.

Originale in archivo Dominicanorum Leopoliensium. Conf. Hist. Russ. Monum. *Tom. 1, pag. 117.*

XL.

Diploma Ladislai Ducis Opoliensis universis Russiae incolis, absolvens illos ab hommagio erga ipsum praestito.

Грамота Опольскаго Князя Владислава жителямъ Галицкой Руси, объ освобожденіи ихъ отъ данной ему присяги. 1379 г. Января 13.

Ladislaus Dei gratia Dux Opoliensis, Velunensis, Vladislaviensis et Dobrynensis, universis et singulis baronibus, terrigenis, nobilibus, militibus, clientibus, vojevodis, tribunis, item advocatis, consulibus, civibus, scultetis, judicibus et universis incolis in terra Russiae manentibus, sincere dilectis, amicitiam cum salute. Vobis universaliter, et cuilibet vestrum singulariter, de obedientia, homagio et fidelitatis constantia, quibus nos hucusque fideliter et constanter estis prosecuti, multiplices referimus gratiarum actiones, absolventes et liberantes vos et vestrum quemlibet principaliter ab hujusmodi homagio, obedientia fidelitatis et aliis quibusvis promissionibus, quibus nobis haereditarie fuistis subjecti et obligati et astricti: resignantes, reddentes et restituentes nihilominus vos et vestrum quemlibet universaliter et particulariter, serenissimo Principi Domino Ludovico, Ungariae, Poloniae, Dalmatiae et c. Regi, Domino nostro, gratioso praesentium patrocinio mediante, quibus sigilla nostra sunt appensa. Datum Veluniae, ipso die octauo festi Epiphaniae Domini, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono.

Ex archivo Leopoliensi (fasc. 1018). Ad calcem diplomatis notatum: Sigillum pensile, in cera rubra expressum. *Conf.* Kron. miasta Lwowa, przez D. Zubrzyckiego, *pag. 47–48.*

XLI.

Schreiben des Fürsten Demitrius von Luzk und Wladimir an den Rath und die Bürger der Stadt Lemberg, um den Polnischen und Deutschen Kaufleuten den Durchzug mit Waaren durch sein Gebieth in die Tatarischen Länder zu verbieten.

Грамота Луцкаго и Владимірскаго Князя Димитрія жителямъ города Львова, о недозволеніи Польскимъ и Нѣмецкимъ купцамъ провзжать съ товарами въ Татарскія земли чрезъ Львовъ, Луцкъ и Владиміръ. 1379 года.

In dem namen Gotis amen. Wir groser Furste Demytyr von der genaden Gotis von Ladymir und von Luczk gelobin den erbarn Luyten dem Rate und den gemeynen Burgern und der gantzen Stat czu der Lemburg das wir keynen Kaufman nicht wellen losen czyn mit zyine gute her zey von polen oder von duyczhen Landen durch unzer Lant ken Heydenlant

das dy nyderloge blybe czu Ladymir czu Luczk und czu der Lemburg, als is von alters her vormals gewest is Welde uch aber unzer Herre der Konik gewalt tun und hyse den gast durch awer lant ken Heydenlant czyn so welde wir ouch den gast durch unse lant lasen czyn ken Heydenlant und dy briwe dy wir czwyschchen uns vorschrebyn han ir sullet uns unsern bryf und wir abern brif uch antwerten zullen, an allen schaden und an alle argelyst und an alle hyndernis czu eyner befestenunge des geczuyknys dyses brieves habe wir angehangen unser Ingezygil. Gegeben is der brif an dem azchten Tage des heyligen herren sente Mertins des werden Byschowes noch unsers Herren geburt MCCC LXXIX czu Luczk.

Переводъ грамоты на новый Нѣмецкій языкъ.

In den Nahmen Gottes, amen. Wir Dimitr von Gottes Gnaden Grossfürst von Ladimir und von Luczk geloben den ehrbaren Leuten dem Rathe und den gemeinen Bürgern und der ganzen Stadt zu Lemberg, dass wir keinen Kaufmann nicht wollen lassen ziehen mit seinem Gute, er sey von Polen oder von Deutschen Land, durch unser Land, gegen Heidenland, damit die Niederlage verbleibe zu Ladimir, zu Luzk nnd zu Lemberg, so wie es von Alters her vormahls gewesen ist. Wollte euch aber unser Herr der König Gewalt thun und heissen den Gast durch euer Land gegen Heidenland ziehen, so wollen wir auch den Gast durch unser Land lassen ziehen gegen Heidenland, und die Briefe, die wir zwischen uns verschrieben haben ihr sollet uns unsern Brief, und wir euren Brief euch einantworten *(zurückstellen)* sollen, ohne allen Schaden, und ohne aller Arglist und ohne aller Hinderniss. Zu einer Befestigung des gezeichneten (?) dieses Briefes haben wir angehängt unser Insiegel. Gegeben ist dieser Brief an dem achten Tage das heiligen Herrn Sankt Martins des werthen Bischops nach unseres Herrn Geburth M. CCC. L. XXIX, zu Luck.

Das Original auf Pergament befindet sich im Lembergschen Stadt-Archiv. Auf dem angehängten Siegel sieht man einen Löwen, rechts gewendet, mit umstehender Inschrift: печать Великого Князя Димитрія.

XLII.

Privilegium Ludovici Ungariae et Poloniae Regis civitati Leopoliensi, confirmans pristina jura ac libertates, praecipueque jus transitûs et depositorii mercium exterarum.

Жалованная грамота Венгерскаго и Польскаго Короля Лудовика городу Львову, съ подтвержденіемъ прежнихъ торговыхъ правъ, также права на складку иноземныхъ товаровъ. 1379 г. Мая 9.

Nos Ludovicus Dei gratia Rex Ungariae, Poloniae, Dalmatiae et cet. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes universis, quod nos, qui pietate regia civitatem nostram Lemburgensem, in confiniis regni nostri Russiae habitam et existentem, quae

frequentes incursus Lithvanorum solet subire, gratiose confovere, et ipsam, ac ejus incolas in eorum libertatibus pristinis illaesos conservare debeamus, ut dicta civitas et inhabitatores ipsius eo commodius populorum multitudine decorentur, ac utilitate, commodo et profectu amplientur, – consideratis praemissis et recensitis fidelitatibus, quibus hucusque constanter se nostri majestati reddiderunt gratos, incolas dictae civitatis, pariter et acceptos in eandem civitatem Lemburgensem et in ea habitantes, assumpsimus, et tenore praesentium spondemus: in omnibus juribus et libertatibus, videlicet, depositione omnium mercantiarum omnium et quorumlibet mercatorum, ac transitu seu via, ac omnibus aliis, quibus, tempore felicis memoriae Domini Casimiri quondam Regis Poloniae, ac demum tempore regiminis illustris Dominae Elisabethae Reginae, nostrae genitricis carissimae, freti sunt et potiti, gaudere et utifrui volumus, et ex nunc, ut antea, illaesos et illibatos conservare, praesentium sub nostrae majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Dyosgewr, die nona mensis Maji, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono.— Relatio Petri Zudar Barii, in praesentia Archiepiscopi Strygoniensis.

Originale membraneum in archivo Leopoliensi (fascic. 293, rarissimorum diplomatum). Conf. Hist. miasta Lwowa, *przez* Zubrzyckiego, *pag. 49.*

XLIII.

Litterae admonitoriae Ladislai Ducis Opoliensis incolis Russiae, ut salvam praestantes fidelitatem reginae Ungaricae Mariae ejusque matri, non sese praecipitarent sub Polonorum potestatem.

Грамота Владислава Князя Опольскаго жителямъ Галицкой Руси, съ убѣжденіемъ ихъ сохранять вѣрность Венгерской королевѣ Маріи и ея матери и не предаваться во власть королевѣ Польской Ядвигѣ. 1387 г. Февраля 6.

My Ladzisław z łaski Bożey xiąże Opolski, Wieluński et c. Obwieszczamy naszym wszystkim ludziom i miastom w Rusi: jesliżeby pani Jadwiga królowa Polska ciągneła z woyskiem do Rusi, a nasi by ludzie i miasta odnieśli jaką szkode przez te woyne, cokolwiek by nam zostało w Rusi, z tego obiecuiemy nadgrodzić szkode; i to im obiecuiemy, że ani pani Eleżbieta, ani pani Marya królowa Węgierska, panie nasze, ani my sami nie podamy im żadnego Węgrzyna hetmanem bez pozwolenia ich. A ieslizeby pani Jadwiga królowa Polska chciała ich do swego posłuszeństwa namawiać, tedy się maią odzywać do którego z tych panów, jako do króla Czeskiego, do margrabi Myszyńskiego, do xiążęcia Haydelberskiego, do xięcia Ludwika, albo do xięcia Konrada; i co im każą czynić, to maią czynić, jako za wolą naszą, a my im mamy wrócić nakład, co na droge dla tego nałożą: i jako im którykolwiek z tych panów każe strony prawa pani Jadwigi królowy Polskiey do

Ruskiey ziemi, za żywota pomienionych królewien Węgierskich, postępować, tak maią czynić; a my mamy z niemi, bądz dobrze, bądz złe, za równo cierpić. I to wam obiecuiemy, że bez waszey woli i wiadomości, żadney zgody z panią Jadwigą czynić nie będziemy, toż rozumiemy, że też wy tak uczynicie. Dla pewnego świadectwa, na tym liście pieczęć naszą przyciskamy. Działo się w Częstochowie, w dzień swiętey Dorothy, 1387 roku.

Ex archivo Leopoliensi (fasc. 1047). Conf. Kron. miasta Lwowa, przez Zubrzyckiego, *pag. 54—55, ubi ab autore notatum, authenticum Latine fuisse scriptum.*

XLIV.

Litterae salvi conductus, consulibus Leopoliensibus a Hedvigi Poloniae regina datae.

Опасная грамота Польской королевы Ядвиги Львовскимъ сановникамъ, 1387 г. Марта 1.

Hedvigis Dei gratia Regina Poloniae Lithvaniaeque Princeps suprema et c., fidelibus, dilectis terrigenis, consulibus totaeque communitati civitatis et districtus Lemburgensis, reginalem gratiam cum favore. Fideles nostri dilecti! Vobis et vestrum cuilibet, tenore praesentium, damus securitatem, sine fraude et dolo, ita, quod ad nostram Majestatem venire pacifice possit, facta vestra disponere, et domum libere recedat, salvis vestris rebus omnibus et personis, harum, quibus nostrum sigillum appensum est, testimonio literarum. Datum in Grodek, feria sexta proxima ante dominicam Reminiscere, anno Domini millessimo trecentesimo LXXX septimo.

Originale in archivo Leopoliensi, (fascic. 126 diplomatum rarissimorum). Ibidem asservantur aliae Magnatum Polonorum litterae, ejusdem argumenti, subque eodem dato. Conf. Kron. miasta Lwowa, przez D. Zubrzyckiego, *pag. 56—57.*

XLV.

Privilegium Hedvigis Reginae Poloniae civibus Leopoliensibus, confirmans omnia pristina illorum jura, ab ipsius Antecessoribus concessa, suggestis novis imo plerisque libertatibus.

Жалованная грамота Польской Королевы Ядвиги Львовскимъ гражданамъ, съ подтвержденіемъ прежнихъ правъ и вольностей, дарованныхъ имъ дѣдомъ и отцемъ ея, и предоставленіемъ новыхъ. 1387 г. Марта 8.

In nomine Domini, amen. Decet quorumlibet Principum legitimas actiones, praesertim perpetuas, scripturarum memoriae commendare, ne per oblivionem possint aliqualiter in nihilum redigi ac reduci. Igitur nos Hedvigis Dei gratia Regina Poloniae Lithvaniaeque princeps suprema et haeres Russiae, ad universorum notitiam, tam praesentiorum, quàm futurorum volumus devenire, quod consideratâ fidelitate, constantia, ac diligentius inspectis fidelibus servitiis, quae circumspecti viri, consules, cives totaque communitas civitatis nostrae Lemburgensis progenitoribus nostris et nobis exhibuerunt, ac inposterum exhibere praestantius, dante Domino, sunt parati; cupientesque de benignitate nostra, ipsos prosequi gratia speciali, omnia et singula ipsorum jura, libertates, privilegia, quae tempore serenissimorum Principum, Dominorum Casimiri avi, nec non Ludovici genitoris Ungariae et Poloniae Regum nostrorum dilectorum habuerant, confirmamus, ratificamus et tenore praesentium approbamus, in omnibus punctis et articulis perpetuo valituros, adjungentes, quod nulli hominum in civitate, vel ante civitatem Lemburgensem praedictam, nulla omnino violentia per quempiam quoquò debet fieri vel inferri. Volumus etiam, ut civitas nostra Lemburgensis praedicta in suis metis et limitibus, prout in literis et privilegiis ipsius plenius conscriptum continetur, inconcussa debeat permanere; et si aliquid praedictae civitati, aut civibus violenter abstractum existit seu ablatum, illa taliter ablata restituere volumus, quae tamen duntaxat in nostris manibus obtinemus. Praeterea volumus, ut omnia et singula thelonea et tributa, post mortem serenissimi Principis Domini Casimiri piae memoriae, olim Regis Poloniae, avi nostri carissimi, indebitè et injustè per quempiam statuta, omnino et totaliter deponantur. Statuimus insuper, quod depositio salis et mercimoniorum in civitate nostra Lemburgensi praenotata fore debeat, veluti tamen fuit temporibus ab antiquis, promittentes, tenore praesentium, omnes Ruthenos, Armenos, Saracenos, et Iudaeos et quemlibet eorum in suis juribus conservare. In quorum omnium praemissorum evidens testimonium, praesentes scribi fecimus, cumque appensione sigilli communiri. Actum Lemburgae, feriâ sexta proxima post dominicam Reminiscere, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo septimo. Datum per manus honorabilis viri Kelczonis, Praepositi s. Mariae in civitate Cracoviensi et Cancelarii Aulae nostrae.

Originale membraneum in archivo Leopoliensi (fascic. 293 rarissimorum diplomatum). Privilegium hoc confirmatum est a Rege Vladislao Jagellone, in Grodek, die s. Evangelistae Lucae, i. e. 18 Octobris, eodem anno; iterum feriâ quartâ Cinerum, an. 1424, tempore coronationis Reginae Sophiae. Conf. Hist. miasta Lwowa, przez Zubrzyckiego, *pag. 56 et 87.*

XLVI.

Excerptum e bulla Pontificis Bonifatii IX, de statu et reditibus Ecclesiae Haliciensis.

Выписка изъ буллы Папы Бонифатія IX, о состояніи и доходахъ Галицкой Латинской церкви. 1390 г.

. . . Quod cùm olim Ecclesia Haliciensis, consistens in Ducatu Russiae, qui per clarae memoriae Ludovicum Regem Hungariae de manibus schismaticorum et infidelium, ad fidem catholicam et obedientiam s. Romanae Ecclesiae de novo reductus fuerat, in potestate dictorum schismaticorum et infidelium tunc existens, tanto tempore caruisset catholico Antistite; quod, ubi et infra quos confines consistebat dos Ecclesiae praedictae, de facili sciri non poterat: dilectus filius, nobilis vir, Ladislaus Opoliensis tunc Russiae Dux, zelo devotionis fidei orthodoxae excensus, oppidum Rohatyn et castra Olesco et Tustan, in dioecesi Haliciensi consistentia, cum districtibus, villis, bonis et c., unam domum suam in superiori parte circuli oppidi Lemburgensis, decimam theloneorum in eodem oppido, et decimam salis in Drohobycz et Sudaczevo, praefatae Ecclesiae, tunc ad eundem Ducem justo titulo pertinentia, dictae Haliciensi Ecclesiae in dotem, donatione perpetua et irrevocabili concesserit et donaverat; quodque limites dioeceseos praedictae ac provinciae dictae Ecclesiae ex eo discerni non poterant, quod praedicti infideles et schismatici illarum partium dictum Ducatum, ante reductionem praedictam, occupaverant et detinuerant, et cet.

Originale in archivo Leopoliensi (fasc. 142). Scriptum Idibus Maji, an. 1390. Conf. Kron. miasta Lwowa, przez D. Zubrzyckiego, *pag. 61—62.*

XLVII.

Litterae testimoniales Matthiae episcopi Premisliensis, de decimis in Premisliensi et Haliciensi dioecesibus Latinis.

Грамота Перемышльскаго бискупа Матвея, о десятинахъ въ Перемышльской и Галицкой епархіяхъ. 1400 г. Мая 7.

Mathias Dei gratia episcopus Premisliensis, universis et singulis, praesentium notitiam habituris, significamus, recognoscentes et publice profitentes, hac in nostra et Haliciensi dioecesibus, in partibus Russiae consistentibus, nunc esse et ab eodem tempore fuisse, ex quo dictae partes Russiae ad obedientiam s. Romanae Ecclesiae sunt reductae, in decimis recipiendis et tollendis consuetudinem, inconcusse, laudabiliter et pacifice observatam,

quod in jisdem partibus Russiae, in quibus, disponente Domino, licet immeriti plebem et Dei Ecclesiam gubernamus, locorum Ordinarii pro decimis, de agris civitatum, oppidorum et villarum provenientibus, certam summam pecuniae et non manipularem decimam recipiunt et recipere consveverunt, ut ad easdem partes Russiae populus catholicus liberius confluerct, Ruthenosque et alios schismaticos easdem partes inhabitantes potentius exstirparet. Sacerdotes autem curati sive ecclesiarum parochialium rectores, pro eorum obsequiis, annonas, quae missales nuncupantur, aut loco annonarum, certam pecuniam, de qua (authoritate Ordinarii interveniente) cum ipsorum parochianis convenire poterint, recipere consueverunt; decimas vero praediales vel minutas eisdem curatis sacerdotibus seu ecclesiarum parochialium rectoribus tollendi et recipiendi, neque ex privilegio, neque ex aliqua consvetudine locorum praedictorum, facultas attributa est, aut potestas. Et ut his literis nostris testimonialibus in Judiciis, vel extra Judicia fides plenius adhibeatur, ipsas sigilli nostri appositione sive munitione, ad praemissorum evidentiam, fecimus roborari. Datum in Premislia, die septima mensis Maji, anno Domini millesimo quadringentesimo sexto.

Originale in archivo Leopoliensi (fasc. 681). Conf. Kron. m. Lwowa, przez D. Zubrzyckiego, *pag. 71—72.*

XLVIII.

Litterae pactitiae Stanislai de Chodecz capitanei Haliciensis, de collato tutorio villarum, ad cathedram Metropolitanam in districtu Haliciensi pertinentium, cum earum proventibus cumque jure ecclesiastico.

Договорная запись Галицкаго старосты Станислава Ходеча, объ отдачѣ на откупъ Митрополичьихъ отчинныхъ селъ, въ тамошнемъ округѣ, съ угодьями и доходами и съ правомъ суда духовнаго. 1408 г. въ концѣ Марта.

Actum in Halicz, secunda feriâ in crastino Visitationis Beatae Mariae Virginis, anno Domini millesimo quadringentesimo octavo (*), praesentibus nobilibus dominis, Petro de Siemionkowce pro tunc judice castrensi, Nicolao Tarnkowski wojewode Haliciensibus, Ioanne de Herburtow, Paulo de Petrikow et aliis:

Nos Stanislaus de Chodecz, Haliciensis et cet. capitaneus, significamus tenore praesentium, quibus expedit universis et singulis, praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris. Quia tutorium monasterii Kryłosiensis, alias *opiekalnictwo*, nobis per serenissimum Dominum nostrum Regem com-

(*) Datum hoc falsum esse videtur. *Conf.* inferius Decretum regis Poloniae Sigismundi I, an. 1509 scriptum, in quo Stanislaus de Chodecz, capitaneus Leopoliensis, vivus adhuc ac salvus memoratur. Obiit autem diem an. 1529, ut testatur Zubrzycki in opere suo *Kron. miasta Lwowa,* pag. 121 et 152.

missum, nobili Romano de Ostałowice de manibus nostris committimus et praesentibus damus, donamus, conferimus, cum omnibus et singulis proventibus, fructibus, dationibus, contributionibus, honorationibus, censibus, agris, campis, pratis, pascuis, sylvis, mericis, rubetis, borreis, mellificiis, aquis, rivis et eorum decursibus, ac generaliter cum omnibus proventibus, uti est dictum monasterium Kryłos in suis metis et circumferentialiter limitatum, ac etiam cum villis Podgrodzie et Błahowisczenie, ad praefixum Kryłos spectantibus, cum omnibus dictarum villarum proventibus, uti solus tenuimus, nihil pro se aut successores nostros legitimos reservando, sed cum pleno jure favorabiliter damus et largimur, habendi, tuendi, regendi, gubernandi, pacifice et quiete possidendi, sine quouis impedimento nostro et officialium nostrorum ac quarumcunque personarum sexûs utriusque, et cum omni jure et poenis spiritualium, quae ab antiquo adjacent et pertinent, spectante protutore dicti monasterii Kryłos, aliàs na Metropolita; ac etiam cum marderibus de Poponis districtûs Haliciensis, ab antiquo super Metropolitam exigendis annis singulis. Quarum villarum cmethones, quosvis homines, spectantes ad dictum Kryłos ac villas superius dictas, absolvimus et praesentibus liberamus ab omnibus solutionibus et laboribus castri Haliciensis: sed dicti homines et cmethones solùm nobili Roman superius expresso respondere tenebuntur, et omnes Popones, sub monasterio Kryłos degentes, non coram alio, nisi ipso nobili Roman, pro omnibus excessibus in judicio spirituali respondere tenebuntur. Cui etiam Roman superius memorato promittimus apud serenissimum Dominum nostrum Regem consensum expedire, ad extremam consummationem vitae suae, super tutorium, aliàs na *opiekalnictwo* dicti monasterii Kryłos. Si quod absit, dictum consensum apud Dominum Regem sibi Roman non expediremus, et idem eadem nostra non-expeditione esset per suam Majestatem, aut Metropolitam depressus: extunc nos tenebimur sibi summam pecuniarum apud ipsum receptam viceuersa restituere, videlicet, viginti quinque marcas communis pecuniae et numeri Polonicalis consueti, quadraginta et octo grossos in quamlibet marcam computando. In cujus rei evidentiam, sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum et datum in Leopoli, feria quarta proximâ post festum sancti Ioannis Baptistae, anno Domini millesimo quadringentesimo octavo. Praesentibus testibus, generosis nobilibusque dominis: Nicolao Romanowski, subpincerna Leopoliensi, Stanislao Krzywecki, Stanislao de Landowice, Lazore de Romienwo, Martino Kustra de Wołosow, Prot de Teniatnicki et aliis quam pluribus, fide dignis ad praemissa.

Originale in Actis terrestribus Haliciensibus. In apographo vetusto ascriptio sequens: Correxi, Rafałowskj. Legi cum actis, Soroczynskj, *cum duobus sigillis. Conf.* Kron. miasta Lwowa, przez D. Zubrzyckiego, *pag. 160.*

XLIX.

Hommagium civium Leopoliensium, de fidelitate praestanda Vladislao Poloniae Regi genitisque ab ipso haeredibus, nec non illorum tutoribus, reginae Sophiae et Alexandro-Vitoldo magno duci Lithvaniae.

Присяжная запись Львовскихъ граждавъ Польскому Королю Владиславу и его наслѣдникамъ, также опекунамъ ихъ, Королевѣ Софіи и Великому Князю Литовскому Александру-Витовту. 1425 г.

Nos, Ianusius Tholmacz proconsul, Petrus pellifex, Clemens Czedlicz, Andreas Clopper, Augustinus Gemelich, Nicolaus Scheler, Georgius Gobil, Iohannes Trautfrewlin, Andreas pistor, Georgius Crebil, Nicolaus Gutter, Erasmus Ctoze-Schultis, Nicolaus sculteti; Franciscus Rymer, Nicolaus Czornberg, Nicolaus Fredrici, Nicolaus Geiling, moderni et antiqui consules; Martinus Zimreich, Iohannes pistor, Petrus Czanser, Iohannes Schrope, Nicolaus Breitscher, Albertus Gultberg, Mathias Czedlicz, Iohannes de Snatin, Bartholomeus Hayner, Bernhardus Scheler, Nicolaus arcufex, scabini; Iohannes instor, Vincentius, Martinus, carnifices; Marcus, Iohannes Iudentoter pistores; Nicolaus Zmudzilatha, Iodocus, fabri; Petrus Ruthenus, Iohannes Heilsborg, sutores; Stanislaus, Ioannes, sartores; Hanuszko, Nicolaus Samborer, corrigiatores et selatores; Nicolaus Hayder, Cristel, brazeatores; Nicolaus Adam, Petrus Leo, cerdones; Petrus de Sambor, Nicolaus Torner, pellifices, magistri mechanicorum, totaque communitas civitatis Leopoliensis, recognoscimus tenore praesentium, quibus expedit universis: quod serenissimo Principi et Domino, Domino Vladyslao Dei gratia Regi Poloniae et Domino nostro gratiosissimo, quàm diu vitam duxerit in humanis, post obitum vero ipsius, inclyto filio suo Vladyslao, tandem, si eundem dominum Vladislaum filium ab hac luce decedere contingat, tunc praeclarae dominae Hedvigi, virgini nondum nuptae, cum tota nostra politia, semper fideles esse volumus, erimus et spondemus, sine dolo et fraude, nec umquam aliquem, vel aliquos, praeter ipsos dominos, alios eligemus, quàm diu ipsis erit vita comes. Illustri vero dominae Zophiae Reginae Poloniae, ac magnifico domino Alexandro, aliàs Vitoudo, Magno Duci Lithvaniae, tanquam tutoribus et durante tuitione filii praedicti, obedientes fidelesque esse pollicemur, dolo, ingenio, colore, fraude et occasione quibuslibet procul motis, harum vigore literarum, quibus sigilla nostra sunt appensa testimonio. Datum in Praetorio Leopoliensi, feria tertia proxima post festum s. Francisci, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, per manus Vincentii Artium Baccalaurei ac Notarii praedictae civitatis Leopoliensis.

Originale in archivo Leopoliensi (fasc. 126), cum 13 sigillis pensilibus. Conf. Kron. miasta Lwowa, przez D. Zubrzyckiego, *pag. 89 — 91.*

L.

Decretum Regis Poloniae Sigismundi I capitaneis Podoliae et aliis in Russiae terris, de jure concesso archiepiscopis Leopoliensibus Latinis, constituendi in Haliciensi metropolia vicegerentes ritûs Ruthenici.

Наказная грамота Польскаго Короля Сигизмунда I-го старостамъ Подольскому и Галицко-Русскихъ городовъ, о предоставленіи Львовскому Латинскому Архіепископу Бернарду Вильчку и его преемникамъ права опредѣлять Намѣстниковъ въ Галицкой митрополіи. 1509 г. Апрѣля 15.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque etc. dominus et haeres, significamus tenore praesentium, quibus expedit universis. Quia postquam suborta esset controversia inter reverendissimum in Christo patrem dominum Bernardinum, Archiepiscopum Leopoliensem ex una, et magnificum Stanislaum de Chodecz regni Poloniae marschalcum et Leopoliensem et Camenecensem capitaneum, sincere nobis dilectum, parte ab altera, occasione institutionis vicegerentium ritûs Ruthenici, alias *namiestniki*, in Leopoli, in Kryłos et alibi in eadem dioecesi sua Leopoliensi existentium: nos augmentum fidei orthodoxae authoritate regia in hac parte promouere cupientes, et litterarum sigillatarum Sedi Apostolicae, ad vota Majorum nostrorum, in erectione Ecclesiae Leopoliensis datarum, rationem habentes, cupientesque, pro munere christiani Principis, quo ipsi schismatici tanto facilius ad religionem christianam adducantur et alliciantur, saltem in eorum erroribus emendarentur, — tale decretum inter partes supra scriptas tulimus et promulgavimus, praesentibusque ferimus et promulgamus: ut ipse modernus Archiepiscopus Leopoliensis, caeterique pro tempore existentes archiepiscopi, a modò et deinceps futuris temporibus, ipsos vicesgerentes Ruthenorum, in Leopoli, Kryłos et alibi in sua Leopoliensi dioecesi instituere et constituere poterint et debeant. In Popones tamen Ruthenos istud decretum extendi nolumus. Quocirca vobis magnificis, Otthae, palatino Podoliae, Haliciensi, Stanislao, marschalco regni Poloniae et Leopoliensi Camenecensique capitaneis, germanis (*) de Chodecz, et aliis capitaneis in terris Russiae existentibus, mandamus, quatenus praedictum dominum Bernardinum, modernum Archiepiscopum Leopoliensem, caeterosque pro tempore existentes archiepiscopos, in institutione constitutioneque praedictorum vicesgerentium Ruthenici ritûs non impediatis, quin ipsum juxta eam instituendi authoritatem conservetis et conservari faciatis, et aliter non facturi, pro gratia nostra. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Datum in Conventione generali Petricoviensi, die dominico Conductus Paschae, anno Domini millesimo quingentesimo nono. — «Iohannes de Lasco, regni Poloniae Cancellarius.»

Ex codice ms. privilegiorum Capituli metropolitani Leopoliensis, ritus Latini (№ 4, p. 49.)

(*) i. e. fratribus.

LI.

Privilegium Regis Poloniae Sigismundi I Nobili Iackoni Gdaszyckj, largiens illi officium vicegerentiae, i. e. *namiestnictwo* in metropolia Haliciensi.

Привилегія Польскаго Короля Сигизмунда I Дворянину Іоакиму Гдашицкому, о назначеніи его намѣстникомъ Галицкой митрополіи, съ подчиненіемъ ему православнаго духовенства въ округахъ: Львовскомъ, Галицкомъ, Коломыйскомъ, Каменецкомъ и Снятинскомъ. 1522 г. Марта 21.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque etc. dominus et haeres, significamus tenore praesentium universis. Quia nos ad intercessionem quorundam Consiliariorum nostrorum pro nobili Iaczkone Gdaszycki nobis factam, ejusque personam et industriam commendatam habentes, ipsi Officium ritûs Graeci, *namiestnictwo* nuncupatum vulgariter, cui visitatio poponum et synagogarum incumbit, in Leopoliensi, Haliciensi, Kołomyensi, Kamenecensi et Sniatinensi districtibus, de consensu reverendissimi in Christo patris domini Bernardini, Archiepiscopi Leopoliensis, sincere nobis dilecti, contulimus ac harum serie conferimus, ipsumque in praefatis districtibus Officialem praedictum seu visitatorem constituimus, dantes illi potestatem synagogas et popones dicti ritûs Ruthenici secundum antiquam observantiam visitandi, aliaque omnia et singula faciendi, quae ad hujusmodi officium pertinere dignoscuntur. Quapropter omnibus et singulis ritûs Ruthenici poponibus et synagogarum minitris, ac eleemosynariis et mendicantibus, in praenominatis districtibus ubilibet constitutis et aliis quibuslibet, quorum interest, mandamus: quatenus eundem Iaczkonem Gdaszycki pro vero ejusmodi Officiali habentes, ipsi honorem debitum exhibeatis, ac in his, quae ad ejus officium pertinent et spectant, pareatis et effectualiter obediatis, ac ea ipsum libere exercere permittatis; de proventibus et obventionibus, ipsum ratione officii sui praedicti concernentibus, illi integre et irrecuse respondeatis, pro gratia nostra aliter non facturi. Datum in Grodno, feria sexta proxima ante dominicam Oculi, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo, regni nostri anno sexto decimo. — «Petrus Episcopus et Vice-cancellarius regni Poloniae.» «Relatio reverendi in Christo patris domini Petri episcopi Posnaniensis et regni Poloniae vice-cancellarii.»

Ex codice privilegiorum Capituli metropolitani Leopoliensis, ritus Latini (№ 4, pag. 50.)

LII.

Privilegium Regis Poloniae Sigismundi I nobili Iackoni Gdaszycki, quo datur illi dignitas archimandritae, accesso jure Officialis seu vicegerentis Haliciensis Metropolitae in Russiae districtibus.

Привилегія Польскаго Короля Сигизмунда I дворянину Іоакиму Гдашицкому на санъ архимандрита Львовскаго, Галицкаго, Коломыйскаго, Каменецкаго, Снятинскаго и Жидачевскаго, съ правами намѣстника Галицкой Митрополіи. 1522 г. Сентября 1.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque et c. dominus et haeres, significamus tenore praesentium, quorum interest, universis et singulis. Quia nos ad intercessionem quorundam Consiliariorum nostrorum pro nobili Iaczkone, aliàs Iakym Gdaschycki nobis factam, ejusque personam et industriam commendatam habentes, ipsum ultra officium jam pridem per nos sibi collatum, ritûs Ruthenici *namiestnictwo* vulgariter nuncupatum, cui visitatio poponum et ecclesiarum incumbit, etiam officio et dignitate archimandritae cohonestavimus, ac de voluntate et consensu reverendissimi in Christo patris domini Bernardini, Archiepiscopi Leopoliensis, sincere nobis dilecti, illum in archimandritam in Leopoliensi, Haliciensi, Colomyensi, Camenecensi, Sniatinensi et Zydaczoviensi districtibus constituimus, et pro archimandrita censeri et reputari volumus et mandamus. Damusque illi facultatem in causis et rebus spiritualibus judicandi, aliaque omnia et singula in praefatis districtibus faciendi, agendi, regendi et exercendi secundum jura et consuetudines ritûs Ruthenici, quaecunque ad officium et dignitatem ipsius archimandritae pertinent, et quae quondam Władyca seu Metropolites Haliciensis in ipsis districtibus exercebat, quae his volumus haberi pro expressis. Quocirca universis et singulis, tam spiritualibus, quàm saecularibus personis, cujuscunque statûs, sexûs, ordinis et conditionis existentibus, ritûs Ruthenici, in praefatis districtibus regni nostri commorantibus, aliisque, quorum interest, districte praecipimus et mandamus, quatenus eumdem Iaczkonem seu Iakimum Gdaschycki pro vero archimandrita habentes, ipsi honorem et locum debitum ubique praebeatis, ac in his, quae ad officium et dignitatem ejus spectant, irrecuse obediatis; de universisque obventionibus, redditibus et proventibus, illum ratione hujusmodi officii et dignitatis suae concernentibus, ei integre respondeatis ac responderi faciatis, pro gratia nostra non aliter facturi. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Datum Vilnae, feriâ secunda proxima ante festum sanctae Elisabeth, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo, regni nostri decimo sexto. — «Relatio reverendi in Christo patris domini Petri, episcopi Posnaniensis et regni Poloniae vicecancellarii.»

Extractum ex codice privilegiorum (sign. lit. Z, fol. 898), *qui asservatur in archivo Metrices regni Poloniae, scriptum est an. 1774, die 1 Iunii, Varsaviae. Ad calcem acti sequentes extant subscriptiones:* Andreas Stanislaus Młodziejowski, episcopus Posnaniensis, supremus regni Cancellarius. — Relatio

illustrissimi, excellentissimi et reverendissimi domini Andreae Stanislai Kostka Młodziejowski, episcopi Posnaniensis, abbatis commendatarii Hebdoviensis, supremi regni Cancellarii. «Ioannes Słominski, M. R. (*lege* Metrices regni) praefectus, suae regiae Majestatis secretarius». *Sigillum regni majus, appressum in cera rubra. — Ex collectione manuscriptorum D. Zubrzycki, Collegii Archaeographici Correspondentis in Leopoli. Exemplar extat etiam in Libro privilegiorum Capituli metropolitani Leopoliensis, ritus Latini (№ 4, pag. 54).*

LIIII.

Privilegium Regis Poloniae Sigismundi I Macario Tuczapski, civi Leopoliensi, largiens illi officium vicegerentis Haliciensis Metropolitae in Russiae et Podoliae districtibus, concessâ simul futura successione ad archimandritatum s. Georgii in Leopoli, post fata praedecessoris.

Привилегія Польскаго Короля Сигизмунда I Львовскому гражданину Макарію Тучапскому, о пожалованіи его намѣстникомъ Галицкой митрополіи, съ предоставленіемъ ему, по смерти предмѣстника Гдашицкаго, и Львовской архимандріи. 1535 г. Августа 1.

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiaeque et c. dominus et haeres, significamus tenore praesentium universis. Quia nos ad intercessionem quorundam Consiliariorum nostrorum, et ad petitionem quàm Nobilium, tam Ecclesiasticorum ordinis et religionis Ruthenicae, in terris regni nostri Russiae consistentium, volentes eisdem subditis nostris ritûs Ruthenici, pro eorum desiderio et petitione de Officiali, *namiestnik* dicto, providere; attendentes praesertim, quod Iaczko Gdaszycki, archimandrita Sancti Georgii ante Leopolim, in eo ipso officio, *namiestnictwo* non satis laudabiliter anteactis temporibus se gesserit, et propterea ab eo gerendo, tam nostra, quàm suorum Superiorum authoritate suspensus fuerit, et jam tandem dictum officium exercere non valuerit, neque forsan secundum instituta religionis ipsorum debeat aut possit. Proinde nos honestum virum Macarum Rafagilowicz Tuczapski, civem Leopoliensem, ab eisdem Consiliariis et aliis tam spiritualibus, quàm saecularibus viris sectae Ruthenicae, subditis nostris, uti sufficientem et idoneum nobis commendatum, ad hoc ipsum officium *namiestnictwo*, tam in Haliciensi, quàm in aliis omnibus districtibus terrarum Russiae et Podoliae, quo dictus Iaczko fungebatur, substituimus et surrogamus, atque ipsum pro vero et legitimo *namiestnik* damus et declaramus, decernentes, ut in archimandritatu Sancti Georgii ante Leopolim dicto Iaczkoni, quando ex hac vita sublatus fuerit, succedat. Quocirca omnibus et singulis capitaneis et aliis civitatum, oppidorum et villarum praefectis, nec non hegumenis, protopoponibus poponibusque, et universis, ad quos praesentes litterae nostrae perlatae fuerint, districte praecipientes mandamus: quatenus praefatum Makar Tuczapski pro vero et legitimo *namiestnik* habeatis, eidemque debitam et consuetam obedientiam, ad quos pertinet, praestetis, ac illi de proventibus et obventionibus solitis, ad hoc ipsum officium perti-

nentibus, respondeatis et responderi faciatis. In quorum fidem et testimonium, sigillum nostrum annulare, quo in praesens utimur, praesentibus est subimpressum. Datum in Lublin, prima Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto, regni vero nostri anno vigesimo nono. — «Relatio reverendi in Christo patris, domini Ioannis Chojenski, episcopi Premisliensis.»

Extractum ex codicibus Metrices regni Poloniae scriptum est an. 1760, 18 d. Aprilis, feriâ tertia post dominicam Iubilate proxima, Varsaviae. Ad calcem acti sequentes extant subscriptiones : Andreas Stanislaus Młodziejowski, episcopus Posnaniensis, supremus regni Cancellarius. — Relatio illustrissimi, excellentissimi et reverendissimi domini Andreae Stanislai Kostka Młodziejowski, episcopi Posnaniensis, supremi regni Cancellarii. «Ignatius Ludovicus Słowicki, Metrices regni praefectus, majestatis regiae secretarius.» *Sigillum regni majus, appressum in cera rubra. — Ex collectione manuscriptorum D. Zubrzycki, Collegii Archaeographici Correspondentis in Leopoli.*

LIV.

Litterae regni Poloniae Cancellarii ad Archiepiscopum Leopoliensem Bernhardum, quibus svadet, rege ipso annuente, ut manifestaret privilegium, de jure patronatûs metropoliae Haliciensi sibi concessum, simulque renuntiat, vicegerenti illius Sykorae officium abrogatum.

Письмо Польскаго Канцлера Львовскому Архіепископу Бернарду Вильчку, коимъ требуетъ, по волѣ Короля, доставить привилегію на то, что ему предоставлено право верховной власти въ Галицкой митрополіи, и при томъ даетъ знать объ отрѣшеніи намѣстника Сикоры. 1537 г. Марта 7.

Reverendissimo in Christo patri, domino, domino Bernardino, Dei gratia Archiepiscopo Leopoliensi, domino observandissimo. Reverendissime in Christo pater, domine et praesul observandissime! In negotio, quod habet paternitas vestra reverendissima de jure patronatûs et collatione vicegerentiae ordinis Ruthenici, annuit regia Majestas tantisper expectare, donec paternitas vestra reverendissima exhibere valeat privilegium, eadem de re sedi archiepiscopali Leopoliensi concessum (*). Interim vero, magnis precibus afflagitantibus Ruthenis, etiam ex Lithvania insignioribus, visum est regiae Majestati, ut vicegerentem illic statuat Macarium quemdam, cui etiam curam ecclesiae sancti Georgii ante Leopolim commisit, abrogato Sykorae officio; contra quem a multo jam tempore, Rutheni magnos excessus protulerunt, et querelis suis non levem molestiam regiae Majestati attulerunt, asserentes, illum esse contemptorem religionis eorum atque mandatorum, quae a praelatis ei fiebant, ut in omnibus exlex manifesta appareat. Hoc autem juri et privilegio pater-

(*) Conf. supra, decretum regis Sigismundi, an. 1509.

nitatis vestrae reverendissimae nullum detrimentum adferre debet. Commendo me vestrae reverendissimae paternitati. Datum Cracoviae, die 7 Martii, 1537. — «Reverendissimae paternitati vestrae addictus, Ioannes episcopus Płocensis et regni Poloniae Cancellarius.»

Ex libro privilegiorum Capituli metropolitani Leopoliensis, ritûs Latini, pag. 53.

LV.

Privilegium Sigismundi I Regis Poloniae, de instituenda dioecesi Leopoliensi, Haliciensi et Camenecensi, ritûs Graeci, et consecrando in dignitatem episcopi Macario Tuczapski.

Привилегія Польскаго Короля Сигизмунда I, о учрежденіи православной епархіи въ Галицкой Руси и Подоліи и о посвященіи въ санъ епископа Макарія Тучапскаго. 1539 г.

In nomine Domini, amen. Ad rei memoriam sempiternam. Nos Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Culmensis, Elbingensis, Pomeraniaeque dominus et haeres, significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis et singulis, harum notitiam habituris. Quia nos ad humilem supplicationem et diligentem certorum nobilium, subditorum nostrorum terrarum Russiae, ritûs et fidei Graecae, apud nos factam. . . . Querebantur enim, quod eorum spirituales cogerentur aliunde ex terris Russiae et Podoliae pro ordinibus accipiendis, in Moldaviam et alia loca externa se conferre, et negotia sua spiritualia, uti divortia et separationes matrimoniorum, quoties ex causis, ut dicebant, legitimis eveniebant, agere, item synagogarum et ecclesiarum ipsorum consecrationes impetrare eó, quod eorumdem locumtenens Haliciensis et sancti Georgii extra muros civitatis nostrae Leopoliensis, honorabilis Macarius Tuczapski, vulgari nomine *namiestnik* dictus, qui hactenus Metropolitani ipsorum Archiepiscopi Haliciensis locum administrare et tenere dicitur, non haberet eam facultatem, praemissa omnia juxta ritum, consuetudinem et necessitatem fidei eorum Graecae administrandi. Supplicaruntque nobis, debita cum instantia, ut illis in praemissis omnibus de clementia nostra regia prospicere, et ex eodem locumtenente Haliciensi et sancti Georgii Leopoliensi, nec non Camenecensi Podoliaeque, praefatum honorabilem Macarium Tuczapski władycam eis insignire, dare et constituere dignaremur, in iis proventibus et introitibus, in quibus idem locumtenens Haliciensis hactenus mansit et praesidebat. Quorum quidem subditorum nostrorum spiritualium et saecularium ritûs Ruthenici petitionibus permoti, annuentes, eundem honorabilem Macarium Tuczapski locumtenentem, in władycam eis dandum et constituendum esse duximus, damusque et constituimus praesentibus, ut a Metropolitano suo

Kijoviensi ad eam dignitatem vładicatûs insignitus, possit praemissa omnia, quae ad ritum fidei eorum pertinere videbuntur, eis administrare, hoc est: ut deinceps ex terris Russiae et Podoliae, districtibusque ipsorum, videlicet, Haliciensi, Leopoliensi, Camenecensi, Sniatynensi, Trembovliensi, spirituales eorum ordines suos, juxta ritum ipsorum, apud eundem władycam suum accipiant, et ad exteras partes pro recipiendis illis se deinceps non conferant. Item, quod dictus eorum władyca Macarius ecclesias ipsorum et synagogas consecrare, aliasque omnes actiones ecclesiasticas, prout et alii władycae, administrare, divortiaque et separationes matrimoniorum inter saeculares fidei suae facere possit et valeat. Cui quidem władycae Macario, sub potestatem illius damus et conferimus omnes et singulos spirituales popones, eorumque ecclesias, synagogas et monasteria, in terris Russiae et Podoliae et districtibus supra nominatis, Haliciensi, Leopoliensi, Camenecensi, Sniatynensi, Trembovliensi, sitas, videlicet, ecclesiam Haliciensem metropolitanam, in qua quondam Archiepiscopus, aliàs Metropolitanus eorum praesidebat, quae nunc eorum lingua vulgari *Kryłos* dicitur, item monasterium Uniow, quod in honorem et titulum Sanctissimae Dominae nostrae Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae, a Praedecessoribus nostris fundatum est, et alia omnia, quibuscunque nominibus vocata, ejusdem władycae jurisdictioni annectimus et adscribimus. Quodque idem władyca praefatus Macarius modernus et alii pro tempore existentes, more aliorum władycarum, clerum suum praefatum in omnibus actionibus eorum, quoad ritum et consuetudinem fidei eorum Graecae, administrabit et disponet, successoresque sui gerent, administrabunt et disponent; ex singulisque poponibus, in vładicatu suo constitutis, per sex florenos, ratione contributionis *kuniczne* dictae, prout et alii władycae in suis vładicatibus, singulis annis habebit et percipiet, eorumque poponum actiones et negotia in spiritualibus, nec non errores et excessus corriget et emendabit, prout ad officium suum vładicatûs pertinere et spectare videbitur. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum est praesentibus appensum. Datum Cracoviae, feriâ quinta post festum undecim millia Virginum proxima, anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono, regni vero nostri anno trigesimo tertio. Praesentibus reverendis in Christo patribus: Petro de Gamrath Cracoviensi, Sebastiano Branicki nominato Posnaniensi et Culmensi, Samuele Maciejowski nominato Chelmensi et regni nostri Vicecancellario, episcopis, nec non magnificis, generosis et venerabilibus.

Originale in archivo Capituli Leopoliensis, ritûs Ruthenici.

LVI.

Litterae Nobilis Straszii ad Bernhardum Archiepiscopum Leopoliensem, quibus nunciat ei, inefficacem se defensorem fuisse apud Regem et senatores Poloniae, de retinendo jure patronatûs illius in Metropolia Haliciensi.

Письмо Дворянина Страша Львовскому Архіепископу Бернарду Вильчку, о безуспѣшномъ ходатайствѣ своемъ при Королевскомъ Дворѣ за права власти его въ Галицкой Митрополіи. 1539 г.

Miłościwy Panie! Racz wasza mośc wiedzić, iż co się tycze sprawy waszey mości, która była przed Jego Królewską Mością z Makarym i szlachtą Ruską o podanie namiesnictwa, wyszedł był dekret za waszą mością, którego dekretu .... a już napisany na pargaminie, i sygnetem Królewskim zapieczętowany: jedno żem go jeszcze dostać nie mogł od księdza biskupa Kamienieckiego, po który dekret biskup Płocki do biskupa Kamienieckiego posłał; tam go zaś korygowali, i pieczęć u niego urwali. Gdyż ja przymawiał się u biskupów o ten dekret, oni powiadali, iż go musi skorygować, a wszakoż powiedzieli, że i będą pisać znow. Potemum nazajutrz przyszedł do nich, powiedzieli, że go Królowa zapowiedziała, aby tego dekretu nie wydawano. Ażbych ja pierwey był z pierwszemi dekretami u niey, jam się tego ważić nie smiał, abym ie przed nią ukazać miał. A wszakoż mi tego ksiądz biskup Kamieniecki rozkazał, abych ie przed nią ukazał. Jam potym z nim wespoł do Królowey szedł, i dekreta przed nią ukazał. Owa tylko na mnie poyzrzawszy do siebie wzięła. Tę rzecz gdym przed biskupy innemi i przed panem woiewodą Krakowskim powiedział, bardzo tego litował; i nauczył mię pan woiewoda Krakowski, żebych się u Królowey, gdy się Rada wszystka zeydzie, nowego dekretu uczynionego upominał, i żebych też powiedział, iż był zapieczętowany, pieczęć mu urwano, a iż też Królowa do siebie pierwsze decrety wzięła, tegom Królowey dwakroć przypominał. A każdy z Panów jakoby tey rzeczy słuchać nie chcieli. Na ostatek mi powiedziano od Króla, iż Iego Królewska Mość chce widzieć oryginał, o krórym tego iest . . . . w dekreciech. Iam powiedział, iż Iego Królewska Mość nie wspominaiąc żadnego originału, zostawił xiędza Arcybiskupa i potomki iego przy podawaniu. Iego Królewska Mośc sam rzekł: «już day pokoy, a temu już natym rzecz i koniec.» Tedy mi zaś, podobno piątego dnia, stare dekrety od Królowey wrócono; a xiądz biskup Kamieniecki kazał mi co rychley odjechać, ani się Królowey więcey ukazywać, powiadaiąc, byś ieszcze z gorszą rzeczą nie pojechał; i wskazał ku waszey mości, aby wasza mośc raczył pilnieysze szukać tego originału, a nalazłszy ku Iego Królewskiey Mości posłać: bo jeśli tego nie będzie, tedy się trzeba bać o upadek rzeczy. Czasu nie złożono, na kiedy by wasza mośc miał położyć ten oryginał, ani mi się też xiądz biskup Krakowski o to przepytać nie kazał: ale nadziewam się, iż waszą mośc listem Królewskim obwieszczą, i. t. d.

Originale in archivo Capituli metropolitani Leopoliensis, ritûs Latini. Datum in litteris desideratur.

LVII.

Hommagium, a Macario Tuczapski Haliciensis Russiae et Podoliae episcopo ritus Graeci, Metropolitae Kijoviensi praestitum.

Присяжная грамота православнаго Галицко-Русскаго и Подольскаго Епископа Макарія Тучапскаго Кіевскому Митрополиту. 1540 г. Февраля 22.

Ego Macarius Tuczapski, episcopus curialis, ex brachio illustrissimi archiepiscopi Metropolitae Kijoviensis, Haliciensis totiusque Russiae Macarii, Haliciensis, Leopoliensis, Camenecensis, Sniatynensis, Rohatinensis, Trembovliensis omniumque terrarum Russiae et Podoliae earumque districtuum, notum facio hoc meo chyrographo, coram misericordi Deo et purissima Ejus Matre, sanctisque coelestibus Virtutibus, et omnibus Sanctis, qui de Deo bene meriti sunt: quomodo dominus et supremus pastor noster, illustrissimus archiepiscopus Metropolita Kijoviensis totiusque Russiae, de voluntate et gratia sua, nec non de jure metropolitico, sanctitate et pastoratu suo, me fecit episcopum suum curialem, et dignatus est metropolim suam Haliciensem mihi ex brachio suo committere; ecclesias Dei, clerum, omnesque homines, appellatos gregem obedientium ovium Christi, Russiae et Podoliae terrarum, mihi servo suo in inspectionem et administrationem spiritualem concredit, mandavitque mihi dominus Macarius Metropolita ita me gerere in causis ecclesiasticis, quemadmodum antea antecessores mei se gesserunt in hac Haliciensi metropolia: quoniam mihi Rex serenissimus hanc metropoliam Haliciensem privilegio suo litterisque confirmavit. Quapropter ego Macarius per scripturam meam hanc appromitto domino Metropolitano, pastori meo, quod hoc officium spirituale, ad metropoliam suae illustrissimae dominationis spectans, metropoliae Haliciensis habere debeam, ipse ego et mei futuri successores episcopi Halicienses, ex mandato et voluntate suae dominationis reverendissimae, atque regere ecclesias Dei, clerum, omnesque christianos appellatos nostri ritûs Graeci, in hac Haliciensi metropolia existentes, juxta traditionem et obloquentiam canonum sanctorum Apostolorum sanctorumque Patrum, uti etiam illustrissimi Metropolitae Kijoviensis, Haliciensis totiusque Russiae benedictionem et doctrinam domini Macarii. Et quod mihi Dominus Deus misericors largietur ex hac Haliciensi metropolia reditûs ecclesiastici, ab institutione presbiterorum et consecratione ecclesiarum Dei, ex omnibusque reditibus spiritualibus; hoc debebo colligere, et hanc collectam omni anno post Pascha suae illustrissimae dominationi denuntiare: et illustrissimus dominus medietatem ejus debebit sibi accipere, altera vero medietas cedit mihi pro labore. Praeterea appromitto, atque sub poena anathematis sanctorum Apostolorum sanctorumque Patrum, me obstringo, quod hanc sedem metropoliae Haliciensis, pro mea proprietate non sim reputaturus, nec id tentaturus a metropolia Kiiouiensi, ego et mei successores, sed eam tenebo et mei successores episcopi de voluntate, largitione atque benedictione illustrissimi Metropolitae Kiioviensis, Haliciensis et totius Russiae Macarii et successorum ejus. Antimensia quoque subscribere tenebor

nomine domini mei Metropolitae Kijoviensis, Haliciensis totiusque Russiae Macarii. Quod si vel ego, vel successores mei, non me geram secundum canones sanctos in hoc episcopatu metropoliae Haliciensis, et aliquid contrarium in me illustrissimus dominus deprehendat, liberum erit me castigare secundum culpam meam, prout jus spirituale disponit. Quod etiam ego Macarius ex hac mea scriptura, vel successores mei excesserint, aut aliquid contrarii illustrissimo domino et pastori meo Metropolitae Kijoviensi et Haliciensi facerem, tunc statu meo episcopali excidam; praeterea pro hoc incidam in supra memoratam excommunicationem sanctorum Apostolorum sanctorumque Patrum, atque Regi serenissimo pro poena solvere debebo florenos mille, Metropolitae vero Kijoviensi, Haliciensi et totius Russiae Macario ipsiusque successoribus Metropolitis quingentos florenos. Atque ita in perpetuum, suae illustrissimae dominationi dedi domino meo Metropolitae Macario ipsiusque successoribus Metropolitis Kijoviensibus, Haliciensibus totiusque Russiae hanc meam scripturam cum meo sigillo. Fuerunt his praesentes episcopi: Polocensis, Vitebscensis, Msciślaviensis Simeon; Vlodimiriensis et Brestensis Gennadius; Luceoriensis et Ostrogiensis Arsenius; Turoviensis et Pinscensis Bassianus; Premisliensis et Samboriensis Arsenius; Chelmensis et Belzensis Ionas. Princeps Georgius Siemionowicz Olelkowicz Słucensis; dominus Alexander Iwanowicz Chodkiewicz, capitaneus Brestensis, mareschalcus Regis serenissimi; dominus Iohannes Hornostay, thesaurarius terrestris et administrator, palatinus Trocensis, mareschalcus et notarius regni; dominus Iohannes Andrejowicz, thesaurarius curiae regni. Et supplicavi episcopis et dominis, ut sigilla sua apponant, ad quem meam supplicationem id praestiterunt, atque sigilla sua apposuerunt huic scripturae meae. Scriptum Novogrodeci, anno Domini 1540, mensis Februarii 22, indictione 13. — «Ego Macarius Tuczapski, manu propria has litteras meas subscripsi.»

Ex actis Consularibus Leopoliensibus. Authenticum, Ruthenico idiomate scriptum, carieque corruptum, adservatur in chartophylacio Metropolitarum Graeco-Unitorum, quod Sanctissimae totius Russiae Synodi archivo est adnexum. Vid. Акты, относящіеся къ Ист. Западн. Россіи, изд. Археографическою Коммиссіею.

LVIII.

Rescriptum Sigismundi Augusti Regis Poloniae ad Archiepiscopum Leopoliensem Petrum Starzechovki, de jure concesso nobili Marco Balabano in vladicatum ritûs Graeci Leopoliensem.

Грамота Польскаго Короля Сигизмунда Августа Львовскому Архіепископу Петру Старжеховскому, о предоставленіи тамошнему дворянину Марку Балабану православной епископіи въ Львовѣ. 1549 г. Апрѣля 23.

Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae et cet. dominus et haeres. Reverendissime in Christo pater, sincere nobis dilecte! Cum reverendissima paternitas vestra quibusdam literarum documentis, a divo olim Parente nostro desideratissimo concessarum, declaravit, se habere jus praesentandi et constituendi vicesgerentem sancti Georgii Leopoliensis rithûs Graeci, ex qua vicesgerentia erectus est non pridem vladicatus, propter consecrationem poponum rithus Graeci et ecclesiarum Ruthenarum, ne extra regnum petendi ejus muneris gratia se conferant: annuimus praesentibusque literis concedimus, ut paternitas vestra reverendissima jure suo potiatur. Quia vero divus olim Parens noster cuidam nobili Marco Balaban concesserat gratiam expectativam ad hujusmodi vladicatum, ex morte venerabilis Macarii vacantem; quam nos quoque, vestigiis paternis secuti, ad intercessionem quorundam Consiliariorum nostrorum, ratam habentes approbavimus. Postulamus a paternitate vestra reverendissima, ut fidem nostram sibi datam liberet, eumque Marcum Balaban constituat in vladycam: quandoquidem ad hoc munus obeundum a multis Consiliariis nostris dignus esse censebatur. Quia tamen necessaria sibi erit benedictio seu investitura Metropolitani sui Vilnensis et totius Russiae, sine qua in officio suo nequaquam subsistere poterit, nec munus consecrandorum poponum atque ecclesiarum Ruthenarum impertiri poterit: expedit, ut paternitas vestra reverendissima eidem Metropolito ipsum Marcum Balaban offerat et praesentet. Nam nos quoque de aliis vladicatibus vacantibus idem facere consveveramus. Factura paternitas vestra reverendissima pro complacentia nostra. Datum Cracoviae, feriâ tertia Paschae, anno Domini MDXLIX, regni vero nostri anno XX. – Ex mandato proprio sacrae regiae Majestatis, eidem parti affectanti, ex Actis castrensibus Capitaneatûs Leopoliensis extradere permisit. «Correxi. Grabowskj.» «Legi. Balickj.»

Extractum ex Actis castrensibus Capitaneatûs Leopoliensis officiale, datum Archiepiscopo Leopoliensi Latino Petro Starzechowski, per oblatam ejus, an. 1550, sabbatho ante dominicam Reminiscere proximo, sub sigillo apposito, concessum est Collegio Archaeographico a Correspondente D. Zubrzycki.

LIX.

Protestatio Gedeonis Balabani, Episcopi orthodoxi Leopoliensis, contra catholicum archiepiscopum Ioannem Demetrium Sulikowski, ob interclusas, jussu ejus, per vim ac furorem, ritus Graeci ecclesias, Leopoli et in suburbio.

Явка Львовскаго православнаго Епископа Гедеона Балабана, о насильственномъ запечатанiи православныхъ церквей въ Львовѣ, по повелѣнiю тамошняго Римско-католическаго Архiепископа Iоанна Суликовскаго. 1584 г.

Erwirdiger Herre Meister. Als wir no woren reytende von Kyrren, man brochte vns Euwern Briff am nesten Sonnobend noch Sinthe Jacobi, dorinne Ir schreibet, wie is Euch nicht fuget czu vorlieben czu deme freuntlichin Tage, den wir von beiden Seiten vff den nestkomenden Pfingsten gehalden suldin haben, nach deme als der Allerdurchluchste Furste, Herre Konig czu Polan etc., vnser lieber Bruder, vnd wir mit dem Herrn Meister von Leyffland czu Dracken getedinget vnd obireynskomen wurdin, als Euch das eyn Vsschrifft der Kompthur von Dunenburg brocht vnd gegeben hat etc. Hyrvmbe wellet wissen, das vns keyn Noth teth der Czusampnekomunge vnd des fruntlichen Tages mit euch czu haben, vnd wir des an Euch ny begert haben. Sinddemmole wir vnser Botschaft mit voller Macht, so wol als Ir, czu Costenitcz in dem heiligin Concilio habin legen vnd sind des begerende, vnd bettende von Tage czu Tage ab do ichtes Gutes czwisschen vns, mit Gotes Hulfe, vorbracht vnd geendet were. Vnd wir habin mit Euch noch Beyfrede von Natiuitatis Mariae nestkomende obir eyn gancz Jar. Dorvmbe is was vns keyn Notdorfft des an Euch czu suchen; sunder als der egenante Herre Meister von Lyfland czu vns qwam vnd begerte von vns, also is das in dem heiligin Concilio czwisschen vns nicht gefridt vnd gesunet wer. So sulde wir czusamptnekomen sein vnd gesucht haben, von beiden Teilen, ab wir ichsicht Gutes czu deme ewigen Frede czwisschen vns thun vnd vorbrengen muchten; gescheges abir das in dem Concilio czwisschen vns gefridt vnd gesuneth wer, gleichwol wir sulden czusampnekomen sein, vnd das, was do in deme Concilio getedinget vnd gemacht wer, deste bas frundtlichin vnder vns bestetigin vnd veste czu machen. Vnd sinddemmole Ir des nichten wellet thun, vnd halden noch deme, als is czwisschen vns getedinget vnd gemacht was, vnd vnser Briue vnd och des Meisters von Lyfland Briff dar obir aller Dinge geschrebin vnd vorsegeld woren: so achte wir och des nicht, vnd wellen dy Beyfrede bis czu dem Tage, als gemacht is, gentzlich vnd volkomelich gerne halden. Gegeben czu Littawisschen Nowogrotke, am Dinstage nest nah Sinthe Jacobi Apostoli, anno XV^{mo}.

(E registrandis Magistrorum generalium, sub lit. F. pag. 127 in archivo ordinis Theutonici, Regimontii Prussorum.)

CXIV.

Wladislaus, Poloniae rex, et Witautus, magnus dux Lithuaniae, producunt in annum inducias, ante Strasburgum cum ordine factas. d. 25 Aprilis 1418.

Договоръ Владислава, Короля Польскаго, и Витовта, Великаго Князя Литовскаго, о продолженіи на годъ срока перемирія, заключеннаго съ орденомъ подъ Страсбургомъ. 25 Апрѣля 1418 г.

Nos Wladislaus, Dei gratia rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuyaviae, Lithvaniaeque princeps supremus, Pomeraniae, Russiaeque dominus et haeres etc. et Alexander, alias Witawdus, Dei gratia magnus dux Lithvaniae et Russiae etc. significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis: Quomodo inter curae nostrae sollicitudines et studia meditantes, qualiter regno nostro optatae pacis compendia hujusmodi generis, jam dudum instigante inimico propulsata, reducere valeamus, et statum ipsius tempore nostri regiminis procurare meliorem, ut exstirpatis tot malorum incentivis, quae inter fidei domesticos cum tanto dolore sunt secuta, pacis autorem, quam nobis reliquit in pignus testamenti, devotionem pacis veneremur, principum, praelatorum, baronum et procerum nostrorum usi consilio et consensu magnifici domini, Michaëlis Kochmeister, Magistri generalis ordinis Theutonicorum de Prusia et suorum nuntiorum, plenam ad hoc habentium potestatem, debitis instantiis flagitati, treugas pacis inter nos, illustrem principem Alexandrum, alias Witawdum, magnum ducem Lithvaniae terrarumque Russiae etc., fratrem nostrum carissimum, regnum, subditos et coadjutores nostros ab vna, et praefatum dominum Michaëlem, Magistrum generalem, ordinem, subditos et coadjutores ipsius ab alia partibus, juxta formam, modum et viam, conditiones, capitula, clausulas et sententias facta, disposita, ordinata et inita ante Strassburg fecimus, disposuimus, ordinavimus et dictavimus, inivimus, acceptavimus et prorogavimus, — facimus, ordinamus, disponimus, constituimus, dictamus, inimus, acceptamus et eas prorogamus a festo Beatae Margarethae virginis, nunc proxime instante, ad aliud festum ejusdem Beatae Margarethae virginis immediate secuturum inclusive, per circulum anni duraturas. Quas promittimus in verbo nostro regio, in omnibus punctis, capitulis, sententiis et clausulis, alias in contractu treugarum ante Strasburg editarum expressis, firmiter et inviolabiliter observare et tenere. Si quid vero hactenus et postmodum per sanctissimum in Christo patrem et dominum, dominum Martinum Papam quintum, et serenissimum principem, fratrem nostrum carissimum, dominum Sigismundum, Romanorum regem semper augustum et Hungariae regem, vel eorum alterum, ambasiatoribus nostris, expresse ad hoc consentientibus, super hujusmodi treugas pacis et eorum tentione sit pactum, ordinatum aut gestum: nolumus in aliquo per hujusmodi contractum nostrum et treugarum pacis prorogationem, ordinationem ipsorum factam vel fiendam derogare. Sed pronunc prout extunc, et protunc prout exnunc, omnibus ipsorum ordinationibus, dispositionibus, pactionibus volumus consentire atque stare. Nos quoque, Johannes senior et

Semovitus, duces Masoviae, Albertus, episcopus Cracoviensis, Donyn sedis apostolicae protonotarius, Decanus Cracoviensis; Johannes de Tarnaw Cracoviensis, Szandiwogius de Ostrorog Poznaniensis, Nicolaus de Michelaw Sandomiriensis, Jacobus de Conyeczpole Siradiensis, Mathias de Mansosche Kalisiensis, Mathias de Labyschino Brestensis, et Johannes de Cosczol Wladislaviensis, palatini, Sbigneus de Brzeze, Marschalcus regni Poloniae, Johannes de Oczechozim Castellanus Lublinensis, Albertus capitaneus Dobrinensis, nec(non?) Cracovia, Poznania, Kalis, Lublyn, Brest, juvenis Wladislavia, civitates regni Poloniae, tanquam fidejussores, promittimus et spondemus bona fide, sine dolo et fraude, pro serenissimo domino nostro praefato Wladislao, rege Poloniae etc. et illustri principe, domino Alexandro, alias Witawdo, magno duce Lithvaniae etc., quod treugas hujusmodi et prorogationem earundem sic factas, institutas, dictatas, sancitas, integre et jugi constantia observabunt et tenebunt, harum, quibus sigilla nostra sunt appensa, testimonio litterarum. Datum in Brest, feria tertia post festum Sancti Marci evangelistae, quae fuit dies XXV mensis Aprilis, Anno Domini M° CCCCXViij°.

(E registrandis Magistrorum generalium sub lit. D. pag. 34 vers. in archivo ordinis Theutonici, Regimontii Prussorum.)

CXV.

Witaut, Grossfürst von Littauen, verspricht Waffenstillstand mit dem Orden in Preussen und Liefland bis Margarethä des nächstkünftigen Jahres zu halten, wenn der Orden unterdessen den König von Polen nicht bekriege. Den 8-ten Sept. 1420.

Перемиріе Витовта, Великаго Князя Литовскаго, съ Нѣмецкимъ орденомъ подъ условіемъ, если орденъ не будетъ воевать съ Королемъ Польскимъ. 8 Сентября 1420.

Wir Allexander, andirs Wytawt, von Gotis Gnaden Grosfurste czu Lyttauwen vnd Reussen etc. Thun kunth vnd offenbar allen, den diese Schriffte werden vorbrocht, das als wir mit den vnsirn, bynnen deme freuntlichen fredlichen Tage, der czwisschen vns vnd deme erwirdigen Herren Michell Kochmeister, Hoemeister Deutsches Ordens, vff Michaelis nehistkomende was uffgenomen, als die Briefe, dorobir gegeben, das cleerlichen ausweisen, komen woren am Tage Natiuitatis Mariae, der Achtbaren Juncfrauwe, nehest vorgangen, vmblang vnsirs Hawses Weluna, vnd doch aldo czwusschen vns vnd beiden Teillen nichtes wart beslossen; so haben wir, nach eyntrechtigem Rathe vnsir Prelaten, Fursten, Herren vnd Boyarn, vnnd willen mitsampt dem nebenumpten erwirdigen Herrn Michel Kochmeister, Homeister Deutsches Ordens, denselben fruntlichen fredelichen Tag von diesem czukomenden Sinte Michaelis Tage, des Erczengels, vordan vorlenget vnd gelegit czu werende, bys vff Sinte Margarethe, der heiligen Juncfrauwen, Tage nehestkomend mete inbeslossen. Vnd geloben vor vns, vnser Fursten, Herren, Landen, Leuten vnd Vndirsossen, sowol in Lyttauwen, Samaythen vnd in

Reussen, dem obenumpten Herren Michel, seynem Orden, Landen, Luwten vnd Vndirsossen czu Preussin vnd in Lifflandt, keynen Krieg, Vnrechte, Gewalt adir Schaden czu thuen, ader lassen czuczihen; sunder den obenusgedruckten fruntlichen vorlengten Tag stete veste vnd crefftig czu halden, bey guten Truwen, ane Gefeer vnd Argelist; das sundirlich vsgenomen: were is, das der egenante Herre Homeister vnd der Orden czu Prewssin mit dem allirdurchluchtigsten Fursten, Herren Wladislaw, Konige czu Polan etc., vnsirm allerliebstem Brudere, vnnd seyme Konigreiche eynen offen Krieg bynnen der Czeit des obengeschreben Beyfredes anhuben, so sullen vnd wellen wir den obenumpten Herren Konig czu Polan vnd sein Konigreich nicht lassen, noch begeben. Vnd des czu ganczir Sicherheit haben wir vnsir Ingesigel diesem Briefe lassen anhengen, der gegeben ist bey vnsirm Huwse Weluna, an der nechsten Mitwoche nach Vnsir Frauwen Tage Natiuitatis. Im vierczenhundirsten vnd czwenczigsten Jare.

E codice C. pag. 224 in archivo ordinis Theutonici, Regimontii Prussorum.

CXVI.

Witaut verspricht den vom Papste und dem Markgrafen Friedrich unterhandelten Beifrieden zwischen dem Orden und Polen und Littauen, vom Margarethen-Tage dieses bis zum Margarethen-Tage künftigen Jahres, fest zu halten. Den 25. Juli 1421.

Условіе Витовта, Великаго Князя Литовскаго, хранить заключенное при содѣйствіи Папы и Маркграфа Фридриха перемиріе между орденомъ, Польшею и Литвою, въ теченіи года. 25 Іюля 1421 года.

Allexander, andirs Wytoudt, von Gotis Gnoden Grosfurst czu Littawen vnd czu Ruessin etc. Thuen kunt vnd offenbar Allen, den disse Schrift vorbrocht wird. Also als der allerheyligester in Gote Vater vnd vnser Herre, Martinus Pobist der Sanfte, vnd och der hochgeborner Furste, Herre Frederich, Margraff czu Brandenburg, Burgraff czu Nurenberg vnd des Heyligen Romischin Reychis Erczkemerer, vnser besunder lieber Frunt, begert, begriffen vnd gemacht haben eynen Beyfrede czwuschen dem allirdurchluchsten Fursten, Herren Wladislaw, Koning czu Polan etc., vnserm allirliebistin Bruder, vns, vnsern Landen, Lüthen vnd Vndirsossen an eyme, vnd dem erwirdigen Hern Michel Kochmeyster, Homeyster Dütsches Ordens, seynem Orden, Lande, Luethe vnd Vndirsossen am anderm Teyle, der Beyfrede von Sinthe Margarethe Tage neest vorgangen, czu anderm Sinte Margarethe Tage neest czukumpftigen: glouben wyr vor vns, vnsere Lande, Luethe vnd Vndirsossen in Litthauwen, Samagitten vnd Rüssen etc. obenbenumpten Hern Homeyster, seynen Landen, Luethen vnd Vndirsossen, sowol in Prüssen als in Lifflant, stete feste vnd creftig czu halden, vnd bynnen der Czeyt keynen Krig, Vnrecht, Gewalt addir Schaden czu thun, addir lossen czuczyhen, vnd

in aller Weyse, Punckten, Articulen vnd Clausulen, als der leczt vorgangen Beyfrede czwusschin vns, beyden vorgeschreben Teylen, wart gemocht vnd vorschrebin, bey guten Truwen, ane Gefere vnd Argelist, in Crafft disses Brifis, czu dem wyr haben lassen hangen vnser Ingesegel; der geschreben vnd gegeben ist in vnserm Houe czu Dübitz, am Tage Sinte Jacobi Apostoli, anno Domini M°CCCC°XXI°.

E codice C. pag. 224 vers. in archivo ordinis Theutonici, Regimontii Prussorum.

CXVII.

Wladislaus Jagello, rex Poloniae, queritur apud magistrum generalem de fratre suo Swidrigallo, magno duce Lithuaniae, et rogat eum partes suas suscipere. d. 17. Julii 1431.

Письмо Короля Польскаго, Владислава Ягайла, къ Великому Магистру Прусскому Русдорфу, съ жалобою на брата своего, Великаго Князя Литовскаго, Свидригайла, и съ просьбою, приступить къ союзу съ нимъ. 17 Іюля 1431 г.

Magnifico ac venerabili domino P. de Rusdorff, ordinis Beatae Mariae domus Theutonicorum de Prussia Magistro generali, amico et compatri nostro carissimo.

Wladislaus, Dei gratia rex Poloniae, Lytwaniaeque princeps supremus et haeres Russiae etc:

Magnifice et venerabilis amice et compater noster carissime. Testis est nobis Altissimus, et credimus, quod vestra agnovit amicitia, sub qua studiorum, laborum et curarum, cum germano nostro juniore Swydrigal, duce Litwaniae, quaesivimus pacem, ad quem habendam summis aspirabamus desideriis, mittentes ad eum solemnes ambasiatores nostros et regni nostri potentiores, videlicet, pontifices, palatinos, dignitarios et consiliarios nostros, plerumque invitantes eum ad prosecutionem pacis et concordiae, ad quae nequaquam consentire voluit, sed hujusmodi nostros nuntios, nescimus qua levitate nos pensans, semper vacuos, sine spe concordiae, remittebat. Quantis autem et qualibus contumeliis et opprobriis per eundem affecti, et injuriis ineffabilibus sumus lacessiti, non licet praeterire; sed amicitiae vestrae saltim compendiose exponere cum quaerela. Novit enim orbis universus, nec vobis ac ordini vestro credimus incognitum, quod nos, ex genitoris nostri, olim magni ducis Lytwaniae Olgerdi, ducum et boyarorum unanimi accedente consensu, electione, constitutione, approbatione et legitima successione, semper supremus princeps, haeres verus, legitimus et dominus naturalis magni ducatus Lytwaniae, Russiaeque terrae fuimus, imo de facto absque intermissione; sumus ipso jure, prout ducum eorundem boyarorum ac omnium terrigenarum praedicti magni ducatus juramenta et omagia fidelitatis, nobis solemniter facta et praestita, eorumque sigillis et litteris patentibus roborata et communita, evidentius protestantur. Et quamquam felicis recordationis domino Alexandro, alias Wytawdo, M. D. Lytwaniae, fratri nostro carissimo, propter merita ejus plurimaque obsequia, quae nobis tum cum gentibus armorum, tum alia, pro quibus ipsum duxeramus requi-

rendum, multipliciter (*) et continue exhibebat signanter, affecta ipsius industria circa gubernationem et ampliationem dominiorum nostrorum, ac maturitate et fidelitate probata erga majestatem nostram, concesseramus et gratiose, duntaxat ad tempora ejus vitae, contuleramus praedictum magnum ducatum, salvo jure supremi principatus nostri, ejusdemque magni ducatus devolutionem pro nobis et successoribus nostris reservantes; prout inscriptiones, super eo confectas, amicitia vestra in conventione Thorunensi, anno praeterito celebrata, legi latius audivit. Non tamen exinde orbati fuimus jure et dominio nostro haereditario, quin imo praefatus dux Witawdus, salutis et honoris suorum existens zelator persincerus, recognoscebat, nos esse supremum principem praedictarum terrarum ac dominii ejus legitimum, prout scripta et nec minus opera clare profitentur, quantas namque, ratione hujusmodi beneficii a nobis accepti, honores, reverentiam et donationes in auro, argento, pecuniis, vestimentis et equis; quantamve copiam variarum rerum pretiosarum afferebat, non est opus nos referre, ubique enim notorium existit. Etiam quotiescumque ad terras praedictas descendere dignabamur, visitandum easdem, quod tamquam legitimus dominus et haeres ad terras proprias facere tenebamur: saepedictus dux Wytawdus, stationum nostrarum militia (**) nobis copiosissime ministrabat, non minus quam caeteri capitanei nostri nobis facere consueverunt; et quod plus est insignum et efficacius testimonium, recognoscens, se a nobis eadem dominia habuisse, adhuc agens, in humanis ratione, (*sic*) compos rationis majestati nostrae, velut huic, a quo habebat praefatum magnum ducatum, terras et dominia integraliter resignavit, cessit et renuntiavit; illustremque dominam Julianam, consortem suam, cum praelatis, ducibus et boyaris, suis proceribus, eam ad nos mittens, reverenter per eosdem commendavit, humiliter supplicando nostrae majestati, ut ipsam consortem ejus in ipsius dotalitio, quod ex speciali nostro consensu donaverat, non turbare, sed potius conservare et tueri dignaremur. Demum autem de facto praefato fratre nostro M. D., vacantibus nobis circa exequias ejusdem et nullius insidias exspectantibus, sed jam tamquam in propriis et naturalibus domibus praesidentibus, praefatus dux Swidrigal, frater noster, a quo nunquam quid contrarii vel displicibilis nobis evenire credebamus, velut ab eo, quem innumeris prosequebamur favoribus, qui etiam castra nostra, civitates, terras, possessiones nomine nostro tunc tenebat, nec non multa beneficia, ut puta de zuppis nostris annuas pensiones, quorum summa se singulis annis extendebat citra quatuor milia florenorum Hungar: ac plurimas alias donationes et munera, quae singula longum esset enumerare, a nobis obtinebat, et ab adolescentia sua in manibus nostris educatus fuit et enutritus: unde certi, confidebamus, illum, reminiscentem praedictorum nostrorum beneficiorum, atque juramentorum, obligationum, inscriptionum et pollicitationum, quibus se nobis astrixerat fidem servare, nobisque et regno nostro Poloniae fideliter et constanter contra quemlibet in mundo viventem adhaerere, ab omnibus, nobis nocere machinantibus, pro posse suo nos protegere debebat. Sed hujusmodi juramentis, omagiis et inscriptionibus ipsius et praefatorum ducum et boyarorum nobis factis non obstantibus receptis, sibi adhaerentibus quibusdam complicibus, qui similiter hujusmodi juramentorum et omagiorum nobis praestitorum facti immemores, castra, civitates, thesauros, oppida et villas, possessiones-

(*) in originali cum abbreviatione: mltir.

(**) in originali item: mcia.

que caeteras et dominia Lytwaniae et Russiae terrarum violenter occupavit; nosque, dominum verum, legitimum et naturalem, ab eisdem exclusit, et quod, heu, ingessit cordi nostro intensum doloris et moeroris augmentum, non habens conscientiam, nos, fratrem suum seniorem et dominum, custodia captivitatis mancipare, et verbis indecentibus majestatem nostram, regem coronatum, plerumque pertractare in nostrum et coronae nostrae Poloniae dedecus non mediocre; consiliarios quoque, barones et clientes nostros fideles, in conspectum(*) nostrae majestatis, duris et seriosis sermonibus ac inhonestis confundere, comminationibusque mortis ipsos concutere non metuit, neque fuit veritus. Nuntios itaque nostros, cum litteris ad serenissimam principem dominam, consortem nostram carissimam, nec non praelatos et barones nostros, et ab eisdem ad nos proficiscentes, arrestabat, scripta nostra revolvens, in contemptum celsitudinis nostrae. Quae licet cum dolore tolerabamus; ac tamen volentes modis omnibus, ut terris nostris et populo christiano bona servaretur tranquillitas, et ut ab effusione sanguinis christiani manus innocuas servaremus, ad instantiam ejusdem, pacis treugas secum servaremus ad festum Assumptionis Beatae Mariae proxime affuturum duraturas, ut saltem medio tempore super suis hujusmodi exorbitantiis ipsum potuissemus reducere ad aequitatis finem. Sed, quod plus est, hujusmodi contumeliis, quibus nos afficere minime formidavit, non contentus, mala malis cumulans, de terra Podoliae, vera et legitima parte regni nostri Poloniae, quae nunquam ad ducatum Lytwaniae spectabat, sed a diu ad coronam Poloniae pertinebat et pertinet ipso jure, ausus est manu violenta se intromittere; castra, civitates, atque loca ejusdem terrae, contra Deum et justitiam occupando, nec non castra, quae nos et corona nostra de facto tenemus possessa, praefatis treugis pacis pendentibus, mandavit hostiliter invadere et ea impetuose expugnare: praesertim castrum nostrum Smotricz ipsius belligeri circumvalentes, per octo dies continuis ictibus sagittarum ac diversi generis offendiculorum expugnare non quiescebant. Quod videntes quidem fideles nostri, ac hujusmodi violentias non volentes, absque scientia nostra direxerunt acies suas ad resistendum et repellendum eosdem ab obsidione castri praedicti. Ubi, congredientes simul, cum eisdem conflixerunt. Adjuvante vero gratia Dei nostri, non sine effusione sanguinis ipsius expugnantes, ab eodem castro pepulerunt. Cum autem de hujusmodi effusione sanguinis christiani, moeroris suscepissemus augmentum, signanter quod nostri subditi naturales, per ipsum seducti, nobis effecti rebelles, cum nostris fidelibus pugnaverunt, ad statim per scripta et nuntios curavimus ipsum avisare, inquirentes eum, cur talia fieri non prohiberet, subjungendo, quomodo, ne dum ibi in Podolia, verum etiam in terris aliis, districtibus regni, videlicet Trebeliensi, Leopoliensi et caeteris, per suos adhaerentes et nostros rebelles, videlicet de Sbarasch, Crzemyenicz et Oleszko castris, per ipsum violenter occupatis, nostri subditi depraedantur, spoliantur et gravissimis opprimuntur injuriis. Quoties autem sibi super eisdem scripsimus, aut intimavimus, petentes et requirentes, ut tales maleficos cohiberet ab hujusmodi damnis abstinere: nullum apud eum unquam effectum potuimus sortiri. Et quamvis interdum nobis respondebat, hujusmodi maleficos corripere velle, nunquam tamen hac in re apparebat. Attamen, ut nil in nobis deficeret, quod pax commoda potuisset procurari, curavimus solemnes ambasiatores nostros et regni nostri potentiores, scilicet, pontifices, praelatos, dignitarios et consi-

(*) contemptum vel despectum?

liarios nostros, ad eum destinare, requirentes et hortantes, quanto ad justitiae aequitatem inclinari, unionemque et fraternam concordiam nobiscum voluisset amplecti, modos et vias eidem competentes obtulimus. Dum eum invitavimus ad conventionem nobiscum celebrandam, in qua hujusmodi rixae et dissidiae inter nos et ipsum subortae sopirentur, praefixeramusque dies et loca pro eadem conventione perficienda, videlicet, festum Sancti Georgii, festum Ascensionis Domini, aut festum Pentecostes proxime lapsa, ubi nulla dilationis occasio licite poterat assignari, quam sincero mentis affectu aspirabamus celeriter ad breviorem terminum pro hujusmodi consumanda conventione, ne materia litium succresceret per amplius, sed quod(*) amputaretur et funditus fuisset evulsa: ipse vero, praefatos ambasiatores nostros ad id requisitus, (?) se ab eisdem totaliter, quibusdam subterfugiis, subtraxit, offerens, se per suos nuntios nobis certum dare responsum, quorum adventum satis longe postulabamur; et dum advenissent, nullum nobis finale attulerunt responsum, solummodo peroraverunt, quod illas treugas pacis ad festum Assumptionis Mariae duraturas, per ipsum et suos adhaerentes dudum et crebrius violatas, tenere voluisset. Nos vero, videntes hujusmodi oblationes nostras apud eum effectu esse frustratas, plurimum molesti fuimus. Nihilominus, quantum esset in nobis, pro conservanda pace pro extremo nostro posse operam dare volentes, praeter decreta et conclusa omnium praelatorum et baronum nostrorum, assignavimus pro conventione utrimque per nos celebranda terminum, sive diem, quatuordecim diebus post festum praedictum Pentecostis, et tum ex intentione nostra nuntios suos a nobis remiseramus, quos cum eadem intentione nostra velox ejusdem praecesserat ad eundem, et eodem tempore ambasiatores vestri in praesentia nostri aderant, videlicet, commendator Thorunensis cum aliis suis collegis, quos de omni positione nostra, cum dictis nuntiis ducis praedicti Swidrygal habita, informaveramus. Super quo etiam nobis tardissime scripta sua cum responsiva remisit in haec verba: quod si castra et civitates, quae manu tenemus in Podolia, non traderemus sibi, nequaquam nobiscum vellet convenire; subjungentes, quomodo alias non tam resultaret causa, pro qua esset tractandum in hujusmodi conventione, imo esset in vanum fatigas et impensas subire; quod attendentes turbata mente, praelatis et baronibus nostris illico insinuavimus. Quamquam autem tantis acerbati fuerimus molestiis et injuriis lacessiti, non statim ad arma consurreximus, sed cum mansuetudine et patientia, propter pacis commoda, sustinuimus tanta mala: et cum quali affectione et sollicitudine cum eo pacem quaesivimus, et in ejus conservationem quantamque aequalitatem sibi porreximus et favorem, ipsa opera fateantur, maxime ex quo cum omnibus hominibus in mundo pacem habere affectamus, quantum in nobis est, longe plus secum, cum sit frater noster germanus. Sed, ut nihil resultaret, qua nostra posset argui justitia et pura, quam in his gerebamus, intentio accusari, ecce ex singulari mansuetudine nostra pridie nobilem Luthkonem de Brzeze, aulae nostrae secretarium et nuntium nostrum fidelem, ad eundem miseramus, petendum et requirendum ipsum, quatenus praedictis injuriis nobis fieret recompensa. Nihil tamen tam frequens studium et labor reportare potuit in effectum, et quaerentes (*-tibus?*) nobis pacem, occurrere turbatio, qua praecordia nostra immensae tribulationis moerore sauciavit et fletus procuravit immensos. Videlicet, illa novitas, quae a seculo non est audita, ut imperatorum,

(*) ut?

regum, principum et aliorum cujuscunque status, conditionis aut eminentiae hominum nuntii per eos, ad quos mittuntur, verberentur, aut dehonorentur; quod in ipsa docente experientia realiter est comperta, cum praefatum Luthkonem, nostrum nuntium, ad maxilla ejus manu extensa sua caedere, ipsumque captivitatis custodia mancipare non fuit veritus, in nostrae celsitudinis, coronaeque nostri regni Poloniae dedecus pergrave et pudorem; quae nobis et coronae praedictae, tam apud sedem apostolicam, imperatores, reges principesque Christianos, ubi innumera nuntiorum confluit multitudo, quamquam etiam apud gentiles, Turcos, Tartaros, Sarracenos et alios quoscunque, nunquam in nostris nuntiis contigerunt: ubi semper nuntii nostri, qui nostrae majestatis personam repraesentant, fuerunt honorifice suscepti et reverenter pertractati, praeterquam apud ducem praedictum. Ex quibus aperte jam liquet, quod haec facta non sine horrido dispendio, quod moesto corde, Deus novit, et inviti attemptare vellemus, prout terminari, et quo tanto tempore abstinuimus; videntes tamen ipsum contemnentem et habentem majestatem nostram et oblationes nostras tam humiles in ludibrium, et ex quo in nobis tantae benignitatis devotionem, cui nos, pacis gratia, humiliter subjacemus, cum tanto vituperio despexit; cumque jam nobis pacis nulla restat fiducia, et semper ipsius nos opportet advertere insidias, nec nuntiis nostris ad ipsum libere patet transitus, cum alios verberat, alios captivat et confundit, quis nos juste valeat arguere, si nostrae cogemur (......?) necessitati (*) quibus visis, noverimus providere. Quocirca amicitiam vestram petimus et hortamur, quatenus his nostris expositionibus sinceriter receptis, quas vobis in vim dirigimus, querelarum, fidem eis placeat, tamquam veris et nullis fictionibus commixtis, adhibere, omnia veritati reputanda contraria, si quae vobis, praeter hoc, alia fuerint a quocumque inculcata vel suggesta; et nihilominus, velut pacis et justiciae zelator, velitis nobis et parti nostrae adhaerere, auxiliaque, consilia et favores sinceriter impertiri. Dirigimus autem amicitiae vestrae copiam litterae praedicti ducis Swidrigal, nobis nuper missae, de Ruthenico in Latinum translatae, praesentibus interclusam, ex qua colligere poteritis, quomodo ipse nobis significavit, quod se vobiscum, magistro Lyvoniae, et ordine vestro mutuis ligis et foederibus univit et scripsit contra quemlibet inimicum ejus, quod nos de amicitia vestra nequaquam possumus, nec hoc unquam in cor nostrum ascendere poterit; ex quo foedera pacis perpetuae, sigillis et litteris nostris patentibus firmata et communita, nullis unquam viis violata aut perturbata habeamus. In quorum prosecutionem persistere volumus et constanter permanere. Datum in loco exercituum nostrorum ante Hrodlo, Sabbatho post Beati Alexii. Anno etc. XXXI°.

Ad relationem venerabilis W. de Opperaw, praepositi sancti Floriani, R. P. Vicecancellarii.

Copia interclusa, de Ruthenico in Latinum translata.

Domine Rex, frater senior. Non sperabamus, quod magister Prussiae nobiscum personaliter voluisset convenire; unde nec ante vobis de eadem conventione scribere fuimus ausi. Sed tandem, idem magister, proprio motu, intimavit ad nos, affectans nobiscum convenire, ad quod nos gratum obtulimus. Itaque convenimus secum et cum consiliariis ejus, qui cum eo aderant, videlicet: magno commendatore et marschalko Prussiae de Elbing, Balga et Rangnith commendatoribus, ubi cum eodem ma-

(*) in originali: necitati.

gistro et consiliariis ejus, nec non cum magistro Lyvoniae et ordine universo cruciferorum, perpetuam pacem fecimus, mutuisque foederibus et ligis nos cum eis univimus, et inscripsimus ita, ut ipsorum magister cum suo ordine debeat nos contra quemlibet inimicum nostrum adjuvare; et licet magister praedictus Lyvoniae praesens nobiscum non affuit, nec nuntios suos habuit: dederat tamen magistro Prussiae plenam potestatem nobiscum concludendi praedicta. Haec autem gratiae vestrae insinuamus, quod si nobiscum vixeritis amicabiliter, magis vobis valemus prodesse, quam prius potuimus, eo quod plures jam habemus amicos nobis adhaerentes. Datum in Cawen, XX die mensis Junii, Anno etc. XXXI°.

(Haec epistola notabilis reperitur in codice C, pag. 299 seq., in archivo ordinis Theutonici, Regimontii Prussorum.)

CXVIII.

Induciae, a Swidrigalo, magno duce Lithuaniae, foederatisque ejus, magistro generali Prussiae, magistro Livoniae et principe Moldaviae, factae cum Wladislao, rege Poloniae, d. 8 Septembris 1431.

Перемиріе, заключенное Свидригайломъ, Великимъ Княземъ Литовскимъ, и его союзниками, Великимъ Магистромъ Прусскимъ, Магистромъ Ливонскимъ и господаремъ Молдавскимъ, съ Королемъ Польскимъ Владиславомъ, подъ Луцкомъ. 8 Сентября 1431 г.

Nos, Boleslaus, aliàs Swidrigal, Dei gratia magnus dux Litwaniae et Russiae etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis. Quomodo, cogitantes ea, quae pacis sunt et non afflictionis, cupientesque bellorum et gwerrarum, sedarum disturbia, strages ac caedes hominum et sanguinis profluvia evitare, ac duras dissentiones, displicentias, rancores et odia inter serenissimum principem Wladislaum, dominum, Dei gratia regem Poloniae etc. fratrem nostrum carissimum, principes, praelatos, barones, proceres et subditos, ac terras et dominia ipsius, et regnum ab una — (*), nosque, principes, barones, boyaros, proceres et subditos nostros, terras, dominia nostra ac magni ducatus Lytwaniae et Russiae, nec non venerabiles dominos, Paulum de Rusdorf, magistrum generalem ordinis Theutonicorum de Prussia, et Czyse de Ruthenberg, magistrum Lyvoniae, totumque ordinem, ac magnificum dominum Alexandrum, woywodum Moldaviae, ipsorumque dominia, terras et subditos, ab altera partibus suscitatas et exortas, per viam amicabilis concordiae complanare et sopire, ac in pacis dulcedine sepeliri, treugas pacis, tranquillitatem et pacem christianicam perfectam, securam et indubitatam fecimus, firmavimus, statuimus, sanximus, ac tenore praesentium firmamus ac facimus inter nos et praesentes praedictos, hinc inde a die datae praesentium usque ad festum Sancti Johannis Baptistae affuturum, et extunc ab eodem festo usque ad spatium et decursum unius anni integri, sive ad aliud festum Sancti Johannis Baptistae proxime tunc sequens duraturas, et in certo et perfecto robore absque irritatione et violatione permansuras,

(*) In apographo: «ac bona.»

sub pactis, conditionibus et clausulis infra scriptis. Videlicet: quod hujusmodi treugis pacis stantibus et durantibus, dominia terrarum Podoliae, nos hinc inde occupata, distracta et possessa, in tali ordine et decissione permanebunt, quod unaquaque pars illa possidebit, tenebit, et habebit, quae a principio occupavit, apprehendit, in suamque possessionem recepit et deduxit. Videlicet: dominus rex, frater noster praedictus, castra, civitates et districtus terris Podoliae pertinentes infra scriptas, scilicet: Camenecz, Smotricz, Szkała, Czirwonigrod cum eorum districtibus, et signanter Holczodanow et Joltuschkow, ad ipsum Kamenecz spectantes, ac villis, possessionibus, ipsorumque introitibus et utilitatibus universis tenebit, habebit et pacifice possidebit. Nosque, magnus dux praedictus, castra, civitates et districtus et terras Podoliae existentes, et ad ipsam pertinentes, et Letyczow signanter, ac oppida, loca, villas, quae modo tenuit occupata ac possessa, cum ipsorum bonorum sive districtuum introitibus et obventionibus universis, quibus etiam interum stantibus treugis pacis praedictis, utraque pars, tam praefatus dominus rex, frater noster, quam nos, quilibet in parte sua utetur libere, pacifice et quiete, absque omni resistentia et impedimento partis alterius. Ex adverso castrum autem Bakota, nec non per praefatum dominum regem etc., neque per capitaneos, et officiales, et subditos, aut per quascunque, per eum et suos, subordinatas personas. Et similiter, ex adverso, neque per nos, neque per capitaneos, et officiales, et subditos nostros, et subordinatas personas reaedificare et reparari nullatenus, treugis pacis praedictis durantibus, poterit, nec debebit. Terrigenae autem servi districtûs castri ejusdem obedientiam et servitia illi parti ex nobis facient et persolvant, cui hactenus adhaeserunt et adhaerent; kmethones vero districtus praedicti Bakotensis libertate gaudebunt et fruentur, usque ad expirationem treugarum praedictarum. Castrum autem Smotricz praedictum licitum erit domino regi praedicto etc. et capitaneis, seu officialibus suis reaedificare et reparare, pro suo beneplacito voluntatis. His itaque treugis pacis durantibus, licitum sit et erit hominibus nostris hinc inde terras et dominia praefatas, tam mercatoribus, quam aliis, cujuscumque status, conditionis, aut eminentiae existant, cum eorum bonis, rebus, mercantiis et quibusvis aliis negotiationibus ire, transire, stare, morari, redire, ac eorum negotia libere, secure, absque impedimento exercere, juxta consuetudinem, a diu observatam. Vtque eisdem treugis pacis pendentibus, ad pacis perpetuae fructum, commodum et perfectionem per partes praedictas, nosque, hinc inde, auctore pacis suffragante, devenire possit et valeat, statuimus et praesentis scripti patrocinio firmamus et promittimus, quod pro tractanda pace perpetua praelati, duces, barones et consiliarii praefati domini regis etc., duodecim in numero, in festo Purificationis Mariae proximo, in loco sive villa Colobicze dicta, cum praelatis et ducibus, baronibus, boyaris et consiliariis nostris et magni ducatus Litwaniae, in pari numero, videlicet duodenario, ad invicem conveniant, similiterque personaliter(conveniant), constituantur infallanter, dilatione ampliori amputata et rejecta. Praefatus autem dominus rex etc. in Parczaw, nos vero in Brescze, illo tunc et pro tempore praedictis, debebimus et volumus personaliter constitui, ut nobis ibi tunc de prope existentibus, barones et consiliarii nostri praedicti, vota nostra requirentes, concordiam et pacem perpetuam inter nos et dominia tam regni Poloniae, quam magni ducatus Lytwaniae, commodius valeant conservare et finire. Casu autem infirmitatis utriusque aut alterius nostrum contingente, propter quod nos in locis prae

dictis, videlicet, Parczaw et Breszcze, interesse personaliter non possumus: istis non obstantibus, barones et consiliarii utriusque nostrum in loco et die praedictis conveniant, et ad omnia, ac si nobis in locis praedictis existentibus et praesentibus, procedant et finem negotiis nihilominus imponant. Qui quidem praelati, duces, barones et consiliarii, ab utraque parte in numero praedicto deputandi, nominandi et super tractatibus pacis perpetuae, ex obligatione mutua, pro judicibus utriusque partis collocandi, antequam ad tractatus aliquos procedant, sacramento juramenti se astringent, et sub fidei et honoris onere pollicebuntur et promittent, quod in tractando pacem et concordiam hujusmodi, favore, odio, timore et spe lucri cujuscumque postposita et semotis, soloque Deo, justitia et bono communi partis utriusque prae oculis habitis, partes praedictas, ipsaque regni et magni ducatus et caetera dominia, juste et libera justitia, mentibus, memoriis et intelligentiis ipsorum diligenter impressa, et oculo interioris hominis sollicite et circumspecte intuita, judicabunt, sententiabunt et judicialiter super amfractibus, injuriis, discordiis et defectibus quibuslibet, tam regni et praefati domini regis, quam nostris et magni ducatus praedictorum, decidant et cognoscant; et signanter super proprietate et jure terrarum dominii Podoliae, cui de jure debeantur in toto, et titulo perpetuae possessionis pertineant et spectent, super eisque sententiam ipsorum pronuntiabunt et proferent, ab utrique nostri(?) emulgare, approbare, confirmare et inviolabiliter observare astringemur, ut debebit. In causa autem, quo in termino et die praedictis, aliquo impedimento interveniente, vel ex certis causis, consensu utriusque partis hoc volentes, duces, praelati, consiliarii praedicti, ad locum et diem conventionis praedictae convenientes, negotia praedicta tunc ad plenum decidere, diffinire et certo termino finire non possent: licitum erit eis ulteriorem terminum pro finiendis negotiis prorogare et differre. Et nihilominus, infra treugarum praedictarum spatium, non de ipsorum potestate et manibus negotia hujusmodi dimittenda, finemque eis praefati judices deputandi tenebuntur, et debebunt, et ipsorum pronuntiationem et sententiam imponere, ipsaque judicialiter finiare (*sic*). Praeterea pollicemur sincera et bona fide, quod Tartaros, nobis in subsidium transeuntes, redire procurabimus et faciemus juxta totum posse; ipsosque et quoscunque alios Tartaros, contra praefatum dominum regem et ejus possessiones, treugis durantibus, non debebimus, nec volumus subordinare, suscitare, seu quovismodo inducere, sub fide et honore nostris. Promittimus igitur, pollicemur et tenore praesentium spondemus verbo nostro ducali, pro nobis, principibus, praelatis, baronibus et subditis nostris, ac Prussiae et Lyvoniae magistris et woywodâ Moldaviae praedictis, ipsorum baronibus, proceribus et subditis, quod praefatas treugas pacis ac conditiones, articulos, capitula et clausulas, superius descriptas, et in eis contenta, sub fide et honore nostris, ac onere juramenti ac fidei catholicae professionis, ac poenis perjurii, fidefragii et labe infamiae ac appropriatate, et quovis jure, terrarum et dominiorum praedictorum firmiter attendere, et inviolabiliter, plene et integre, absque dolo et fraude, et quibusvis ingeniis et coloribus astutiae circumscriptis et semotis, tenere et servare; neque ipsas in aliquo, publice vel occulte, directe vel indirecte, per se vel alium, seu aliquam submissam personam, quovis quaesito colore, ipsi contraire. Ipsique Prussiae et Lyvoniae magistri, ac woywoda Moldaviae, et eorum subditi, ad omnia praedicta attendent similiter, ipsaque irrefragabiliter observabunt. Illo tamen adjecto specialiter et expresso, quod si per aliquem subdi-

tum, indigenam, vel advenam, alicujus nostrum casu et eventu, treugis praedictis foret in aliquo derogatum et contraventum, utpote, ut rapinae, spolia, incendia, vastationes, praedae, vel homicidia, aut aliqua maleficiorum genera, in terris et dominiis nostris, alterutrum fuerint perpetrata et commissa, quod treugae praedictae irritari et cassari non debebunt, sed in suo robore et firmitate nihilominus permanebunt. Praedicti autem delinquentes et maleficatores, pro ipsorum excessibus, per capitaneos et officiales utriusque nostrum judicialiter punientur, et ad satisfactionem plenam et debitam arcebuntur et compellentur. Qui quidem capitanei, officiales et certi barones nostri, pro corrigendis hujusmodi excessibus et delictis, ad certa loca confinii utriusque dominii, tam regni, quam magni ducatus, se annis singulis transferent et descendent (prout ab antiquo fuit tentum et observatum), excessus et crimina hujusmodi judicaturi, correcturi et poenis debitis et congruis punituri; hoc etiam non omisso, quod, si aliquis subditorum nostrorum in flagrante et recenti crimine et excessu deprehensus fuerit, in quocumque loco dominiorum nostrorum, hinc inde fuerit supplicio judicialiter, aut poenae debitae condemnatus et adjectus: quod etiam ex hoc aliqua violatio et irritatio treugarum praedictarum ullatenus sequi debet. Quae etiam de subditis praedictorum foederatorum nostrorum, ipsorumque dominiis et terris, videlicet, Prussiae et Lyvoniae magistrorum, et Moldwani woywodae, intelligi volumus, et sub fori simile ipsos treugis hujusmodi inseri et includi. Quod autem treugarum pacis praedictarum articuli, capitula, puncta, sive clausulae et conditiones, superius descriptae et expressae, et contenta in eis, plene, integre, ac firmiter et inviolabiliter per nos, magnum ducem praedictum, principes, praelatos, barones et subditos nostros, teneantur et serventur, praesentes litteras et contenta in eis.... fecimus sigillis, nostro et principum baronumque nostrorum, quorum nomina inferius describimur, pro nobis se ipsis, ac universis et singulis nostris subditis, hoc ipsum promittentes, sigillorum appensione roborari et muniri, videlicet: illustrissimorum principum, Sigismundi Keystutowicz, Alexandri, aliás Olelconis Wlodimirowicz, Georgi Langwinowicz, Iwani Wlodomirowicz, Semconis Iwanowicz, Iwani Semenowicz, Iwani Putiatae, Wasilii Semenowicz, nec non magnificorum et nobilium: Asticonis castellani, Gedigoldi palatini Wilnensis, Kekzgal capitanei Samaïjti, Jaschkonis Moniwidowicz, Chodkonis Juriowicz, Petrashi Montigerdowicz, Jewlaschkonis Dewinotowicz, Schedebori Wolmuthowicz, Sudimundi Dorgewicz, Andreae Nieworowicz, Montoldi, Montrimi, Georgi Soldowicz, Dewgali vexilliferi Wilnensis, Jageli Gedoroskowicz, Sudwodii Wolmutowicz, Taliati Wygaylowicz, Andreae Sakowicz, Noczkonis Giniwolowicz, Waschkonis Dowonowicz, Jaschkonis Korsakowicz, Nekraschii Butwidowicz.

(E codice C, pag. 310 seq. in archivo Regimontano.)

CXIX.

Induciae, inter Wladislaum, regem Poloniae, ducem Lithuaniae, ducem Masoviae, ducem Stulpensem, Magistrum ordinis St. Johannis Hierosolimitani de Schlieben ex una parte, et P. de Rusdorf, magistrum generalem ordinis Theutonici ex altera, pactae, die 13 Septembris 1433.

Перемиріе, заключенное Королемъ Польскимъ Владиславомъ, владѣтельными Князьями Литовскимъ, Мазовецкимъ и Стольпенскимъ, и Магистромъ Іоаннитскаго ордена фонъ Шлибеномъ и другими, съ Великимъ Магистромъ Павломъ фонъ Русдорфомъ. 13 Сентября 1433 г.

Wladislaus, Dei gratia rex Poloniae etc., una cum praeclaro principe Semovito, eadem gratia duce Mazoviae, nepote nostro carissimo, ac magnificis, strenuis et nobilibus Nicolao de Michalow, castellano Cracoviensi, Sandiwogio de Ostrorog, palatino Poznaniensi, Spitkone de Tarnow Sandomiriensi, Andrea de Domaborz Kalisiensi, Martino de Kalinowa Siradiensi, et Stiborio de Borzislawicza...., Jarando de Grabie Juniwladislaviensi, palatinis; Martino de Slawkow Poznaniensi, Petro de Bnyn Gneznensi, Johanne de Czizow Sandomiriensi, Laurentio Zaremaba de Kalinowa Siradiensi, Petro de Zirmky Kalisiensi, Dobeslao de Syenno Lublinensi, castellanis, et Johanne Glowacz de Oleschnicza, regni Poloniae marschalco. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis: quomodo pensantes ex intimis, quanta ex bellorum turbinibus et guerrarum amfractibus animarum discrimina, christiani nominis ignominiosa, ac execrabilia scandala, divini cultus detrimenta et horrendae calamitates imminere (proh dolor!) consueverunt; quodque pace nihil dulcius, nihil desiderabilius cunctis hominibus, quam Salvator noster sua sanctissima praedicatione edocuit, et ascendens in coelum, pacis haereditatem nobis memoriale sempiternum reliquit: ea propter bella, guerras, odia, infamationes et mala omnia, quae dudum inter nos et praeclaros principes, Sigismundum, magnum ducem Littuaniae, Samagitiae et terrarum duces Mazoviae, et Boguslaum, ducem Stulpensem, ac venerabilem dominum Balthasar de Slewen, magistrum ordinis Sancti Johannis Jerosolymitani de Lagow, nec non magnificum Elyam, woyewodum Moldaviensem, majoris Walachiae, ac strenuos, ac nobiles de Wedel, Thuczno et Falkenberg, omagiales nostros, nec non (*cum*) terris, dominiis, ac omnibus et singulis omagialibus, subditis et coadjutoribus nostris ex vna, — et venerabilem ac honorabiles religiososque viros, fratres, dominum Paulum de Rusdorf, magistrum generalem, Eberhardum de Szanshcym, Almanniae, et Czizo de Ruthenberg, Lyvoniae, magistros ordinis Beatae Mariae Theutonicorum Jerosolymitani, ac totum ordinem; nec non illustrem principem, dominum Boleslaum, alias Swidrigelum, ducem Littuaniae, ac terras, dominia, omnesque omagiales, subditos et coadhaerentes ipsorum, partibus ex altera, inhumaniter viguerunt, — amputare, et pacis ubertate gaudere, intentis desideriis cupientes cum praefatis, magistro generali Almaniae et Lyvoniae, magistris ordinis Theutonicorum, ac illustri principe, Littuaniae duce, Swidrigello, nec non toto ordine, omnibusque subditis et coadhaerentibus, treugas pacis christianicas, fideles et stabiles inivimus, fecimus, et praesentibus assumimus ad festum Nativitatis Domini proxime venturum. Quas quidem treugas pacis promittimus, in verbo nostro regio et bona fide, ad praefixum terminum, vna cum omnibus

nostris, superius descriptis, tenere et servare inviolabiliter et absque dolo, juxta continentiam articulorum infra scriptorum. Inprimis, ex quo praesentes treugae ideo sunt initae, quod ipsis durantibus, sine dolo et fraude, debeat ad tractandum de pace perpetua attentari: inter nos praeclarosque principes, Sigismundum, magnum ducem Littuaniae, omnesque alios coadjutores et adhaerentes nostros, superius descriptos, ex una, — nec non venerabilem dominum P. de Rusdorf, magistrum generalem, et totum ordinem, omnesque adhaerentes et coadjutores ipsius, parte ex altera; ad quam conficiendam, consiliarios nostros, praelatos et barones, ad festum Sancti Andreae Apostoli, proxime nunc venturum, in civitatem nostram Brescensem, Wladislaviensis dioecesis, promittimus transmittere cum plenaria potestate. Simili modo magister et ordo suos certos consiliarios, ad diem et locum praescriptos, cum pleno mandato et potestate omnimoda, transmittere sint astricti: quibus de salvo securoque conductu illo tunc curabimus providere. Item captivi, nobiles et civitatenses, ad cautionem fidejussoriam manumitti debent ex utraque parte (pro quibus placuerit partibus hinc inde providere et fidejubere, usque ad festum Nativitatis Domini proximum), tum hi, qui in hac guerra ultima capti sunt, et quos in nostra tenemus potestate; kmethones autem et alii pauperes, qui similiter sunt detenti, qui non habent se de proprio liberare, unus pro alio dari debent. Quae autem partium harum plures habuerit, et altera pars suos subditos rehabere voluerit: quemlibet dictorum pauperum, pro duobus florenis Ungaricalibus licitum erit parti volenti liberare. Item omnes maleficatores, de regno nostro ad Prussiam, ad terras ordinis confugientes, pars offensa si fuerit insecuta quovis modo, judex vel praeceptor loci, sine omni difficultate, indilate justitiam debet ministrare. Et propter hujusmodi maleficia, per aliquem commissa, treugae subscriptae in nulla ipsarum parte debent violari. Item omnia castra, oppida, civitates in Nova Marchia, per nostros nunc expugnata et possessa, et quae omagium nobis praestarunt, possidere debemus, stantibus treugis subscriptis, et quovis modo non debent fortificari aut muniri parte ab utraque. Incolae autem, in dictis civitatibus habitare volentes, licitum sit eis, sine cujuslibet partis defensione, domicilia aedificare. Item quaelibet partium insinuare debet coadjutoribus suis has treugas pacis, quanto citius poterit et signanter, praeclaro principi, domino Sigismundo, magno duci Littuaniae, in quatuor septimanis, si fuerit in partibus Littuaniae; si vero fuerit in partibus Russiae, extunc in quinque septimanis; ad metas vero Novae Marchiae Stolpensis et Littuaniae, in octo diebus, a data praesentium computando. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum et baronum nostrorum praesentibus sunt appensa. Actum et datum dominico die proximo ante festum Exaltationis Sanctae Crucis, in statione campestri exercituali, ante castrum Jessenicz. Anno Domini M°CCCC°XXXIII°. Quam quidem litteram treugarum pacis, sub articulis, punctis, clausulis et expressionibus, prout superius latius sunt descriptae, promittimus praescripti consiliarii domini regis Poloniae, bona fide, absque dolo et fraude, sanam et integram de verbo ad verbum, dare et reponere, feria quinta proxima, in castro Nyeschaviensi. In robur et firmitatem hujus sigilla nostra praesentibus sunt appensa. Datum die, loco, anno quibus supra.

(E codice C, pag. 365. in archivo ordinis, Regimontii Prussorum.)

CXX.

Instruction für Ludwig von Sanssheim, Gesandten an den Römischen König und Kaiser (Maximilian), um demselben das beste Mittel anzuzeigen, den Orden und besonders Liefland zum Widerstande gegen die Russen geschickt zu machen, und seine nachdrückliche Mitwirkung zu diesem Zweck nachzusuchen. Ohne Datum. (wahrscheinlich 1498).

Инструкція Людвигу фонъ Зансгейму, отправленному посланникомъ къ Римскому Королю и Императору (Максимиліану), для испрошенія содѣйствія ордену въ предстоящей войнѣ съ Русскими. (Вѣроятно, въ 1498 г.).

Nach vnderteniger Zuempietung, dise Werbung zu thun:

Instruction für den Abgeordneten des Hohemeisters an den Meister in Liefland (Hauskomthur zu Königsberg, Michael von Drahe) um zur Kriegsrüstung gegen Polen Geld und Proviant zu begehren, auch sich der freien und schnellen Communication mit Russland zu versichern. Den 11. May 1520.

Инструкція посланному отъ Великаго Магистра къ Магистру Ливонскому (Кёнигсбергскому Командору Михаилу фонъ Драге) на истребованіе денегъ и провіанта къ войнѣ противъ Польши, и на обезпеченіе свободнаго и скораго сообщенія съ Россіею. 11 Маія 1520 года.

Nach gewonnlicher Zuembiettung etc. soll Her Michell von Drahe meinem gnedigen Herren von Eifflant eroffnenn vnnd anzaigen, das mein genedigister Her der Hohemaister inn kainen Zweifell setzt, er, der vonn Eifflandt, het numer vonn iren Secretarien, Ludwigenn Gratzaw, angehort vnnd eingenomen, was im m. g. H. der Hohemaister vff solich sein Anbringenn, zu Brandenburgk gescheen, für Antwort gegeben. Dieweyl nu inn solicher Antwort vonn Artigkeln zu Artigkeln zu uernemen, warauf mein genedigester Her der Hohemaister berut nicht weitter oder hoher erclerenn, dann wie ain ydes an im selbst; dieweyl aber ye sein f. G. diese Hilff vnd Sachenn nicht hoher ader weitter bringenn mogenn, die doch nicht anderst dann gemainem ritterlichenn Teutschenn Ordenn, auch den Landen Leifflannd zu Gutem angestalt vnd furgenomen: so mussenn sein f. G. dasjhenig wie bewilligt, wiewol sich die gehorsamen Glider inn Eifflanndt bas zu bedencken hetten, seins Worts pleibenn lassenn; vnnd so es ye nicht besser wil werdenn, zu Got vnd seiner Gebererin, der diese Sach mitgegeben vnd anhengig vertrauen, sein f. G. vnd seinen Ordenn in solichenn Furnemenn nicht zu uerlassenn; sonder dasjhenig also anhebenn vnd mit der Hilff Gots vollenden, domit gemainen ritterlichenn Teutschenn Ordenn Rumb, Nutz, Er vnd Lob daraus entsteen vnnd erwachssenn soll. Damit aber mein g. H. vonn Eifflandt weitter vorstendigt werdt, worauff entlich m. g. H. des Hohemeisters Gemut inn diesenn seiner Gnadenn Sachenn berut, so wil mein genedigister Her der Hohemaister dem vonn Eifflanndt nicht bergenn, vnd wil sich nicht anderst versehenn, dann so sich Littauen in ainiche Entborung wider den Ordenn begebenn wolt. Es werdenn m. g. H. vonn Eifflanndt bedenn-

ckenn, was sie dem Orden pflichtig, vnd sich nicht vberredenn lassenn, wo man sie oder gemainen Ordenn beschedigt, das sie Frid zu haltenn schuldig.

Die Reussen betreffennt, ist nicht weniger m. g. H. der Hohemaister allewegen gerenn gewolt het, das nymants Frembdts des Ordenns Landts Gelegenheit vorstenndigt wurdt. Dieweyl aber der Muschkawitter dieser Zeyt zu dieser Expedicion, mer dann ymants anderst, helfenn thet, wie auch mit der Warheyt vnnd zum Augenschein soll befundenn werdenn, hat m. g. H. der Hohemaister nicht mogen vnderlassenn, Botschafften hin vnd wider zu schickenn vnnd zu sich zu nemenn, die des Ordenns Lanndt inn Eifflanndt nicht habenn vmbgeen mogenn. Derwegenn m g. H. der Hohemaister synnen vnnd begerenn thut, wie hieuor allewegen gescheen, mein g. H. vonn Eifflandt wollen sich nichts beschwerenn lassenn, Botschafftenn, weliche auss der Muschka gefertigt werdenn, zu passiren lassenn vnnd furter an sein furstlich Gnad zu bringen: dieweyl numer am Muschkawitter vil gelegen sein, dan vormalss, auch derselbig zum Fridt vnnd nicht zum Krigk in Eifflanndt genaigt; dann er sich am Jungstenn hat horenn lassenn, so der Frid an ime gesucht, wol er denselbigen zu erstrecken oder zu beschliessen nicht abschlagenn.

So nu mein genedigster Her seinen Krigk auss betrenngklicher Not vnnd auss kainem Mutwillen anfahenn muss, dann sich das Gegentayl von allen Seyttenn thut versameln, in Maynung sein furstlich Gnad zu vbereylenn; so habenn sein f. G. beschlossenn vnnd furgesatzt: vffserst, seinenn f. Gnadenn moglich inns Feldt zu zyhenn vnnd sein Veindt zu suchenn, darzu der Almechtig wol Gluck vnnd Hayll gebenn; darauff mein genedigster Her der Hohemaister meinen genedigenn Herrenn vonn Eifflanndt alss ainen Gehorsamenn des Ordens vnd Brudern wil angesonnenn habenn, seins Ordens Lanndt, die Leifflanndt vnnd wo es not, inn gutem Beuelich vnnd Acht zu habenn, vnnd alss die Notdurfft erfordert ains Kriegs wider Littauenn, so sich dieselbigenn dieser Sach wider denn Ordenn annemenn wurdenn; des sich doch sein f. G. nicht versehenn wollenn, wie m. g. H. vonn Eifflanndt solichs auss gutem Verstannd bey sich selbst vonn Nottenn zu sein ermessen werdenn.

Dieweyl nu mein genediger Her vonn Eifflanndt, auss ytzt erzeltenn Vrsachenn, angehort, auss was betrenngklicher Not mein genedigister Her der Hohemaister seinen Krigk zeittigenn muss, wollen sein f. G. hiemit genedigklich gesonnen vnd begert habenn, mein genediger Her vonn Eifflanndt wolten ime, dem Botschaffter, die Helfft der hundert tausent Hornguldenn yzundt vberantworten vnnd mitgebenn lassenn; auch die Helfft der Profiannt, vff Petri vnnd Pauli, nach der Mymell ader gein der Balge inn der baider Tieff ains verordnenn vnnd bestellenn; vnnd sonderlich die hundert Ronen yzunndt auch mit ime, dem Botschaffter, herauss verfertigen, vnnd die ander Helfft des Gelts vnd Profiant, so mein genedigister Her der Hohemaister vber die Weichsell zyhenn wurdt, auch ordnenn vnd vberschickenn. Vnnd wiewol der Profiant der Sehe halbenn nicht zu uertrauen, sonnder hierinn was misslich vnd geuerlich, das man nicht allewegenn zu ainer bestimbten Zeyt an denen Ortenn, do man gerenn wer, komen kan; so wil mein genedigister Her der Hohemaister, dieser Vrsach halbenn, auch gesonnen vnd begert habenn, die ganntz Somma der Profiant vff ainmal, vff genente Zeyt Petri vnnd Pauli, nach der Mymell oder Balge inn der baider Thieff ains zu uerschaffenn; domit sich sein f. G. dester bass inn diese Sachenn zu schicken het. Wie dann

mein g. H. der Hohemaister ganntz kainen Zweifell in mein g. H. vonn Eifflannt vnd die Gebiettiger setzenn thut, sein f. G. inn dem vnnd merern nicht zu uerlassenn: das wollenn sein f. G., alss derjhenig, der ye seins Ordenns Bestes gerenn ertrachten wolt, vmb mein genedigenn Hern vonn Eifflant vnd die Glieder vnnd Stendt desselbigen Ordenns, inn allem Gutem, zu uergleichen vnnd zu beschuldenn, auch in Gnadenn zu erkennen in kain Vergessenn stellenn.

Es zweifelt auch mein genedigster Her der Hohemaister nicht, mein genediger Her vonn Eifflandt werdt sich mit der Hilff der hundert Pferdt mit den Ordenns-Herrenn der Gebur wol wissen zu halten.

Es soll auch der Botschaffter an mein g. H. vonn Eifflant gelangen lassen, nachdem ime m. g. H. der Hohemaister bey nechster Bost geschrieben, die Post zwischen der Reussischen Grenitz vnd Eifflandt bits gein der Mymel, in acht Tagen, die Brieff hin vnd wider zu vberantworten, zu bestellen. Dieweyl nu an solicher Post nicht wenig wil gelegen sein, dan teglichs numer Brieff vff vnd ab verfertigt mussen werden, wil mein g. H. nochmolss gesonnen vnd begert haben, dieses Thons kain Beschwerung tragenn, sondern die Post also vffs erst vnnd furderlichts ordnenn vnd bestellen lassen; auch was für Brieff ankomen, seinen Gnaden eylents vberschickenn.

Vnnd ob dem Botschaffter bejegenen wurde, das mein genedigister Her von Eifflant in solichem Synnen vnd Begeren andre Wege furzunemen gedechtenn, alss wenn mein genedigister Her der Hohemaister im Feldt, alssdann das Gelt zu schickenn, mag zum Gegenwurff geantwort werdenn: Dieweyl die Hilff auss Eifflant mit Gelt vnnd nicht mit Leutten geschee, wer Not, das m. g. H. das Gelt zeytlich inn der Handt het, domit sein f. G. die Dienstleut dester zeitlicher regig machen kont. Vnd ob die Eifflender vff der Bann ligenn woltenn, sie weren gesint ain Bezaler mitzuschickenn, der die Leut besoldenn solt, wer nicht not, meinem g. H. ainich Regiment zustellen; so doch sein f. G. ain ainmuttige Regirung in allenn seiner Gnaden Ordens Sachenn, seinem Orden zum Bestenn, furnemb.

Item mit Bastiann vonn der Linden vnd Jorgen Sack zu handeln vnd andern, die Pferdt zu uerkauffenn habenn, das sie m. g. H. ain zehen Pferdt herauss bringen wolten; die wolt m. g. H. besehenn vnd alssdan bezolenn.

Item Maister Jacobenn, dem alten Buchssenmaister, vnd Heinrichen vonn Swichell, dem Buchssengisser, anzusagen, das sie sich vffs furderlichs zu m. g. G. begeben wolten.

(Ab originali conceptu in archivo secretiori, Regimontii Prussorum.)

CLVII.

Georg von Klingenbeck, Gesandter an den Grossfürsten in Moskau, klaget dem Hohemeister, wie schlecht es ihm in Pleskau ergehe. Den 12. August 1520.

Жалоба Великому Магистру Георга фонъ Клингенбека, посланнаго къ Великому Князю Московскому, на дурное обхожденіе съ нимъ во Псковѣ. 12 Августа 1520 г.

Hochwirdigster, durchleuchter, hochgeborner Furst, genedigster Herr. E. f. G. sein mein vntherthenig Gehorsam vnd gantz gevlissen willig Dinst in albeg zuuorn. Fug auch E. f. G. wissent, wie das ich vf an Donerstag Sand Margarithen-Abent, vs der Muska, sambt Kay^r Ma^t Geschickten Athanasio Moclocog, alher gein Plessko zu raysen abgeuertiget, vnd alhie Dinstags Sand Jacobs Abent ankomen, mich verhoffet, gemelter Geschickter soll mir des andern Tags alher geuolget haben; welicher aber erst Mitwochen spät vincula Petri ankomen. Ich hab auch abschidlich in der Muska vil angehalten, dieweil Kay^e Ma^t den Steffan, aus aigener Bewegung vnd nich meinem Anhalten, von mir gefertiget, damit doch vfs wenigst dem Potschafter oder mir ein Tolka, ob vns vnderwegen was zuestunde, der Handlung gemess, zu reden zuefiele, verschaffen; weliches aber in der Musca abgeschlagen vnd versagt. Ich hab auch, alspald ich hieher zu Plessko gekomen, stetes vmb ainen gebeten vnd angehalten, damit, so mir was zuestünde, denselben zu den Herrn hin vnd her wider hette zu gebrauchen: das mir aber stetes vfgezogen. Summarie so bestimbter Geschickter alhie ankomen, hab ich ine erstlich anzaigen lassen, ich hette vil mit ime zu reden, dy Handlung Kay. Ma^t vnd E. f. G. berurent: derhalb mein Bethe bey den Herrn vmb ainen Tolka zu bestehen etc., welches er mir zugesagt, aber stetes, bis vf an Dinstag nac Oswaldi, vfgezogen. Dann sy wollen meinen Jungen kaineswegs versten, wo ich was reden lasse, daruf sy antworten sollen. Also hab ich so uil und nicht mer bey dem Athanasyo erfragen kund, das er alhie vnd dasjhenig, so ine Kay. Ma^t abgefertiget, alles bey ime hab: welchs E. f. G. aus vorigem meinem Schreyben derselben bey Steffan zu gethan nachlengs vernomen; vnd so dyjhenen alhie ankomen, er die mit den Augen ersehe, wulle er sich mit mir erheben den nechsten E. f. G. sambt dem Gelde zuzeraysen. Ich hab ime auch erzelt, was mir E. f. G. bey Kay. Mat. auszerichten zugeschrieben, — welichs Schreyben Freitags post Visitationis Mariae zu Königsperg vsgangen, wie mir derselben Brif verfurt, vnd in der Musca vfgebrochen, dy mir auch erst Sontags spat post Steffani Invencionis alhie geliuert, — vnd gebeten, mir nicht zu uerhalten was ime Kay. Ma^t daruf geschriben. Dan so wir bed vs der Musca geraist, sey Kay. M^t nicht anders bericht gewest, dan das E. f.

G. noch bey Kon. Irl. sey. So sich aber die Handlung verendert, so verhof ich sein erster Beuelich solle sich auch anders streckhen, ime so uil mir muglich erzelen lassen. Daruf sein Antwort: ime were kein Schreyben der Handlung halben nicht zuekomen; allein dem ersten Beuelch nach, ine von Kay. Maᵗ. gegeben, must er sich halten. Kan auch wol versten, das sich dy Handlung schwerlich anders andern wirdet, wie ich dan E. f. G., im ersten meinem Schreyben zu erkennen geben; dann dy Leut steckchen voller Argwonss: es ist nicht moglich, das man den Ochsen in ainen Trab bringen kan. Derhalben wollen E. f. G. nicht zeumben, mir ins erste, wes ich mich verrer halden solle, zuzuschreyben. Ich hab auch erfaren, das derzeit vnd ich alhir gelegen anders Brif von E. f. G. alhie ankomen, dy auch in dy Musca geschickt. Es ist aber nicht moglich, das ich dy, so mir zuesteen, dauon krigen kunde; dann sie mussen vorhin in der Musca vfgebrochen vnd verlesen werden. Wann mir die zukomen, kann ich nicht wissen. Mir hat jungst Steffan, von Plesko aus, bey seinem Prestabel, Johan Carlano Bruder, ainen Brif zugeschriben, darin nichts sonders; noch must mir derhalb zu Naugarten vfgebrochen werden. Ich hab mein Leben lang dergleichen Manir nicht erfarn, wie alhir gemein ist. Genedigister Fürst vnd Herr, ich hab auch E. f. G. vil zu schreyben, wie spotlich mirs alhie zuestet. Ich lieg in einem Munichs Hoff vnd seint nicht mer als zwen teutsch Kaufgesellen alhier; noch muss kainer zu mir geen. Got hab Lob, ich leb wie ein gefangen Man vnd wie ein Claussner. Got geb, das sichs Wether verklare, alsost ader wem ichs klag, dy sagen mir, es sey inen nicht verpoten, — vnd kan doch kainen zu mir bringen; dann es ist vber in den Gassen bestelt: wo sy ir ainer der Teutschen sehen lest, lauffen all Pauern vnd Burger vss den Heusern mit Prugeln zue vnd weren; darumb kan ich mich nicht besynnen, wem solichs gleich sieht. Ich hab niemant von mir zu den Herrn zu schicken; den ich hette, den wollens nicht versten. Dauon ich noch E. f. G. vil ze schreyben hette, weliches ich aber Leng halben vnderlass, Got vnd der Zeit bevelhen muss. Wiewol mich meiner Person halben soliches nicht sere muet, allein der Hon, Spot vnd Nachtheil, so E. f. G. daraus erstet, das ich auch mit dem oder andern E. Gn. Sachen nicht gantz, wiewol von nöthen, ausrichten kann, verhindert wirde; weliches Alles ich E. f. G., der ich mich auch hiemit vntherthenigs, demutigs, dinstlichs vnd hochs Vleis beuelhen thue, gehorsamer schuldiger Maynung nicht bergen wolte; dann E. f. G. wollen mich nicht verlassen, wie ich dan kain Zweifel in dieselb nicht setze. Datum in Eyl zu Plesko, Dinstags post Oswaldi, anno 20.

E. f. G.

vnthertheniger vnd gehorsamer Diner

J. Klingenbekh.

Hochwirdigister, durchleuchter, hochgeborner Furst, genedigister Herr. Mein vntherthenig, diemutig, sonder Gevlissen, gantz willig gehorsam Dinst in albeg zuuorn. Genedigister Furst vnd Herr. Ich hab E. f. G. Brif, so dieselb kurtzuerruckhter Tage zu zweyen Malen der Kay. Maᵗ daneben mir zugefertigt, vntherheniger Weyse, wie sich des ze thun geburt, zu Handen genomen; fug aber E. f. G. zu wissen, das mir dy ersten, so Freitags post Visitationis Mariae zu

Konigsperg ausgangen, allererst Sontags spat nach Steffani Invencionis, vnd dye, so Sontags nach Margarithe zu Konigsperg abgeuertiget, Sontags post Laurentij zu Plesko geantwort sein worden. Dann dieselben vorhin in die Musca gefurt vnd vfgebrochen: solicher Gestalt sy mir auch zu Handen komen; wiewol mir dann dieselben Brif alhie vnd zwischen der Musca zuzekomen durch mein Prestabel angesagt, vnd ich alzeit gesagt; ich wisse warlich vnd gewisslich Brif dabey zu haben, das mir aber vs dem Lichte in dy Vinster gewant. Nachdem ich dann am Abent Margarithae spat vs der Musca, sambt Kay. Ma^t^ Geschickten Athanasio Moclocog, von Kay. Ma^t^ oder derselben Rethen alher gein Plesko ze reysen abgeuertiget, vnd aldo am Abent Sancti Jacobi ankomen; so hab ich dem oder andern E. f. G. Beuelich layder nicht nachleben konnen, wie dieselb E. f. G. vss angesehener Vrsach zu erkennen. Ich hab auch in der Musca, nach vil geubter Muhe, kainen andern Trost oder Abschiede erlangen mogen, dann mit genantem Potschafter alher sambt der Erfullung der ersten Summa, wie E. f. G. bewust, ze raysen, vnd der beder Pothen so aldaussen bey E. f. G. alhie Ankunft zu erwarthen; also so dieselben der Athanasij mit Augen ansehe, alsdann sich mit mir sambt der ersten Hulf vnd Erfullung Summa zu erheben, E. f. G. den nechsten ze suchen. Ich hab auch durch den so mir an heut dato von dem Herrn alhie dy Brif gelifert vermerckht, wie das der Kayser aller Rewsen E. f. G. hir uf angezeigte Schreyben denselben Antwort vnd Gemut schriftlichen entdeckhet; kan derhalben nicht wissen, wes daselbig Schreyben fur Frucht bey sich hat. Allain das ich sorg, es sey das alt (Ach hulf mich Layd) etc.; aus welichem aber vngezweifelt E. f. G. den Grundt versten werden. Es geth leyder langsam zue. Ich besorg mich vfs hochst, das E. f. G., durch solichen langharrigen Verzug, vnd auch der Kaiser aller Rewssen in Merem vnuberwintlichen Schaden, Hon vnd Spot gefurt werden, welichem doch sein Kay. Ma^t^ leichtlich vorkomen; das vngezweifelt seiner Kay. Ma^t^ noch zukunftigen Tagen zu Rew komen mochte, das sich dieselb so lang in der Handlung vnd Sachen lassen vfziehen. Welicher Verzug, auch meines Achtens, aus nichts anderm darfleust, dann zu besorgen, das sich Kay. Ma^t^ fremb, vngegrundt, valsch vnd betriglich Kuntschaften, so von E. f. G. vnd Kay. Ma^t^ Widersachern vnd Veinden herkomen, sere verfuren lest. Weliche Poss, Lyst vnd Einfurung Seiner Ma^t^ vnd E. f. G. Puntnuss vnd Handlung zu entgehen oder zue Hinderung am meysten bey dem Gegentayl gedacht vnnd betracht werden; dann vngezweifelt so dieselben dauon soliche Kuntschaft vnd Verhinderung herfleust.

Ich schrib auch E. f. G. gern new Zeitung, wie es Kay. Ma^t^ Volkh in Lythawen zuestet: so kann ich alhie nichts erfaren. Ich wils aber dahin setzen, wo dasselb Krigsuolkh was Ernstlichs oder Fruchtpars oder Nachtayligs gegen ainander furnemen oder vsrichten theten, es were alhie vnuerporgen, sonder lantmerig genug sein.

Genedigister Furst vnd Herr. Ich hab mein Leben lang an allen Orten, so uerrn ich gewandert, auch von Andern, so uil weiter gezogen, erhort, das frembde Brif vfgebrechen vnd gelesen vfs hochst verboten sein solle; weliches meines Versehens alhie nicht ist. Vnd het mir numer gedacht, das solichs alhie so gemein were gewest; yedoch ye weiter ainer wandert, ye mer sieht vnd erlernt er.

Wie ich alhie vnd vnderwegen der Musca here ze raysen gehalden, dauon hett ich E. f.

G. vil ze schreyben, weliches ich der Leng halben erlassen, yedoch Got vnd der Zeit beuelhen thue. Aintweders ich bin halb gepunden vnd gefangen, oder ich wirde fur ainen Cleussner geacht; dann es sein nicht mer als zwenn teutschs Kaufgesellen alhie, noch mussen mich dieselben nicht besuchen. Wiewol ich den Herrn in dem vnd andern kain Schuld zuemessen, dann vngezweifeld dy Verstendigen wurden E. f. G. den Hon vnd Spot, darinn ich anstat vnd von Wegen E. f. G. alhie liege, nicht gonne. Auch bin ich gentzlicher Hofnung, der Kayser aller Rewsen werde solches nicht beuolhen, auch gar klein Gefallen haben, so anders sein Kay. Ma[t] das oder grundes Bericht, als ob Got wil beschehen soll. Dann ich von seiner Kay. Ma[t] gar vil erlicher vnd pass gehalden, wenn alhie beschicht. Aber solichem geb ich nicht anders Schuld, dann das ich etwo Vorbitter bey den Herrn habe, dy mich verreterlich vnd dieblich bey inen dargeben: villeicht vmb des willen, das ich ir einem oder merern ire pose, betrigliche Stuckh mit mir zu gebrauchen nicht gestatten hab wollen; oder wer weyss, wannen das herfleuss. Allein ich hab keinen Tolken bey mir, den ich yeweilen in meiner Notturft zu den Herrn schickhet; das ist der meyst Veel. Ich hab auch bishero meiner Ankunft alhir keinen Tolken bekommen konnen, weder der Kayserliche Botschafter Athanasy, noch ich, als mir durch inen zu erkennen geben wirdt, damit wir vns bede der Handlung oder Schickhung zu gut vnd nach der Notturft bereden mochten. Deshalben wollen E. f. G. keinsweges erlassen, mich ins aller erst mit einem verstendidigen Tolmetschen zu uersorgen, damit doch E. f. G. vnd mein Beswerung destatlicher mochten vsgericht werden. Welicher ich, für mein Person, kleine Befrembdung tragen wolt; allein der Nachteyl, so daraus eruolget, wirdt E. f. G. zugemessen. Solichs alles vnd yedes wolt ich E. f. G., der ich mich auch hiemit vnterthenigs, dinstlichs, demutigs Vleiş beuelhen thue, sich dieselb dest pas darnach haben in albeg zu richten, schuldiger Pflicht vnd gehorsamer Weise nicht bergen. Datum in Eyl zu Plesko, Sontags post Laurentij, anno etc. vicesimo.

E. f. G.
vnthertheniger vnd gehorsamer Diner
Jorg Klingenbekh.

(Duo scripta originalia, quae in archivo secreto, Regimontii Prussorum, conservantur.)

CLVIII et CLIX.

1) Empfehlungs-Schreiben für den nach Moskau abgeschickten Albrecht von Schlieben. Den 2. December 1520.

1) Рекомендательное письмо объ Альбрехтѣ фонъ Шлибенѣ, посланномъ въ Москву. 2 Декабря 1520 г.

Wir haben gegenwertigen vnsern Rath vnd lieben andechtigen, den wirdigen vnd geistlichen Herrn Albrechten von Schlieben inn die Musca an den Keyser aller Reussen abgefertigt. Dieweil dan denselbigen zu solchem seinem Zug E. L. Hulff notdürftig sein wirt, ist vnser freuntlich Bieth, E. L. wollen den gemelten Herrn Albrechten von Schlieben, vff sein Ansuchen, fürderlich vnd hulfflich erscheinen lassen, damit er desto eylender hin vnd widder komen mag; sich auch in der andern Sach, darumb wir den Voigt von Rauschka zu E. L. gefertigt, — wie disser Herr Albrecht E. L. auch biethen vnnd ansuchen wirt, dem E. L., als vns selbst, auff dismal Glauben geben wolten, — freuntlich vnd gutwillig erzeigen. Wie wir vns dann vor allen andern höchlich zu E. L. vertrösten thun, das wollen wir vmb dieselb E. L. mit Willen freuntlich beschulden vnd vergleichen. Gegeben am Sontag nach Andreä, anno 1520.

---

2) Bittschreiben an den Meister in Liefland, die Schiffe, womit Sigmund von Sicha aus Dänemark angekommen, nicht absegeln zu lassen, auch das eigene Schiff des von Sicha zu Pernau mit Getreide beladen zu lassen, und an den Hohemeister abzuschicken. Den 15. December 1520.

2) Просьба Ливонскому Магистру о недозволеніи кораблямъ, на которыхъ прибылъ изъ Даніи Сигизмундъ фонъ Зиха, отплывать изъ гавани, и о нагрузкѣ хлѣбомъ находящагося въ Перновѣ собственнаго судна фонъ Зиха. 15 Декабря 1520 г.

Wir haben an dem gestrengen vnserm Hauptman vnd lieben getreuen Sigmunth von Sicha etc. angehort, was ime E. L. fur gutte Furderung gepfflogen, welchs wir vns hiemit gegen E. L. freuntlich thun bedancken. Nachdem vns aber der gemelt von Sicha, vnder Anderm, angezceigt, das vns konigliche Irleuchtigkeit von Denmarcken zugelassen, dieselbigen Schieff vffgehalten werden vnd mit nichten ablauffen, dan wir noch etliche Zusprüch zu denselbigen haben; dessgleichen so biethen wir E. L., nachdem der von Sicha ein eigen Schieff ime

zustendig inn E. L. Gewarsam zu Riga gelassen, Dieselb wollen vns so viel zu Willen sein, vnd dasselbig Schiff mit dem Getreid zu Bernaw beladen lassen, vnd vns dasselbig, vff vnser Costen, mit Steur vnd Possleuten zufertigen, vnd vns je diese vnser Bieth nicht abschlagen. Das wollen wir mit Willen gantz freuntlich beschulden vnd vergleichen. Wir wissen auch E. L. nicht zu bergen, das wir mit vnserm Volck heute dato für Heilsperg ankomen, dasselbig berennet; hoffen, Got der Allmechtig werde vns hülfflich erscheinen, das wir dasselbig erobern: dann die Polen bey tausent stark darinn liegen. Gegeben in vnserm Feltlager vor Heilsperg am Sonnabent nach Luciae, anno 1520.

(E registrandis sub litt. R. annorum 1520 — 1524 in archivo secretiori, Regimontii Prussorum.)

APPENDIX.

G) ДОПОЛНЕНІЕ КЪ БУМАГАМЪ АНТОНІЯ ПОССЕВИНА, ИЗЪ ВАТИКАНСКАГО АРХИВА.

CLX.

Literae Antonii Possevini ad regem Poloniae Stephanum Batorium, de adventu suo in Mosquam. D. 18 Februarii, an. 1582.

Письмо Антонія Поссевина къ Польскому Королю Стефану Баторію, о прибытіи въ Москву. 18 Февраля 1582 г.

Serenissime Rex.

Ex literis iis, quas hodie Magnifico Domino Cancellario scripsi, Majestas Vestra intelliget, quid post adventum huc meum, qui Deo miserante ante triduum fuit, actum sit cum Magno hoc Domino, quo salutato Vestrae Majestatis nomine, eoque cum universo procerum consessu ad Vestrae Majestatis nomen assurgente, a meque de ipsius valetudine quaerente, ejus animum sic ad pacem sincere servandam esse propensum audivi, ut et hodie mandaverit mihi significari, velle se, ut verbum suum omnino in rem conferatur, etiamsi sanctum Crucis osculum non fuisset interpositum. Itaque et de tradendis tormentis, quae Ostroviae erant, ac de suis puniendis, qui aliquid commeruissent, certum nobilem ire Plescoviam magnis itineribus jussit, una cum iis litteris, quarum exemplum Magnifico Domino Cancellario mitto. Ex quibus ut Vestra Majestas integram Magni hujus Domini fidem cognoscet, ita Majestatem Vestram, quam possum, demisse rogo, ut paribus officiis, vel in continendis in officio militibus suis ac rebus injuste post pacem coeptis, si quid ejusmodi accidisset, vel in dimittendis captivis, cum ad id venietur, non sinat se vinci. Ego,

Deo adjuvante, cum norim astutias satanae, qui tantam pacem iniquissimo animo ferat, non desistam, omni conatu, quaecunque interciderint amovere, ut ea et coalescat, et ad utriusque amplitudinem amplificandam in Dei gloriam quam diutissime servetur. Vestrae interim Majestati uberrima e coelis dona gratiae atque salutis precor ex animo. Moscoviae, die xviii Februarii, 1582.

Serenissimae Majestatis Vestrae Regiae perpetuus in Christo servitor, Ant. Possevinus.

Ex autographis literis P. Ant. Possevini, quae adservantur in collectione autographorum Bibliothecae Imperialis Publicae, № 200. In aversa folii parte legitur: Sacrae ac Serenissimae Regiae Majestati etc. etc. etc. Domino Domino suo in Christo clementissimo.

CLXI.

Literae Antonii Possevini ad Supremum regni Poloniae Cancellarium et Capitaneum generalem Joannem Zamojscium, de iis, quae post adventum legati in Mosquam evenerunt. D. 18. Februarii, an. 1582. (*)

Письмо Антонія Поссевина къ Польскому Гетману Яну Замойскому, о дѣйствіяхъ его послѣ прибытія въ Москву. 18 Февраля 1582.

Magnifice et illustrissime D. D. in Christo observantissime.

Cùm quintadecima hujus mensis die, ad Magnum Dominum salvi pervenissemus(¹), redditae mihi sunt ab Andrea Solcanovio, ejus Cancellario, literae, quas ultima Januarii V. Ill^{ma} D. mihi scripsit. Ex iis autem omnia, quae Ostroviae atque alibi adversus regios milites contigissent, Magnus Dominus(²) et (³) Senatores ipsius(⁴) cognovêre. Cum autem tum de iis, tum de aliis rebus, fusius cum ipsis egerim, existimavit ejus Serenitas (me proponente) sibi faciendum, ut quamprimum Plescoviam nobilem cum literis suis allegaret, ex quarum exemplo, quod his erit adjunctum, intelliget, quantopere ei cordi sit, non solum ut pax, divina ope sancita, non violetur, verum etiam ut et tormenta, Ostroviae jussu V. D. Ill^{mae} relicta, in regiam ditionem statim deducantur, ac(⁵) qui e Moscis fuerunt in noxa, qua digni fuerint, poena plectantur. Verumtamen, quoniam et multa post pacem a militibus regiis in Magno Smolenscensi(⁶) Ducatu commissa fuisse, conquestus est Magnus Dominus(⁷), quae tamen putat, culpa Serenissimi Regis, aut V. D. Ill^{mae} non accidisse, aequissimum est, ut par pari re-

---

(*) In «Moscovia», ed. Vilnae, apud Joan. Velicensem, a. 1586, fol. 251 — 253, epistolae hujus textus sequentibus distinguitur varietatibus:

(¹) Ad magnum Ducem Moscoviae venissemus. (²) Dux. (³) et ejus. (⁴) h. v. deest. (⁵) ac vero. (⁶) Smolescensi. (⁷) ambae voces desunt.

feratur; nempe, si quis ex arcibus ipsius abductus est, illico liberetur, resque aliae, quoad ejus fieri poterit, restituantur; deque iis, qui ista commiserint, id statuatur, quod pro pietate Christiana justissimum esse judicabitur (1). Eam ob rem, Magnus Dominus(2), petenti mihi, schedam earum querelarum tradi jussit, quam Serenissimo Regi V. que D. Ill^{mae} mitto; a quibus non dubito, ut(3) id responsum re ipsa citissime detur(4), quod scio ex regio animo(5) et fraterno erga Magnum Dominum(6) amore profecturum. Quoniam vero inter illa, quae mihi Regia Majestas, cum Magno Domino(7) tractanda mandaverat, alterum erat negotium(8) Tartaricum(9), alterum autem, ut Matthias Przevorski libere remitteretur: hunc quidem jam esse non ita multo ante remissum, hodie mihi Senatores retulêre. Illud autem de(10) Tartaris(11), etsi nondum omnino(12) concoctum est, optimum(13) tamen exitum habiturum spero: cum pro sua sapientia Magnus Dominus(14) intelligat, quam perfida sit atque venalis gens illa, ac(15) quantopere praestet pecuniam Moscis contra(16) Tartaros(17), quam(18) Tartaris(19) adversus(20) Christianos tradere; quibus nihil antiquius est, quam opibus Christianorum Christi fidem delere, lateque omnia, quae ad ejus nomen pertinent, vastare atque incendere, cum ad omnem proditionis auram illi facillime accurrant(21). Rem itaque totam sic urgebo, ut non desperem, sic ab utroque Principe suscipi(22) posse, ut et gens illa ab utriusque finibus longius arceatur, et id perpetuae paci inter utrumque Principem fovendae magnopere sit commodaturum. Jam de mercatoribus, qui hic detenebantur(23), egi, praesertim de Vilnensibus, de quibus in conventu legatorum itidem, me praesente, actum est. Ac etsi Magnus Dominus hac de re nondum omnino(24) mihi respondit (quod hoc ipsum ei hodie tantum proposuerim)(25): haud tamen vereor, quin statim dimittantur, cum ii ad bellum non attinuerint, nullamque ob noxam diutius hic haeserint. Sed et cum id fiet, confido, fore, ut Regia Majestas non sinat se humanitatis(26) officiis in liberandis captivis facile vinci. Quorum liberationem aliquorum cum mihi(27) in castris dignata esset polliceri, jam sperandum est, pace confecta, restitutisque invicem arcibus, facilius effectum id negotium iri, ne expectato quidem legatorum adventu, in quem rejecta ea tractatio erat: quod quidem ut fiat per D. V. Ill^{mam}, enixe contendo. Ceterum, quoniam eo in literarum fasciculo, qui ad me a Reverendo Domino Petrovio missus est, literae Reverendissimi D. Nuncii erant, quas V. Ill^{mae} D. scribebat, eas, quales accepi, remitto, negotiumque Leopolitanum de Archiepiscopo quamprimum deligendo, altero eorum, de quibus egimus in castris, V. D. Ill^{mae}, id percupiente Summo Pontifice, commendo(28). Cetera, Deo volente, quae spectant ad pietatem propagandam, cum Rege Serenissimo non multo post acturus(29). Literas interim, quas ad Reverendissimum D. Nuncium scribo, cum senas hic uno die ab eo acceperim, rogo V. D. Ill^{mam}, ut citissime ad eum perferri curet. Erit(30) enim Summo Pontifici pergratum(31) cognoscere, me jam iterum ad Magnum Dominum(32) rediisse, atque ab eo non solum perhonorifice, verum etiam benigne, cum ad

(1) deque iis — judicabitur, hae dictiones omissae. (2) Dux. (3) h. v. deest. (4) dabitur. (5) h. v. deest. (6) Ducem. (7) Duce. (8) add. N. N. (9) h. v. deest. (10) add. N. N. (11) h. v. deest. (12) h. v. deest. (13) aliquem. (14) Dux. (15) quam — ac, hae dictiones desunt. (16) add. N. N. (17) h. v. deest. (18) add. N. N. (19) h. v. deest. (20) contra. (21) cum ad omnem — accurrant, hae dictiones omissae. (22) suscipe. (23) detinebantur. (24) h. v. deest. (25) proposui. (26) istis. (27) Ex quibus cum aliquorum mihi liberationem. (28) Ceterum quoniam — — commendo, haec periodus tota deest. (29) post me acturum, spero. (30) Neque. (31) erit ingratum. (32) Ducem.

publicum convivium, tum ad colloquia de pace servanda aliisque hisce rebus, admissum fuisse. De([1]) reliquiis autem D. Nicolai, quas per me a Summo Pontifice V. Ill^{ma} D. petit, id ejus Sanctitati([2]), ut et de illis([3]) D. Thomae, nunc([4]) scribo Romam([5]). Quod si frustulum reliquiarum D. Nicolai, quod apud me habeo, ex Moscovia extulero, non denegabo([6]), ut reliqua omnia, Vestrae Dominationi Illustrissimae, cui a Deo Optimo Maximo felicissima omnia precor. Moscoviae, die 18 Febr. 1582.

Illustrissimae Magnificentiae Vestrae verus in Christo servitor, Ant. Possevinus([7]).

Ex autographis literis P. Ant. Possevini, quae adservantur in collectione autographorum Bibliothecae Imperialis Publicae, № 200. In aversa folii parte legitur: Magnifico et illustrissimo D. D. Joanni Zamoiskj, Regni Poloniae Supremo Capitaneo et Campiductori generali, Domino suo in Christo observantissimo.

CLXII.

Literae Antonii Possevini, presbyteri Societatis Jesu, ad R. P. Generalem ejusdem societatis, de actis ejus missionis in Moschoviam.

Письмо Антонія Поссевина къ Начальнику ордена Іезуитовъ, о дѣйствіяхъ во время посольства въ Москву. 28 Апрѣля 1582 г.

Admodum Reverende in Christo Pater. Pax Christi.

Annus elapsus est, cum in Moschoviam missi, atque in Moschi ditione octo circiter menses variis in locis commorati, aliquoties Vestrae Paternitati Rev. scripsimus: sed cum ignorem, an nullae literae nostrae ad manus ejus pervenerint, pertinet ad obedientiam et officii nostri rationem, ut, cum in Livoniam incolumes ad Poloniae Regem paucos ante dies venerimus, summatim annuae nostrae peregrinationis atque per varias provincias periodi capita hac epistola perstringam.

Et P. quidem Paulus Campanus primi itine-

---

[1]) add. sanctis. ([2]) hae tres voces desunt. ([3]) alteris. ([4]) h. v. deest. ([5]) Romanis. ([6]) negabo. ([7]) Illustrissimae — Possevinus, hae extremae dictiones omissae.

ris nostri ad Moschum, uberioribus ad Vestram Paternitatem literis persequutus est, quae partim nobis contingerant. Cum tamen illa non attigisset, quae, antequam in Austriam venissemus, nobis acciderant; verumtamen, cum mihi incertum sit, illac ne Romam ob ejus affectam valetudinem novamque provinciae aditionem fuerint missae, — tum illius, tum alterius nostrae ad Moschum profectionis, postquam is Pater in suam provinciam se contulit, eventus adscribam.

Roma cum internuntio Moschi discedentes, mandatoque Pontificis Maximi ab omnibus Apostolicae Sedis ditionis magistratibus peramanter excepti, de rebus, quae ad pietatem pertinebant, cum iis non incommode locuti sumus, ac quid in scholis de Christiana doctrina, quidque in publicis custodiis aut alibi effici posset, quantum satis videbatur, sic egimus, ut omnes eo libentius consilia et pios libros admitterent: quod utrumque ut majori cum auctoritate fieri posset, id nomine Pontificis Maximi, sed quasi paterna et amantissima admonitione fiebat. Nam in urbe, ejus humanitate consulta id fuerat deliberatum, quae praeter itineris tanti viaticum, pecuniam nobis liberaliter suppeditarit, et ad pios libros disseminandos, et ad inchoandas quasdam pauperum scholasticorum domus, ne tempus eundo omnino frustra tereremus. Sic igitur cum legatis quoque duobus, Piceni et Bononiensi, qui Cardinales erant, cumque Episcopis et aliis de rebus iisdem locuti, ad Ducem Venetorum, ad quem primo mittebamur, appulimus. Ter cum eo ad secretum Reipublicae consilium admissi, deque fide adversus perfidos Christi hostes propaganda, et de instituti nostri ratione, ac societatis nostrae minimae fructibus, nacti opportunam occasionem, verba fecimus. Denique complanatis animis aliquorum, qui Sedis Apostolicae optimam in morum instauratione curam minus intelligebant, discessuris nobis, ea Respublica primarium senatorem misit, testantem, tertio consilium a Serenissimo Duce, Decemviris et continentis sapientibus initum fuisse ([1]), ne aliquo munere nos indonatos abire sinerent, sed veritos, ne id acciperem, praemisisse senatorem, qui nos ea de re rogaret. Quod si pecuniam, aut sacras vestes nollemus, bibliothecam saltem acciperemus, se ad centum annos, ajentes, ea non oblituros, quae in Senatu proposita fuerant. Sed cum ad ea respondissem, quaenam esset instituti nostri ratio, nullum vero in hac profectione, quae magnis periculis non carebat, posse nobis contingere gratius donum, quam si Ducis Veneti Serenitas procuraret, ut in locis piis, in quibus tot Orientalium sanctissimae reliquiae, orationibus seriò commendaremur, — humanissime ille se id praestiturum pollicitus est. Tum literis ad civitatum Praetores omnes datis, ut nobis duces itineris et lautia praeberent, ad Carinthiae fines pervenimus, non sine aliquo fructu, qui ex colloquio librisque piis iisdem Praetoribus distributis perceptus est. Et erat apud Moschi Internuncium Italus interpres, e Moschovia deductus, quem in itinere bis sacramentis expiandum curaveramus, cum iidem Moschi, paulo, postquam ([2]) ab iis Grecium ad Carolum Archiducem Serenissimum, jubente Pontifice, digressi sumus, eum interfecere, sic tamen, ut tertio (quemadmodum audivimus), antequam moreretur, sacramentis munitus ad Deum migraverit, magno alioquin in salutis discrimine versaturus, nisi illum Divina Providentia toto eo in Italico itinere ad pietatis studium revocasset. Grecii ubi fui-

---

([1]) in cod. ms. *fuissent.* ([2]) in cod. ms. cum signo abbreviationis.

mus, aurea rosa Archiducissae in publico templo oblata, quam a Summo Pontifice attuleramus; cum ipso vero Archiduce iis de rebus agentes, quae nobis ad Dei gloriam nominis mandata fuerant, cum dona respuissemus, quae rosam afferentibus tradi solent, pecuniam Apostolico Nuncio, Pontificis Maximi nomine, ad pauperes scholasticos dedimus juvandos, et puerum, quem tanquam Carinthiae primitias, eo venire ex itinere daremus operam. Cum Villaco transiremus, qua in civitate, haeretica tota et tanquam haeresum Carinthiae penu, — cum unus tamen sacerdos, unus item medicus, et una vetula catholici essent, — iis pecuniam ad pauperes aliquos colligendos et catholice instituendos, libros item pios ac quibus grassantes illic haereses praecipue extinguerentur, reliqueramus. Apostolicum vero Nuncium, Rev. P. Germanicum Malaspinam, ad bona omnia propensum, facile fuit non solum animare, ut curam pauperum quorundam scholasticorum Greci susciperet, verum etiam plures suis sumptibus ad se Catholicos libros, Germanicos et Latinos afferri cuperet, quos in Styria atque Carinthia haereticis, alioquin scriptis suis omnia replentibus, distribueret. Itaque ubi Viennam Austriae pervenimus, eodem quo vecti eramus curru, quotquot ea in civitate libros colligere potuimus, omnes confestim ad eum misimus, una cum ratione, qua scholae, item(¹) parochi, monasteria utiliter uti singulis (²) possent. Viennae autem evocato Bruna P. Paulo Campano, duobusque fratribus aliis, Andrea Modestino et Michaele Morieno, assumpto item P. Stephano Drenoczio, iisque rebus de Austria juvanda cum Archiduce Ernesto actis, quas Pontifex Maximus datis ad eum literis nobis injunxerat, traditis, denique Viennensis Collegii Rectori ducentis coronatis, ac totidem Patri Austriae Provinciali pro Ollomucensis Collegii Rectore relictis, ad Saxones(³) caeterosque pauperes scholasticos ab haereticis scholis ad nostras avertendos, Pragam discessimus. Ubi redditis Caesari ab ejus Sanctitate literis, aliisque ab eo ad Moschum acceptis, quae magno nobis ob ejus commendationem usui fuere; Patris item Pauli Campani professione, jussu ac nomine Paternitatis Vestrae excepta (quam Reverendissimus Nuncius Apostolicus, et novus Archiepiscopus Pragensis, et Philippi Regis Catholici orator illustrissimus Joannes Borgia, pransi nobiscum, reddere jucundiorem), relicta novae domui pauperum scholasticorum pecunia, quos jam praeter eos Bohemos, quos in pontificio seminario alunt, ad quinquaginta collectos esse audivimus, post aliquas Imperatrici conciones habitas, dum necessario literas a Caesare expectaremus, in viam nos Vratislaviam dedimus. Qua in civitate et primorum nostrorum duorum Patrum fundamenta jaci magno cum solatio vidimus, et eorum statu explorato, uti nos Pater Provincialis Austriae rogaverat, animatos illos reliquimus. Cum autem, ubi eo pervenimus, Episcopus Vratislaviensis, quinquaginta inde passuum millibus distans, ad nos invisendos occurrerit; cui acriter instanti, ut ejus alumnorum seminario aliqui de Societate praeessent, cum ostensum esset, ubi nostra non essent collegia id nulla ratione effici posse, abiit perversus, ut sex e melioribus suis alumnis in pontificio seminario Viennensi aleret ipse, quorum opera non ita multo post esset usurus in reliquis alumnis, eamdem ad normam et ordinem instituendis. Optimi digni viri Andreae Forini, Vratislaviensis Praepositi, nepote accepto, quem ad Olomucense Pontificis Maximi seminarium mitti curatum est, et seminariis omnibus pon-

(¹) in cod. ms. *autem.* (²) scl. libris. (³) in cod. ms. *Saxones et.*

tificiis, quae extra urbem sunt, confirmationis in quindecim futuros annos literis missis (quae confirmatio in secundo ex Gothia reditu nostro ab ejus Sanctitate per illustrissimum Cardinalem Comensem, earum creatum protectorem fuerat impetrata). Apparuere literae Poloniae Regis, quibus nobis fidem publicam mittebat, qua libere per ejus Regnum Internuncium Moschi deducere, nobilique nobis adjuncto victum gratis habere possemus. Sed eae literae minus necessariae fuerunt, quod Internuncius Praga Lubecam discesserat, inde mari Balthico trajecturus in Livoniam atque ad Principem suum iturus. Varsoviam itaque profecti, et Poloniae Regina salutata, cui a Pontifice Maximo tum de aliis, tum de Sueticibus rebus literas afferebamus, sacerdotem invenimus, qui expectabat aquae motum, nec erat, qui eum mitteret in piscinam; hic quia Vilnae Apostolicus Nuncius erat, in currus nostros ascendere et per iter institui; ac demum, ubi Vilnae fuimus, generali ejus confessione a Patre Paolo Campana audita, et aliquo, quo erat implicitus, nodo ab eodem Apostolico Nuncio in foro fori solutus, in Samogitiam, quae necdum integre Christo nomen dedit, et ubi summa penuria sacerdotum est, ad canonicum, virum pium, id efflagitantem missus est. Vilnae autem cum Rege non semel est actum de rebus iis, de quibus inprimis a Pontifice Maximo mittebamur. Sed cum ejus Majestati videretur, nostram ad Moschum missionem de pace inter utrumque Principem conciliända mutilam ac mancam (uti ipse Rex ajebat) esse futuram, quod jam Livonia Moschum cessurum certo existimabat, quamvis ille nihil minus cogitans, ea arte ad eximendum bello idoneum tempus uteretur; cumque ii, quos minime omnium decebat, pluribus rationibus deterrere a profectione nos in Moschoviam conarentur: spes tamen ex tanta animorum contentione concepta est eo melior, quod astu satanae fieri poterat, ut minus attente sanctas Divinae Providentiae vias cogitarent, qui humanis affectibus ducti, aut non aequissimo animo ferrent externis hujus Regni eam demandatam esse provinciam, aut certe non altius intelligerent, quae ad Christianos Principes pacificandos et ad fidei negotium procurandum deliberatio a Sede Apostolica solet iniri et per ordinatam obedientiam dirigi, eam de Christi pectore prodire potius esse existimandum. Itaque abjectis terriculamentis, Regique Pontificis Maximi animo ac divino consilio sic satis pro ejus temporis ratione declarato (quod postea, re ipsa utilissimum optimus Princeps agnovit), Patre autem Simone Nicoviâ in Suetiam eum ad regem cum pontificiis literis misso, qui et libris disseminandis munitus fuit, ac fide bona plenus in Patris Simonis Visocii locum, Vestrae Paternitatis jussu proficiscebatur; impetrata denique a Poloniae Rege quatuor Hungarorum militum vita, quos Pater Stephanus Drenoczius ([1]), capite jam plectendos et sacramentis expiaverat, et ut eis ignosceretur impetraverat; hominique non infimae sortis suadentes, ut quam per multos annos habuerat concubinam, eam in uxorem duceret, sicut fecit, praesente Apostolico Nuncio et nobis, et eos Patre Scarga in matrimonium jungente; duobus denique Ruthonis interpretibus adscitis, quoniam nemo erat ex nostris, qui nobis Vilnae tradi potuisset, — Dizisnam ([2]) secuti sumus Regem, eo castra moventem, idque ut faceremus, nos praemonentem. Id oppidum est arx ([3]), ex Polocensis civitatis olim a Moscho expugnatae reliquiis, ante quindecim annos, in

---

([1]) in cod. ms. *Brenoczius* ([2]) i. e. *Disnam.* ([3]) in cod ms. *Ostarx.*

Alba Russia ad Dhvinam[1] et Dhisnam fluvios exstructum[2], ac Vilna circiter quinque dierum itinere distat. Quod quidem iter cum Poloniae Regni Cancellario et exercitus Regii Imperatore Joanne Zamojscio, qui nos perhumaniter accepit, non inutiliter factum est.

Dzisnae vero, cum suum Internuncium ex Moschovia Rex expectaret, aliquot dies ejus Majestatis hortatu substitimus, quibus concionando, et aliis rebus de more Societatis, sed majori luci[3] de Moschoviae statu ab homine earum rerum peritissimo hauriendae, Episcopoque Vilnensi illustrissimo episcopatus sui bene gerendi rationem aliquam petenti, tempus impensum. Quo in loco, sicut et Polociae, ac demum in castris, Pater Martinus Lanterna, Societatis nostrae, ac Regius ordinarius concionator, egregiam divina ope diligentiam, ubere cum fructu, multis ad fidem convertendis et ad pietatem accendendis adhibebat. Dzisnâ Polociam eunte Rege, ibi ab eo dimissi et versus Moschoviam profecti cum centurione nobis attributo, qui nos tuto deduceret; is ut a Ruthono schismate ad fidei Catholicae unitatem transiret, curatum est. Quod cùm ille cum sacerdote Ruthonice noscente se in rem collaturum ostendisset (ubi ad Moschoviae fines venimus), atque in itinere illo idem cum aliis, ac praesertim cum ducis cujusdam filiis procuratum fuisset, ubi ad Moschoviae fines venimus, biduum in maximo vitae discrimine versati sumus. Nam et Regii milites, qui nos deducebant, mediis in sylvis ob Moschorum excursiones ac metum nos deseruêre, et Cosaci (quod genus militum perpetuo excursionibus et praedationibus vacat), varios bestiarum ululatus et mugitus edentes, ut convenirent, non minimum nobis timorem incussere: sed nobis, nos Divinae dexterae commendantibus, multis ignibus accensis, et in tentoriolis, quae ferebamus, ara excitata, ubi omnes sacrum fecimus (sicuti fere quotidie toto itinere fiebat), majorem illis comitatum nostrum esse forsan existimantibus, divina ope incolumes evasimus. Supervenere interim a Moscho tabellarius cum fidei publicae literis, quae antea per epistolam ab eo petitae erant, ac postridie nobiles aliqui, cum bonis equis ab eo Principe missis, qui nos deducerent victumque suppeditarent. Tertia vero die post ingressum in ejus ditionem, quadringenti vestibus aureis et holosericis induti equites nobis obviam venêre, nomine Magni Ducis de salute Pontificis Maximi felicique itinere nostro quaerentes. Ac tum in civitatem Smolenscium adducti per arcem (in quam nemo ab externis Principibus, ne a Caesare quidem, Moschi amico, admitti solitus est), ad hospitium nostrum, in suburbio situm, per pontem fluvio Borystheni[4] impositum, deducti sumus, magna militum utrinque serie disposita, et minoribus ac majoribus tormentis compluribus in laetitiae et honoris signum persaepe[5] displosis. Ac tamen statim ita custodibus circumquaque cincti fuimus, ne ad aquandum equi quidem educi e domo possent. Postera die Smolenscensis Episcopus nos monet, paratum se esse, ut propter nos faceret sacrum: id sibi a Principe fuisse mandatum, itaque exspectaturum, ut ad templum in arcem proficiscamur. Nos non ad sacrum, sed ad prandium cogitantes invitari, quod eadem ferme vox Ruthenica utrumque designet, nos quidem adituros ad eum, ubi sacrum nostrum fecissemus, diximus; sed frequentissimo populo, quem item ad speciem (ut solent) ex finitimis pagis convocarant, in arcem introducti, ac deinde in templum ingredi pene coacti

(1) in cod. ms. *Dhunam.* (2) in cod. ms. *extractum.* (3) in cod. ms. *luce.* (4) in cod. ms. *Borysthomi.* (5) in cod. ms. *praesepe.*

(quamvis ut accuratissime omnia indagaremus, Pontifex Maximus mandasset). Saepe procurantem Episcopum, ut ad se accederem ejusque manus oscularer, admonui, ne id quaereret: non solere, nec debere nos id facere, qui a Summo Pontifice mitteremur et Catholici essemus. Itaque et hunc scopulum sine strepitu praeterlapsi, extra templum sic satis cum eo loquuti sumus. In viam nos dedimus ad Moschum, Stariciae commorantem, quae arx quadringentis passuum millibus Smolenscio distat ad flumen Volgam, quod longissimo tractu 72 ostiis in mare Caspium influit. Sed octiduum, antequam eo pervenimus, alterum nobilem Magnus Dux, cum aliis quindecim nobilibus, obviam nobis misit, qui nos ad se deduceret necessariaque ministrari curaret. Appropinquantes Stariciae, a trecentis equitibus honorificentius quam voluissemus([1]) accepti, cum item Princeps equum, cui insiderem (ut in ejusmodi rebus cum principum legatis facere solitus est) praemisisset, ad hospitium adducti sumus, illicoque plurima fercula nobis misit, attributis 60-nis hominibus, quorum pars Bojarii nobiles erant, qui et nobis inservirent, ac omnia simul, quae ageremus, observarent, nec vero nostrum aliquem egredi, aut exterorum([2]) intrare ad nos permitterent. Tandem biduo post ad Principis conspectum admissi, ubi de salute Pontificis Maximi assurgens quaesivit, petiit imprimis, ecquid donorum afferebamus. Quae cum illi obtulissemus, una cum Pontificis Maximi, Caesaris et aliorum Principum literis, paululum consedere jussi, mandavit, ut demum ea, quae ad missionem nostram pertinebant, cum senatoribus egissem; eadem die cum eo et([3]) centum circiter proceribus, ut fecimus, pranderemus. Quo in prandio perhonorifice locutus de Pontifice Maximo, saepeque cum Patre Paulo Campano et aliis; ac mihi fercula et potum mittebat de sua mensa, non procul a nostra, et cui solus ipse cum filio assidebat. Porro mensem apud eum commorati, quo domi cum iis, qui nobis ministrabant, de pietate, cum Principe vero et Senatoribus saepe de pace, deque Christianorum Principum foedere conferebatur. Cùm tamen iis, quae attinebant ad Catholicam religionem in Moschoviam insinuandam, Moschus ne aperire quidem aures vellet, et interpretes suos, quae ejus tenoris scripto tradebamus, verti prohiberet: id saltem obtentum est, ut cum ad eum ex castris, quae ad Plescoviam Rex fuerat castrametatus([4]), rediissem, aliquid ea de re Pontifici Maximo, cum et hoc renueret, responderet; interea vero Patrem Stephanum Dronoczium una cum Michaële Morieno, fratre nostro, tantisper apud se retineret, dum reverterer. Quod etsi ille faciebat, ut eos([5]) tanquam obsides nostri in tractanda pace officii potius haberet, quam ut quidquid per eos effici pro Societatis instituto vellet (licet abeuntibus nobis, libertatem majorem eis pollicitus esset): dissimulandum tamen erat, ut interim si quid aliud non assequerentur, ii certe statum earum rerum diligentius ediscerent, quae ad Moschorum salutem suo tempore spectare potuissent; sensim vero assuescerent Moschi videndis et audiendis hominibus catholicis, et iis praesertim, qui a Sancta Sede Apostolica mitterentur. Digressi Staricia, Plescoviam([6]) tendimus per ingentes planities([7]), sylvas et lacus, comitatu Moschorum et Tartarorum addito, cibis etiam non solum ad iter, verum etiam ad castra, ne quid nobis deesset, abunde traditis. Sexcentum quinquagintorum plus minus passuum millibus ea erat via. Sed ante-

---

([1]) in cod. ms. *volissemus.* ([2]) in cod. ms. *externorum.* ([3]) h. v. in cod. ms. desideratur. ([4]) in cod. ms. *castramentatus.* ([5]) in cod. ms. *utros.* ([6]) in cod. ms. *Ploscoviam.* ([7]) in cod. ms. *planicies.*

quam in castra veniremus, quae quoquoversum utriusque militis manus latissime discurrebant, praemonitus per hominem e nostris Rex, alam equitum ad quinquaginta passuum millia praemisit, qui nos tuto deducerent. Quod dum exspectabamus, Commentarius ille primus, jubente ejus Sanctitate, conscriptus est, quem de religione Moschorum deque ratione Catholicae fidei in eam insinuandae istuc misimus; et unius, qui cum Moschis veniebat, generali confessione a Patre Paulo audita, eique secreto Eucharistia ministrata est. Apud Regem, ubi fuimus, cum is nobis lautia tradi jussisset, duos menses commorati, quibus et in senatu de pacis ratione ac saepe cum Rege ipso de optimis rebus, praeter publicas aliquas conciones loqui, ac pacem inter dissidentes milites componere, et aegrotorum tentoria invisere licuit. Misimus alterum ex interpretibus nostris, annuente Rege, ad Moschum, qui tum erat Slobodeae Alexandri, quae arx([1]) ad sexaginta millium passuum ipsa Moschovia distat. Moschus autem admonitus, si legatos integra cum facultate ad propinquiorem castris locum mitteret, fore, ut a Rege idem efficeretur; a quo idem fuerat procuratum, primo tabellarium, deinde paucos post dies Internuncium cum literis ad Regem atque ad me misit, quibus legatos suos sese jam daturos in viam([2]) significavit, nosque ad omnis diligentiae et officii rationem hortabatur, ut pax sanciretur. Et unde bonitate Divinae gratiae ageretur, quod in Moschi ditione — illuc Moschis et Scythis ac schismaticorum referta civitate Plescovia([3]), cujus ad septem millia passuum circuitus est, hinc in castris variarum haeresum tanta colluvie, ut magna tentoria quotidie Calvinianos et Lutheranos ministros audientium replerentur, — Pontificis tamen Maximi atque Apostolicae Sedis nomen late personaret, ac per pauperes et paucos quidem de Societate Jesu tantum negotium promoveretur: cum interim omnes mirarentur, Regem et Moschum, ipsosque adeo catholicos atque haereticos Palatinos, opera Societatis tam confidenter eo in negotio et unanimes uti. Quam ob rem et plures ad cor redibant, deque fide Catholica, quae vera sunt, sentiebant; nec deerant, qui se sacramentis expiandos traderent cum nostris, et praecipue Patre Martino Lanterna, tum sacerdotibus iis, quos Rex et Cancellarius, imperator exercitus, secum adduxerant. Atque et centurio, qui multos annos haereticis se adjunxerat, cùm globo e civitate disploso tibiam perdidisset, ut vero aeternam salutem amitteret, Calvinianus minister summo conatu curaret, putans, se aut obsequium Deo facere, aut in tanti exercitus conspectu, si ille moriens ad Catholicam ecclesiam rediret, magnopere haereseos suae existimationem imminutam iri, — adiimus ad centurionem, qui denique resipuit, sacramentisque omnibus munitus, ac denique Primariis persequentibus elatus et catholice sepultus est.

Sed et captivis Moschis necessaria suppeditabantur a nobis, quorum tentorium licet Germani et Lutherani quotidie cibos petitum adibant, et eorum minister deinde nobis fassus est, se quicquid ageret, id agere in spem Lutherani concionatoris, erubescentem publicam notam, si publice converteretur, caeterum vero Catholicam fidem corde credentem.

Porro a Moscho noster interpres, qui Andreas Apollonius vocabatur, cum ejus Internuncio rediens, et Legatos propediem ad locum conventui assignatum affuturos indicans, fecit, ut acrius urgentes Regem, ne quem suorum legatorum haereticum eo mitteret, licet magna Catholicorum inopia premeretur, id tamen ab optimo Principe consequeremur. Nostro

---

([1]) in cod. ms. *ars*. ([2]) in cod. ms. *in via*. ([3]) in cod. ms. *Ploscovia*.

autem illo interprete paulo post in morbum incidente, qui omnibus sacramentis communitus, probus juvenis, sancte ad Deum migravit, praemium reportaturus itineris sui, bis ab eo de pace propter nos suscepti, cum ante aliquos annos de eadem quoque pace (sed re infecta) cum Regiis legatis profectus fuisset. Centum millibus passuum a castris obviam Moschis venientibus ivimus. Cum per exesa (1) hominum cadavera necatosque homines identidemque vecti, agentes animam ex fame, desertis in domibus pueros reperimus, quorum unus in currum nostrum biduo deportatus, tandem in ipso curru expiravit; alter vero ab altero interprete nostro Basilio Zamascio, quem Novoguardiam miseramus, de parentis manu, qui jamjam expirabat, a regiis(2) interfectus, acceptus esset, et ab eodem parente sibi commendatus, cum illius animum spiritualibus monitis interpres satis pie monuisset. Globis autem ferreis pluribus appetiti fuimus a praesidiariis Moschi(3), qui arcem Ploscoviam tuebantur, prope quam cum necessario esset transeundum, publicis Moschi literis fidem habere noluerunt, sibi per Polonos tendi insidias suspicati.

Itaque cum regiis et Moschis centum alia passuum millia emensi, duos menses in Kiverova Horka (4) nomine, exiguo pago, prope jamum Zapolteie, substitimus, duobus inde Germanicis milliaribus a legatis regiis hospitio altero accepto, unde ad nos persaepe veniebant. Eo igitur tempore pluribus sessionibus, quae in tuguriolo nostro per integrum diem, atque interdum per totam noctem habebantur, cum utriusque Principis legati, suis Principibus mandantibus convenissent, ut ei conventui moderando totique pacis tractationi perficiendae nomine Summi Pontificis praeessemus. Pax tandem unius ipsius Dei ope ad decennium confecta, Livoniaque tota illa, quam Moschus habebat in manibus, restituta est, redditis tamen vicissim a Rege arcibus quibusdam, quas in Moschi ditione superiori biennio expugnarat. Tractata vero ea res erat, partim armis, partim mutuis legationibus, triginta totos annos, quibus in irritum cesserat, donec ipsa re comprobatum est, ejus opera componendam esse pacem, cui (5) Christus Dominus et veram pacem legavit, et dixit, «ut fratres suos confirmaret.» Sed et in ipsa tractatione tam multa occurrebant incommoda, tot utrinque querelae, ut cum saepe a regiis Moschi legati dimitterentur, modo nobis curandum esset, utrosque retinere, modo in castra, centum inde passuum millibus, aut ad Moschum, fere alia septingenta circiter ultra passuum millia, atque ad ipsum Regem, qui Vilnam abierat (et eodem quidem ipso tempore), tabellarii de media nocte, ipsis mensibus Decembre et Januario, inclementissimo coelo et horridissimo gelu, maximis itineribus essent mittendi, per quos res ipsae aut complanarentur, aut certe eo usque sustinerentur, donec ad exitum, Deo aspirante, perduci possent. Accedebat locus ipse, ubi haerebamus, circumquaque vastatus militum excursionibus summaque rerum inopia pressus, ut et putris tamen aqua esset ebibenda, licet in dies Moschi legati, qui cum ducentis equitibus apud nos erant, cibi potusque aliquam partem, quam secum adduxerant, nomine Principis sui suppeditarent. Et cubiculum ipsum fuligine atraque caligine sic erat oppletum, ut nec tam cito ad quietem componi possemus, quin statim in oculos et faciem ea decidens, a nobis somnum omnino averteret, nosque fere quasi carbonarios redderet. Nam Moschi (quod et in Lithuania non infrequens est) in ligneis cubiculis fornaces aedificant, quibus ita ad locum calefaciendum

(1) in cod. ms. *exasa.* (2) i. e. militibus. (3) in cod. ms *Moschae* (4) in cod. ms. *Kiverova Orca.* (5) in cod. ms *cujus.*

utuntur, ut qui inde fumus erumpit, per fenestrellas et ostium (¹) cubiculi evadens, quamdiu ligna concremantur, totum locum impleat, quo tempore habitari cubicula nequeunt, nisi aut incurvi, aut prostrati incolae jaceant. Quae tamen incommoda leviora reddebat spes quaedam interius concepta, fore, ut si nervos omnes ac vitam denique ipsam in eam rem impendissemus (²), non frustra opera poneretur: quippe unius aut alterius mors tot millibus aliorum caedibus erat praeferenda. Et vere, cum ad literas de pace scribendas, Crucisque osculo firmandam a legatis pacem ventum fuisset, apparuit benignitas Dei Salvatoris nostri, quae superiorum dierum tristitiam omnem detersit. Sic enim eae literae publice perlectae testimonium, praesentibus pluribus catholicis, schismaticis et haereticis, gravissimum reddebant, pacem illam Pontificis Maximi pietate ac studiis fuisse compositam, ut, quinam Christianorum Pastor, et Pastor Principum a Christo Domino constitutus esset in terris, facto ipso intelligeretur. Caeterum, cum Moschi suam in pace firmanda Crucem osculari voluissent, legati tamen regii ad aram, quae erat in cubiculo illo seu tuguriolo nostro, accessere, Crucem nostram, suppositis de pace literis, et Evangelio superposito osculantes; quem vero Ruthenici schismatis tertium (³) habebant secum, qui decies ad Moschum legatione perfunctus fuerat, licet Moschi ad suam Crucem deosculandam avocare enixe contenderent, ad nostram tamen ut veniret, Moschis haud mediocriter confusis, adegimus. Sed et illico cessatum est per trecenta passuum millia utroque in exercitu a stragibus, rapinis facinoribusque aliis pluribus, quae tantum bellum invexerant et fovebant. Quae res magno iis solatio erat, quicquid in eo negotio laboris impenderant. Attamen restabat ea non levis difficultas et paci turbandae lubrica satis occasio, quod milites regii, in ipsis oculis Moschorum, qui apud nos erant, praeda, pueros, mulieres, rusticos, quos justo in bello ceperant, in Lithuaniam abducebant; et Moschi non adeo poterant se continere, quin etiam in regios innoxios pugnis et calcibus involarent, eorum latera baculis et flagellis tunderent, atque arctissimis vinculis constringerent. Sic utrique conquestum ad nos saepe venientes, quasi nos utrique parti jus diceremus, aut abductos Moschos aliquando ipsa quoque pecunia redimebamus, ut eorum Princeps hoc item officium in ejus gratiam haud praetermissum a nobis fuisse intelligeret, ac interim Moschi beneficio mitescerent, aut Polonos et Lithuanos milites ab injuria Moschorum vindicabamus. Re absoluta, cum qua die in Moschoviam cum legatis Moschi iter incepimus, ea optimus arte sua et anima auriga noster, sacramentis saepe munitus, decessisset, Porchoviam (⁴) primo, unde universus populus ad nos salutandos deque pace gratulandos se effudit (⁵), Novogardiam Magnam post octiduum pervenimus. Est ea civitas lignea, at arx tamen sic satis magna, circumdata muro, et novis ex cespite et humo aggesta propugnaculis rursus communita, in qua paucae quaedam sunt casulae ligneae atque aedes ipsa ex latere constructa, ubi Archiepiscopus cum suis ritu illo religionem colit; circumquaque vero ad lacum Ilmeum multa monachorum coenobia eam civitatem magis conspicuam reddunt. In ea igitur excepti frequenti populo, quem item propinquis ex pagis majorem ad speciem evocarunt, ubi ad hospitium venimus, ab Archiepiscopo salutati per suos, ac multis ferculis (quod eo biduo quoque

---

(¹) in cod. ms. *hostium*. (²) in cod. ms. *impendessemus*. (³) *perilexis haec innuit de legato regio Mich. Haraburda.* Vid. supra p. 75. (⁴) in cod. ms. *Procoviam*. (⁵) in cod. ms. *effuditur*.

non semel factum est) donati fuimus. Tum postera quàm veneramus die, cum saepe invitati ab eo essemus, ut ejus sacro vellemus interesse, qui diceret, id Magnum Ducem jussisse, ut honorificentius acciperemur; nos vero, cum aliis rationibus allatis eam molestiam avertissemus, ac tamen instare pergeret, respondissemus: «quamdiu Moschi nostra sacra respuerent, nec ab eo capite penderet Archiepiscopus, quod Ecclesiae Christus Dominus praefecerat, ne miraretur, nisi ejus sacris nobis interesse liceret.» At cum petiisset, ut saltem laudibus et psalmis decantandis adessemus, quo augustam aliquam, ut putant, religionis speciem nostris oculis objicerent, neque vero hoc quoque nobis licere dixissemus, adjecimus: «si templum velit nobis ostendere, thecasque aperire([1]) corporum eorum, quos habent pro Sanctis, id utique cernam.» Cupiebamus enim, ut Summi Pontificis mandato obtemperaremus, sic omnia inspicere, ut aliquando fucum([*]) ei populo factum detegere possemus, et ad sincerissimum Dei cultum et verorum Sanctorum venerationem ipsum convertere. Tum Archiepiscopus, magnis facibus per ecclesiam totam accensis, cum etiam locum nobis aulaeis instratum parari jussisset, quo tamen in loco esse noluimus in templo, infulatus et cum mitra unionibus ornata obviam nobis venit; quibus salutatis, manum ut ei deoscularemur, quod Princeps ipse quoque facit, porrexit: sed, osculatione illa declinata, ut promissa praestaret petentes, adducti ad varia sepulcra fuimus. Ibi enim jacentem ajunt Voldimerum illum, qui primus quingentos ante annos fidem Christianam complexus est.

Loculo autem altero ferreo aperto, ubi quendam e suis Nicephorum([2]), miracula plurima edentem ac integro corpore esse dicebant, conversus ad me Archiepiscopus inquit: «si quem tecum habes non — christianum (Lutheranos intelligens), eum abire jube.» Cui cum dixissem, non solere catholicos et qui a Pontifice Maximo mitterentur, adducere secum haereticos, jussit, ut, ablegatis aliis omnibus, solus vellem Nicephori faciem inspicere. Quod cum recusassem, cuperem autem ea occasione, frequente populo, qui tum aderat, aliquid publice loqui, quo schismatici errorem agnoscere inciperent, locuti per interpretem sumus de Pontificis Maximi pietate deque veris Christianis: quandoquidem se solos ipsos veros Christianos Moschi existimant, et Archiepiscopus satis elate id de suis pronunciasset. Sermo itaque interpretis nostri, qui jam validis catholicorum rationibus imbutus erat et aliquot ante menses Ruthenicum schisma, ipse quoque Ruthenus, Vilnae apud nostros beneficio divino deseruerat, cum ipse magno animo ac fide plenus aliquid item de suo adderet, attente exceptus est. Tum Archiepiscopo (ut ea gens, jugo captivitatis a puero assueta, metu potius quam([3]) rationibus et blanditiis cogi vult) cum dixissem, ut caveret, ne Principis sui, qui a Summo Pontifice tantae pacis beneficium exorarat, indignationem subiret, qui veram et catholicam religionem ita morderet; is vero quasi esset altior factus, «aperiendum tibi caput est, inquit, si vis sanctas istas reliquias intueri.» Quin tu quoque, inquam, mitram istam depone([4]). Deponam, respondit. Qua deposita, ei quasi respondens vicem, paululum apertum caput iterum texi, ignotum et . . . . corpus haud veneratus. Tum ille aureum

---

([1]) in cod. ms. *operire.* ([2]) in cod. ms. nomen hoc falso scriptum: sine dubio, sermo habetur de reliquiis s. Nicetae episcopi. ([3]) in cod. ms. cum signo abbreviationis. ([4]) in cod. ms. *deponere.*

([*]) Lector benevolus ne obliviscatur, authorem hujus epistolae esse zelotypum ecclesiae Occidentalis asseclam et concionatorem, imo legatum singularem a latere pontificis Romani.

pannum sensim ex demortui corporis capite ita sustulit, ut faciei solius partem per obliquum ostenderet atque illico id ipsum tegeret.

Abeuntes autem, miseram gentis conditionem commiserati eo amplius sumus, quod tanta erga istiusmodi res pietate ferretur(*), ut si catholici essent, nihil ad summam religionem eo in genere videri posset desiderandum.

Inde tertiodecimo die Moschoviam magnis itineribus venientes, et perhonorifice, plus etiam quàm voluissemus, excepti, cum ad trecentos equites et vehiculum magna, alba ursina pelle instratum una cum equo nobis praemisisset([1]); bis iterum ab eo convivio excepti eo tempore sumus, quo per integrum mensem, saepe cum eo, fusius vero cum Senatoribus, illo mandante, de pace servanda, de eodem Christianorum Principum foedere, de captivis liberandis, de legato ad Pontificem Maximum mittendo, sicuti nobis visum fuerat, ac potissimum de religione egimus. Quae omnia quoniam longum esset exponere, et haec propriis scriptis, ubi tutiora erunt itinera, vel partim cum hac epistola mittentur isthuc, vel si Deo placuerit, afferentur. Uberiore ascriptione supersessa, ea nunc satis fuerit attingere, quod patentes, quas vocant, ab eo literas, sicuti antea, iterum obtinuimus, quibus sacerdotes cum externis mercatoribus in Moschoviam ire, ibi libere commorari atque inde redire, in domibus autem sacramenta suis ministrare modò permittit. Alias vero literas dedit, quibus iis omnibus, quos ad se, vel in Persiam Pontifex Maximus allegaret, ut per omnes ejus ditiones tuto venire ac transire, ejusdem Moschi sumptibus atque itineris ducibus liceat. Legatum autem suum cum aliis novem hominibus Moschis ad Pontificem Maximum de magnis rebus, deque amicitia (ut ille scribit) arctius firmanda cum Sede Apostolica mittit, quem nobiscum adducemus. Ad reliquos vero Christianos Principes, Regem Poloniae primum, deinde ad Caesarem et Archiduces Carolum et Ernestum, atque ad Venetos, praeter ipsas, quas suo legato una cum donis ad Summum Pontificem dedit literas, scribit non sine testificatione ejus officii, quod de Societatis hominibus sibi gratum accidisse commemorat. Sed quod ad Catholicam religionem attinet, cum altissimas ille suo in schismate radices egerit (a quo Graeci, unde Moschi illud hauserunt, quaterdecies ad ecclesiam redeuntes, ad vomitum etiam quaterdecies reversi sunt), septem episcopis una cum eorum Metropolita collectis mandaverat, antequam ad eum rediremus, ut quae ad schismatis sui defendendi rationes spectarent, ea diligentissime perquirerent. Ut vero sibi extra Pontificis Maximi authoritatem a Christo delatam quidam Anabaptista, ejus medicus, suppetias ferret, ab eo petierat: qui tamen, nescio, quo zelo, an forsan veritatis vi impulsus, nobis clam indicari curavit, ne in malam partem acciperemus, si quid ob metum adversus nos proferret, ubi ad disputationes publicas veniretur, quas jam vel conceperat, vel futuras nostro in reditu timuerat Moschus. Accessere mercatores Angli, qui in ea civitate commercia continenter exercent, a vectigalibus ea lege immunes, ut semper eorum duodecim in Moschovia vivant. Hi igitur (ne forsan et mulieri, quam habent pro Angliae Regina, et ecclesiae Anglicanae (si Deo placet) caput esse blasphemant, aliquid imminueretur, vel putantes se Principi obsequium praestituros) librum ei obtulere, quo author conabatur ostendere, Pontificem Maximum esse Antichristum. Quas ob res, et cum,

([1]) i. e. Magnus Dux.

(*) lege notam supra, pag. 397.

mandante Pontifice, perrumpenda erat qualicumque ratione haec glacies, ubi de religione cum Moscho ter, praesentibus centum Proceribus, ac cum Senatoribus frequentius loquuti fuimus, ipse autem Princeps in magna platea, quae quinque millibus hominum erat referta, qui ad spectaculum convenerant, ex palatio descendisset, ut nos suum in templum atque ad sua sacra admitteret, libere restitimus: quemadmodum ex adjuncto ea de re scripto Paternitas Vestra cognoscere poterit, quod eidem ex Latino Ruthenice versum publice tradidimus, de iis, quae ad discrimen inter Catholicam, et praesentem Graecam et Ruthenicam Ecclesiam pertinent. Id enim ut faceremus, a nobis per Senatores quaesiverat. Quae cum ille sic legisset, ut minutissima quaeque sibi exponi et a nostris per suos amanuenses declarari aut scribi curasset, eo consilio, ut a suis episcopis vel ab ipso aliquid contradiceretur: factum est, ut cum nihil solidi, quod opponerent, haberent, altum denique de religione silentium facerent; eo tamen a nobis obtento, quod de catholicis sacerdotibus una cum mercatoribus mittendis diximus, atque haerente in senatorum animo scrupulo de ritibus et erroribus suis. Cancellarius autem Moschi, qui res pene omnes administrat, reliquias a nobis secreto et enixe petiit, nec alienum is se, quod etiam plerique alii fecere, a nostris rationibus ostendit. Quae quidem rationes, cum ex aliqua authorum Graecorum lectione, et aliàs, et vero ipso eo in itinere peterentur, ex iis item sunt desumptae, quae Pater Franciscus Turrianus in D. Clementis Constitutiones Apostolicas et adversus Magdeburgenses scripsit, quaeque Pater Robertus Bellarminus de Pontificis pietate atque Ecclesia isthic praelegit: quae certe maximum habuisse et habitura momentum adversus Graecorum errores(*), re ipsa experiemur. Itaque et plura, quae ad eam rem faciebant, inde collegimus et Ruthenice versa ipsi Principi dedimus, ac Vilnae, si Deo placuerit, descripta ad Ruthenos juvandos reliquentur. Ceterum, cum in Pontificis Maximi atque Catholici Regis gratiam, quatuordecim Italos et Hispanos petentibus nobis Princeps concessisset, cum ii per Tanaim prope Asoph arcem ex captivitate Turcica in Moschi ditionem Vologodem, quingentis passuum millibus supra Moschoviam venientibus distantem aufugissent, eaque de re secreto admoniti fuissemus; triginta item Lithuanos mercatores, quorum primarius erat quidam Vilnensis, obtinuimus. Denique, quoniam in itinere nobis aliqui mortui erant, precatus Moschum, ut e captivis duos alios mihi concederet, ii impetrati sunt, cum etiam centum et octoginta Polonos et Lithuanos, et aliquos Livonos nobiles ex ferreis compedibus teterrimoque ac foedissimo carcere eximi et per civium domos liberius disponi curatum est: quorum bonam partem Princeps ut nobis gratificaretur, ad hospitium nostrum adduci et nobis sisti, ut a Pontifice Maximo post Dei bonitatem id benificium agnoscerent, jussit. Nemo tum ita ferus fuisset, cui lacrymae obortae non essent: cernebamus enim squallentes vultus, virosque nobiles pannis obsitos et prae esurie hiantes, ac capillis in moeroris signum ex diuturno carcere ad humeros fluentibus, ad terram sese prosternentes, et capite humum de more Moschorum percutientes, in summae demissionis argumentum. Qua item indicabant, se passos acerbissima, jam avidissime sitire libertatem, nec post Deum, homines praeter catholicos quosdam, vel Lutheranos, vel schismaticos, unius Summi Pontificis charitati confidere. Quam ob rem eos cohortati, ut causam

(*) lege notam, supra pag. 397.

quisque suam, quam istis aerumnis dedisset, in Domino pensarent, ad spem melioris vitae, animatos, quod paulo post ad Regem rediturus, permutationem omnium captivorum essem diligenter curaturus; potu etiam refectos, pecuniâ unumquemque donavimus. Sed et Graeci atque Armeni, una cum nobili Turca Aconiato, quem Graeci ob dignitatem vocant Kelebi, magnificum, cum ob illud triennii bellum, in Moschovia quasi captivi detinerentur, omnesque elabendi vias tentassent, rebus vero suis illata non mediocris esset jactura: ubi jam libere excessissent et Constantinopolin peterent, ingentes nobis in itinere gratias egerunt, quod Pontificis Maximi opera libertatem essent assecuti, idem ipsi [1] aliis Turcis et Graecis atque Armenis testaturi. Atque longiores essemus, si ea adderemus, quae nobis clanculum ab omnibus externis literae variis de rebus, quas perpetiebantur, ac de desiderio libertatis scribebantur: pro quibus tamen sic egimus, ut Princeps intelligeret, cùm ea ratione, qua ille utitur, apud omnes Christianos Principes advenae haud vivere, seque minime nomini suo ac saluti aeternae consulere, nisi cum illis liberalius agatur. Inter eos erat nobilis Saxo, qui cùm exire cum sua familia in Germaniam nobiscum expetiisset, nec tamen id assequi potuisset, cubitalem argenteam et deauratam thecam Eucharistiae deferendae nobis misit, precatus, ut dum inter catholicos essem, eam Divino cultui restituerem, quam ille circiter centum aureos redemisset. Nos eum solati ac bono animo esse jussi tantisper, dum redirem ad Caesarem, ut per ejus Majestatem novam ei commendationem ad Moschum (ut faciam) procurarem; interim vero hortatus, ut Lutheranam haeresim prorsus desereret. Moschoviae eum reliquae futurum aliquando, nisi nos animus fallit, non minimum in Saxonia instrumentum Sanctae Sedis Apostolicae; quoniam [2] Princeps ille etiam erga haereticos subditos suos charitatem agnoscat.

Rebus cum Principe confectis, cum jam hyems praecipitaret magnumque immineret periculum ab inundationibus, si gelu (ut incipiebat) mitesceret, cum trecentis nobilibus, honoris gratia, per quatuor passuum millia, noctem diemque currendo, Smolenscium pervenimus. Quo in loco sex dies morati, legatumque Moschi ad Pontificem Maximum expectantes, cum quotidie nobis ab Episcopo fercula multa mitterentur, eumque vehiculo, quod Magnus Dux nobis dono dederat, donavissemus (quod Principi futurum id esse aedificationi audiveramus), in viam nos dedimus. Prosequuti nos sunt praeter eos, qui nobiscum Moschovia venerunt, centum quinquaginta, tum equites, tum pedites, ut ad fines tutius iremus, ex quibus Orsam, in Alba Russia sitam, inde Vitepscium venimus, quae arx, ad flumen Dvinam posita, Palatinum a Rege Poloniae catholicum habet. Praeter arcem oppidum est non exiguum, in quo Rutheni schisma, Lutherani et Calviniani suas haereses docent, Catholici quoque ibi suum templum habent. Cum primum igitur huc venimus, affertur nobis nuncium, parochum octuagenarium, solum in universa illa sylvestri vastitate sacerdotem jam emori, rogare nos, ut aliquis nostrum ad se accederet. Fuit pater Stephanus Drenoczius, cujus confessione audita eique monstrata diluculo posterae diei Eucharistia, cum ille interrogasset, quinam essemus, petierat autem, an facultatem a Sancta Sede Apostolica ad omnia peccata absolvenda haberemus, manum nobis saepissime deosculatus ac magna de Dei providentia fiducia accepta, non ita multo post migravit ad Deum, ad id usque tempus spiritum nisus retinuisse, donec aliquis eum sacramentis

---

(1) in cod. ms. *ipsis*. (2) in cod. ms. *quos*.

munitum extra hanc vallem miseriarum dimitteret. Cum vero Sanctae hebdomadae dies instaret, populum catholicum sine pastore tanto Paschatis festo miserati, et vero Palatini quoque precibus adducti, eundem patrem Stephanum Drenoczium cum fratre nostro Michaele Morieno, quousque canonici Vilnenses parochum alterum mitterent, et per Dunam, soluta glacie, Rigam nostri possent descendere una cum impedimentis Moschorum et nostris, reliquimus. Sic Polociam postea profecti, reviximus ex conspectu nostrorum patrum ibique nostris animabus opera data. Cum ea die, quae erat Dominica Palmarum, divinam misericordiam precati fuissemus, ut palmam aliquam adversus sathanam nobis concederet, juvenis amanuensis regius, varias linguas noscens, quemque eo consilio adduxeramus in Moschoviam, ut, cum nobis quidem utilem, sibi vero pernecessariam in scribendo operam praestaret, cum ei describenda potissimum illa taciti traderemus, unde ad Catholicae fidei lumen hauriendum facilius disponeretur, dedit tandem veritati dexteram, et sacramentis munitus magno nos solatio affecit. Sit benedictus Deus, amen.

Polocensis porro episcopus schismaticus ad nos de pace venit gratulatum, ac deinceps ubi monitus est, cum nostris ut amicitiam coleret, pollicitus autem esset, se ea lecturum, quae Ruthenice scripta adversus schismam, non ita multo post ei ex itinere, Deo adjuvante, mittemus: benedictionem ut sibi a Pontifice Maximo impetraremus ([1]), rogavit. Patribus, a quibus ea, quae non sine fructu a nostris gerebantur in Suetia, laeti cognovissemus, et vase argenteo aliisque ad novum templum ornandum Polociae relictis, plena spe, quod jam centum novella germina puerorum Ruthenorum apud nostros affutura, sobolis spiritualis uberem messem maxima cum laetitia ibi cerneremus, quos parentes, licet schismatici, tradunt nostris instituendos, Dzisnam discessimus. Ibi excepti a paucis quibusdam catholicis, et ut sacrum faceremus rogati, quando catholicum nullum sacerdotem haberent, eos, ne posthac sacerdoti Rutheno schismatico traderent filios baptizandos, hortati sumus; duobus autem nobilibus, conjugi et uxori, benedictione publice impertita, qui a Rutheno sacerdote matrimonio conjuncti, ut catholice jungerentur, a nobis quaesivere; veste item sacra et antependio ad ornandum eorum altare dono data, quando ii spe futuri sacerdotis calicem jam coëmerant, cum sartorem nostrum, ne otiaretur, varias vestes sacras Moschoviae parari curavissemus. Eorum apud Regem postea causam egimus, ut sacerdos redditus, templumque in tutelam adversus haereticum magistratum a Rege Episcopo Vilnensi attribueretur. Duneburgum inde atque hinc, quod est Curlandiae, in oppidum Julluxense ([2]), die Sabbati Sancti venimus. Erat omnino eo die dies Paschatis celebrandus, et nonnihil quiescendum ob equorum et adeo nostram lassitudinem, quibus non semel in mediis sylvis, ac quidem sub die erat pernoctandum. At cùm provincia illa tota haeresibus scateat, nec Catholicum templum, nec Catholici alicujus domus esset, ac vero nobis in Lutherani pastoris, uti opulentioris, domo datum esset hospitium: ibi aram, quam et ipse tacitus et mirabundus spectabat, excitavimus bisque sacrum fecimus, eo lucro, ut primarius ejusdem([3]) loci nobilis Lutheranus filium, tamquam Curlandiae primitias, traderet, quem vel Braunsbergam vel Olomucium mittemus,

([1]) in cod. ms. *impetraremur.* ([2]) i. e. Illuxt. ([3]) in cod ms. cum signo abbreviationis.

qui Latinè nonnihil, sed Germanice recte, et Gotice, quae lingua communis Livoniae est, Polonicè quoque ac Ruthenice et Moschoviticè jam novit. Duos alios ejus fratres exspectamus, quos ejus pater adducturum se promisit ex decem, quos legitime suscepit. Pastor autem ipse Lutheranus filium suum nobiscum abducendum (si voluissemus) obtulit. Ex Illuxeno per aliquot dies, ingentibus aquis superatis, cum equi non semel ephippiis ablatis natare, ita ut tantummodo caput eorum exstaret, cogerentur, nos autem exiguis cymbis, unica ex arbore excavatis, singuli, non exiguo periculo, lata flumina et torrentes rapidos trajiceremus, Rigam denique, Livoniae metropolim, venimus: cum Rex (quae ejus benignitas est!) suos ante id biduum currus praemisisset, jussisset autem nobilibus aulicis, ut e civitate eo consilio obviam venirent, ut Moschi legatus et ipsi Rigenses cives Lutherani cernerent, quo in honore vel pusillos homines a Pontifice Maximo missos haberet. Sed quod nobis in Domino gaudium attulit, id fuit, quod paulo post Romanas literas accepimus, quibus ejus Sanctitas significari mandarat, se nostrae petitioni annuisse de seminario Ruthenorum et Moschorum Vilnae instituendo, cui mille ducentorum coronatorum pensionem annuam, uti ante biennium Olomucensi ac Braunsbergensi per Suetiam et Gotiam fecerat, attribuebat. Benedictus iterum in aeternum sit Deus, amen.

Neque vero frustra itineris labor susceptus esse visus est, cum Divina Providentia per Vicarium suum media haec, primo quidem quae non omnibus videri possint magna, maxima vero paulo post futura benigne suppeditaverit. Porro ingenti etiam cum gaudio, ex tam longo sylvestri tractu quasi novam in lucem editi, tres nostrae Societatis patres, P. Scargam, P. Martinum Lanternam, Georgium Vicerium hic invenimus, qui tangente Regis corde, ut victoriae trophaeum aliquod Christianum hic erigeret, sicut in Transylvania et Polociae fecerat, in civitate hac non minima, eaque satis frequenti propter flumina et mare Balthicum, unde variae nationes huc confluunt, Catholicae fidei fundamenta, quae diu hinc exulaverat, jaciebant, templo augusto ac divo Jacobo sacro, quod cupro contectum paulo antea cives nihil minus cogitantes instauraverant, Societati nostrae, altero item templo Divae Magdalenae dicato, ubi tres solae antiquae virgines ordinis Sancti Benedicti, perseverantiae denique suae fructum reportantes vivebant, parocho Copio, qui Collegii Germanici fuit alumnus, denique assignantes (¹). Jam vero non desunt, qui ad nostrorum confluant sacra, spe majoris incrementi, si in tempore affuerint operarii, atque isthic(²) fuerit indicatum, idque onus a Societate suscipi posse.

Nos interim cum Rege de tota Livonia juvanda, Episcopoque alio designando, ac de pace cum Moscho conservanda deque captivis utrinque commutandis egimus, agnoscente et adeo urgente hoc beneficium rerumque suarum restitutionem nobilitate Livonica, quae una cum his actibus ad nostrum hospitium, ob Pontificis Maximi nomen et auctoritatem, tamquam ad sacram anchoram, singulis penè horis accurrit. Quae res occasionem nobis haud mediocrem praebuit ad memoriam eorum revocandi, qui status erat Livoniae florens, cum ipsa sub obedientia Pontificis Maximi avita religio staret, ac qui nunc sit, cum ob haeresim

(¹) in cod. ms. *assignantis.* (²) in cod. ms. *histic.*

fides, libertas et omnia bona pessum iverint. Ac quoniam is tenor in nostris peregrinationibus fere adhibitus fuit, ut aliquos, tamquam futuros obsides, religionis Orthodoxae filios ex provinciis haereticis ad seminarium emanaremus, bibliopolas autem saltem ob spem questus initio incitaremus, ut catholicos et antiquos libros comportari curarent, nos vero alios, aliis ex locis collectos, pios libros disseminaremus: id quoque ibidem factum est, unde et illos educere, et hosce non multo ita post allatum iri speramus. Ad regem vero Sueciae (quum[1] ejus Sanctitati negotia ipsius et dignitas semper cordi fuere, idque nobis Romae fuit serio mandatum), quod quidem ad Zapolscium Jamum in conventu legatorum et alibi procuratum est, a Poloniae Rege obtinuimus, ut de amicitia conservanda (uti nos etiam Regina Poloniae per literas admonuit) hinc ablegaretur[2] Christophorus Varsevicius eques, P. Stanislai nostri Varsevicii frater, qui se jam parat ad iter, et sic negotia propter prudentiam suam ac pietatem tractabit, ut omnia sit relaturus ad Divinam gloriam propagandam et ad Suetiam et Gothiam in fide promovendam.

His rebus confectis, quandoquidem post hasce literas hucusque exaratas, supervenere Vitepscio nostri, una cum octo ex illis Italis et Hispanis, quos e mare Nigro, Turcica ex captivitate elapsos, Moschus se liberaturum nobis pollicitus fuerat, reliquis eos jam assecuturis, Vilnam post triduum, Deo concedente, proficiscemur, ubi seminarii domo inspecta, et quibusdam Ruthenis ac Moschis relictis, pecunia item ad Ruthenicos[3] typos coëmendos nostris data, ut Canisii Catechismus et alia ejusmodi, quae verti in eam linguam curavimus, edantur in lucem, ex Lithuania in Poloniam et Germaniam, atque inde in Italiam, Deo duce veniemus. Rogamus interea Vestram Paternitatem Rev., ut a divina bonitate impetrari curet, ut cum ejus benificio, postquam ex ipsa civitate Moschorum excessimus, tertiam itineris partem incolumes absolverimus, haec, quae reliqua sunt, duo adhuc millium passuum millia ita perficiamus, ut et in itinere aliquid ad Christi honorem efficere, aut certe pati possimus, et serio (quod omnium missionum caput est) ad nos ipsos ire incipiamus. Deus benedictus Vestrae Paternitatis et totius Societatis piis conatibus adsit. Amen. Rigae in Livonia, die 28 Aprilis, anno 1582.

Ex codice manuscripto chartaceo, qui in Bibliotheca Musei Imperatoris Augustissimi asservatur (№ 96, armario 1, pluteo 2), fol. 2 — 24. Hic codex manuscriptus Serenissimo Magnae Russiae Duci Paulo, anno 1782, ex Roma discedenti, in reverentiae signum oblatus est a P. A.

Ciampi in opere suo «Bibliografia Critica» *(Firenze, 1834) de his Possevini literis nullam fecit mentionem.*

---

(1) in cod. ms. *quem.* (2) in cod. ms. *allegaretur.* (3) in cod. ms. *Ruthenico.*

Н) ИЗЪ БИБЛIОТЕКИ ГРАФА ДЕЛАГАРДIЯ.

CLXIII.

Notae legatorum Regni Poloniae et magni ducatûs Lithvaniae, legatis Moscouiticis datae in conventibus, an. 1608 et 1615.

Отвѣты пословъ Польскихъ и Великаго Княжества Литовскаго, данные Московскимъ царскимъ посламъ, на съѣздахъ 1608 и 1615 г.

Najaśnieyszego y wielkiego hospodarza, Zygmunta trzeciego, Bożą miłością króla Polskiego y wielkiego xiążęcia Litewskiego, Ruskiego, Pruskiego, Zmudzkiego, Mazowieckiego, Kijowskiego, Wołyńskiego, Podolskiego, Podlaskiego, Liflantskiego, Estonskiego y innych, y dziedzycznego króla Szwedzkiego, Gottskiego, Wandalskiego, xiążęcia Finlandskiego y innych, od nas panów rad y urzędników, a na ten czas wielkich posłów korony Polskiey y wielkiego xięstwa Litewskiego: od xiędza Chrysztopha Kazimirskiego, z Bożey łaski biskupa Kijowskiego; od Jana Karola Chodkiewicza, hrabie z Szkłowa y Myszy na Bychowie, starosty y generała ziemie Zmudzkiey y Derptskiego, hetmana naywyższego W° X^a Litt°, komisarza generalnego ziemie Inflantskiey; od Alexandra Korwina Gąsiewskiego, referendarza y pisarza W° X^a Litt°, starosty Wieliżskiego y Kupiszskiego(¹); od księcia Bogdana Ogińskiego, podkomorżego Trockiego, starosty Dorsuniszskiego y Kormiałowskiego; od Samuela Hornostaja, podkomorżego Kijowskiego; Chrysztopha Charlińskiego, Jana Hrydzicza, sekretarzów y dworżan iego królewskiey mości, od nas samych y od towarzyszów, których tu na ten czas niemasz, odpowiedź wielkiego Moskiewskiego hospodarstwa wielkim posłom, bojarom y dworżanom, y przykaznym ludziom: bojarzynu y namiestniku Kazańskiemu kniaziu Iwaniu Michajłowiczu Worotynskiemu; bojarzynu y namiestniku Nizogrodskiemu kniaziu Olexieiu Juriewiczu Sickiemu-Jarosławskiemu; okolniczemu y namiestniku Kałużskiemu Artemiju Wasilewiczu Izmajłowu; Moskiewskiego hospodarstwa dworżanom: Siemionu Hawryłowiczu Korobinu y Euphimiju Hrehorowiczu Telepniewu; Moskiewskiego hospodarstwa dyakom: Iwanu Iwanowemu synu Bołotnikowu y Olexieju Witowtowu, na ich mowe y piśme, co nam oni od bojar y wszelakich

---

(¹) in textu Ruthen. (vid. Сборникъ кн. Оболенскаго 1838, № 10) add. арендатора Ко нюховск. го.

stanów ludzi Moskiewskiego hospodarstwa na poselstwie swoim mówili, na zjezdzie naszym poselskim, pierwszy raz z nami zjechawszy się, w teraznieyszym od Narodzenia Chrystusowego tysiąc sześc set pietnastym roku, miesiąca Nowembra 27 dnia.

Iż co bojarowie y wszytka rzecz pospolita Moskiewskiego hospodarstwa pisali y przysyłali do ich mościów panów rad y urzędników, y wszytkich stanów Korony Polskiey y W° X^a^ Litt° duchownych y swieckich, gonców y posłanników swoych, a osobliwie najaśnieyszy y wielki hospodar Cesarz i. m. Chrześciański, Rzymski, Czeszski, Niemiecki y Węgerski król Mathiasz, po przysyłaniu y prozbie tychże bojar y wszelakich stanów ludzi Moskiewskich, zsyłał się z najaśnieyszym y wielkim hospodarem Zygmuntem, królem iego mością Polskim y wielkim xiążem Litewskim, panem naszym, radząc y przemyslaiąc o pokoiu chrześciańskim, żeby panom radom rzeczy pospolitey korony Polskiey y W° X^a^ Litewskiego z bojary y wszelakich stanów Moskiewskiego hospodarstwa ludźmi zesłać się przez wielkie posły, y za łaską Bożą dobrze dzieło udziałać, rozlanie krwie uiąć, pokoy y uciszenie przywrócić, y między obiema wielkimi państwy y narody chrześciańskimi zgodę y przyiazń nienaruszoną uczynić, jakoby za zgodą w chrześciaństwie, moc chrześciańska wyszyła się, a busurmańska, iako iest krzyżowi swiętemu przeciwna, poniżona była. I ich mośc panowie rada y wszytkie stany korony Polskiey y W° X^a^ Lit° bili czołem o tym królowi i. m. panu naszemu, y za pozwoleniem iego królewskiey mości, mówiwszy y naradziwszy z sobą, namówili y zlecili nam braciey swoiey, korony Polskiey y W° X^a^ Lit° wielkim posłom, z wami Moskiewskiego hospodarstwa wielkimi posły na zjazd zjechać się, y o tych dobrych dzielech, które należą ku wszytkiemu dobremu y ku pokoiu chrześciańskiemu, a oboim wielkim chrześciańskim państwom, narodom naszym y waszym, odłożywszy wszelaką niechęć, przyisć do zjednoczenia, y być z sobą w przyiaźni y miłości braterskiey prawdziwey na czasy wieczne. I my wielcy posłowie dawno-chmy się na zjazd dla tego dobrego dzieła pospieszyli, a wy wielcy posłowie zamieszkali się, y przeszkoda dobremu dziełu z waszey strony stała się: wszytek. . . (1) dni zwlekliście letni; a w tym krew chrześciańska prelewa się, y o tym nie tylko wam posłom wielkim, ale y wszelkiemu chrześciańskiemu człowiekowi przystoi żałować. A teraz my wielcy posłowie na zjazd zjechawszy się z wami wielkimi posły, radzi zdrowie wasze widziemy, y o dobrych dzielech, iak przystoyno będzie, za łaską(2) wszechmogącego w swiętey Troycy iedynego(3) Boga, mówić y stanowić chcemy. A napierwey, waszych rzeczey, coście nam od braci swoiey bojar y wszytkich stanów ludzi hospodarstwa Moskiewskiego na poselstwie swoim mówili, wysłuchawszy, ten respons nasz wam daiem, a przy tym krzywdy y obidy wielkie(4), które z waszey strony roznymi czasy mimo przysięgę poczynione, według zlecenia braciey naszey ich mości panów rad y wszytkiey rzeczy pospolitey, wam objawiamy y czytamy. A jako nam nie miło słuchać w mowie waszey słów nieuczciwych y nieprzystoynych, tak y sami w naszych mowach y pismach nie radzi bychmy ich . . . . (5), przeciw waszych słów także wam odpowiedź dać musiemy.

Napierwey, mówiliście y przypomnieli, zadaiąc to królowi iego mości panu naszemu,

(1) in textu Ruthen. весь часъ погодный. (2) ibid. add. и благословенію. (3) ib. славимаго (4) ib. многіе и великіе. (5) ib. употребляти, но нынѣ et caet.

panom radom y wszytkiemu zacznemu narodowi naszemu korony Polskiey y W° X^a Litewskiego, niewinnie y niesprawiedliwie, jakoby to król i. m. pan nasz, przymierze z Borysem Fiedorowiczem Hodunowym, przeszłym hospodarem waszym Moskiewskim, na dwadzieścia lat uczynione, złamać y wszytkiego złego przyczyną być miał, które w Moskiewskim państwie pierwey od Dymitra, którego wy nazywacie Hryszkiem Otrepiewym(1), po tym od innych wielu zdrayców stało się, iako oni nazywaiąc się synmi hospodarskimi y państwa Moskiewskiego dostępuiąc, cerkwie Boże spustoszyli(2), krew przelewali y ziemię Moskiewską pustoszyli. O czym już przed tym było wiele mowy y piśma w przeszłym od Narodzenia Pana Chrystusowego tysiąc sześć seth ósmym roku, na ten czas, kiedy po zabiciu na Moskwie tego Dymitra, hospodarza waszego, usiadł na hospodarstwie Moskiewskim bojarzyn kniaź Wasiley Iwanowicz Szuyski, y była namowa posłów(3) króla iego mości, pana Mikołaia Oleśnickiego, na on czas casztellana Małogoskiego, a teraz Radomskiego, y mnie Alexandra Korwina Gąsiewskiego, na on czas starosty Wieliższkiego, a teraz referendarza y pisarza W° X^a Litewskiego, y posłanników, pana Stanisława Witowskiego, na on czas woyskiego Parczowskiego, a teraz wielkorządcy Krakowskiego y chorążego Lęczyckiego, y ks. Iana Druckiego Sokolińskiego, w on czas sekretarza, a teraz pisarza wielkiego księstwa Litewskiego, starosty Daugowskiego, Przełayskiego y Orlińskiego, z bojary hospodarstwa Moskiewskiego: z bojarzynem y namiestnikiem Wołohodskim, z tobą księciu Iwanu Michałowiczu Worotyński, z okolniczym y namiestnikiem Halickim Iwanem Fiedorowiczem Kołyczowym(4), z dworzaninem dumnym(5) y namiestnikiem Wołockim Wasilem Borysowiczom Sukinym, y z dyaki Moskiewskiemi, dumnym Wasilem Telepniewym y z Andrzeiem Iwanowym. Y już posłowie y posłannicy iego królewskiey mości na te wszytkie rzeczy(6), w czym wy króla i. m. pana naszego, panów rad y rzecz pospolitą niewinnie y niesprawiedliwie winuiecie y nieprawdziwie pomawiacie(7), — bojarom Moskiewskim dostateczny respons w on czas uczynili, y niewinność króla iego mości pana naszego, y panów rad y wszytkiey rzeczy pospolitey dosyć jaśnie y prawdziwie pokazali. A przy tym y nieprawdy Borysowie, w czym on chrzestne swoie całowanie przestąpił, y przymierze z królem iego mością, które na posłach iego królewskiey mości gwałtem na dwadzieścia lat wymogł, sam wielą sposobów y nieprawdami swemi złamał, także bojar y wszytkich ludzi Moskiewskiego hospodarstwa nieprawdy y złe zamysły, — co oni wespoł z książęciem Wasilem Szuyskim, przeszłym hospodarem swoim, wiele ludzi iego królewskiey mości Polskich y Litewskich, od Dymitra, hospodara waszego, y od was samych na wesele wezwanych y obezpieczonych, niewinnie na śmierć okrutnie pomordowali, innych do roznych zamków do więzienia rozesłali, skarby y maiętności ich niemałe pobrali; a posłów iego królewskiey mości, pana Oleśnickiego y mnie Gąsiewskiego, za gleytem przysłanych, nad prawo y zwyczay wszytkich Panów Chrześciańskich y busurmańskich, przez długi czas zatrzymali, — y inne krzywdy y wrazy wielkie wyczytali, objawili, y pismo im na to wszytko dali. Na które bojarowie, na rozmowę wysłany, obiecawszy posłom y posłannikom dać respons, przez niedziel trzy nad tym siedzieli; y wi-

(1) in textu Ruth. add. dictio пострыгою. (2) ib. разоряли. (3) ib. haec vox omissa. (4) ib. pericope «z okolniczym — Kołyczowym» desideratur. Conf. infra. (5) ib. съ околничимъ. (6) ib. статьи. (7) ib. наговариваете и упрекаете.

dząc to, co im posłowie y posłanniki o niewinności króla iego mości, pana naszego, panów rad y rzeczy pospolitey jasny, słuszny y sprawiedliwy odpor dali, y krzywdy królowi iego mości y państwom iego królewskiey mości z waszey strony Moskiewskiey poczynione, prawdziwie przełożyli, — responsu nijakiego potym im ne dali, a odpowiedzieli, że te wszytkie dzieła, które za Borysa y Szuyskiego, hospodarów waszych, do miesiąca Julia, w roku 1608 (kiedy przy Szuyskim, posłom y posłannikom króla iego mości z bojary Moskiewskiemi namowa o za-tanowieniu pokoiu między iego królewską mością y między kniaziem Wasilem Szuyskim, według iego woli gwałtem stała się), na sąd Boży odłożyli, y więcey o nich na on czas nie mówiąc, o mirnym postanowieniu namowę czynili. I my temu dziwuiemy się, że wy te dawne rzeczy, które Borys zamyslał y działał, y w grob z sobą poniosł, y które przy kniaziu Wasilu, hospodaru waszym, namową zawarte byli, teraz wznawiacie y przypominacie, co już w zamilczeniu być miało. O którym responsie posłów y posłanników króla iego mości, przy kniaziu Szuyskim bojarom danym, ieżeli to wy nie wiecie, alboli też nie pamiętaiecie, y my wielcy posłowie korony Polskiey y W° X^a Litewskiego wam wielkim posłom Moskiewskiego hospodarstwa, na te waszy rzeczy teraz odpowiedaiąc, to pismo y respons, przez posłów y posłanników króla iego mości, za Szuyskiego, bojarom dany y zawarty, teraz przeczytać y na piśmie dać roskazaliśmy. Który od słowa do słowa tak się w sobie ma:

Respons bojarom dumnym Moskiewskim, na mowach w Moskwie podany.

Najaśnieyszego y wielkiego hospodarza Zygmunta III, z Bożey łaski króla Polskiego y wielkiego xiążęcia Litewskiego, Ruskiego, Pruskiego y innych, y dziedzicznego króla Swedzkiego y innych, od posłów y posłanników, od Mikołaia Oleśnickiego z Olesznicy, kasztellana Małogoskiego; Alexandra Korwina Gąsiewskiego, starosty Wieliżskiego; Stanisława Witowskiego, woyskiego Parczowskiego; xięcia Iana z Drucka Sokolińskiego, sekretarzów y dworżan iego królewskiey mości:

Bożą miłością wielkiego hospodarza y wielkiego xiążęcia Wasila Iwanowicza, Władzimierskiego, Nowogrodzkiego, Kazańskiego, Aztrachańskiego y innych bojarom, boiarynu y namiestniku Wolohodskiemu kn. Iwanu Michaiłowiczu Worotyńskiemu; okolniczemu y namiestniku Halickiemu Iwanu Fiedorowiczu Kolyczowu; dumnemu dworżaninu y namiestniku Wolotckiemu Wasilu Borysowiczu Sukinu, y dyakom, dumnemu Wasilu Telepniewu y Andrzeiu Iwanowu, respons na mowy y pisma, któreście nam dali:

z obu stron umocnili się. Y potym sam ja hetman do króla i. m. przybywszy do Wilna, o tych wszytkych nieprawdach hospodarza waszego Szuyskiego królowi i. m. powiadał; a iego królewska mość, jako chrześciański wielki y pobożny hospodarz, za takimi jawnemi nieprawdami Szuyskiego na krew chrześciańską nie skwapiał się, ale chciał to wszytko zsyłaniem się y namową ku dobremu końcowi przywodzić. Jakoż naprzód, za pozwoleniem króla i. m., ja starosta Wieliżski pisałem w Smolensk do woiewody Michajla Borysowicza Szeyna trzy kroć, żeby on na granicę dla spolnych hospodarskich spraw sam ze mną zjechał się; a mnie było z nim o tym mówić, żeby on do hospodara swego odpisał: ieżeli jeno dla Tuszyńskiego impostora, posłom iego do króla i. m. nielzia przeiśc, tedy żeby Szeynowi dał zupełny nakaz ze mną króla i. m. posłem namówić się, y w tym co gwałtem na posłach y posłannikach iego królewskiey mości w Moskwie wymogł, sprawić się, y o tym też namowę uczynić y umocnić się, jako by impostora Tuszyńskiego y z nim Polskich y Litewskich ludzi, swowolnych y nieposłusznych, spolnemi siłami znieść y pokarać, a hospodarstwo Moskiewskie od nich naprędzey oczyścić. I Michajło Szeyn pisał do mnie wprzód, że chciał ze mną zjechać, a potym, boiąc się tego, żeby kto nań zdrady jakiey nie rozumiał y winnym go nie uczynił, y do hospodara nie oskarżył (jako tego za Borysa y Szuyskiego wiele u was było, y poki u was hospodarski syn na stolicy hospodarskiey nie siadzie, poty y teraz zausznicy nie wywiodzą się), odpisał do mnie Szeyn, że onemu samemu nie zeydzie się ze mną zjechać, a chce on wysłać dworżan. Ale mnie z dworżany o tak wielkiem dziele hospodarskim nie zeszło się zjazdu mieć; y tak ta sprawa potrzebna w ten czas nie skończyła się z waszey strony. Zaczym już iego królewska mość wiedząc z iedney strony tak jawne nieprawdy Szuyskiego, a z drugiey strony widząc nieposłuszeństwo ludzi Polskich y Litewskich, którzy stali przy Tuszyńskim impostorze, y żałuiąc chrześciańskiey krwie, a jako hospodarz mądry, w czas, a nie po czasie, większemu złemu zabiegaiąc y bezpieczeństwo sobie y swym od Bóga powierżonym państwom waruiąc, sam osobą swą hospodarską przyszedł pod Smolensk, oyczyznę swą, rok cały y cztery miesiące potym jako Szuyski w stolicy na posłach iego królewskiey mości przymierną hramotę wziął. A jadąc pod Smolensk, król i. m. pisał y posyłał listy swe do Smolenska, do wszytkych Smolnian, że król i. m. będąc wielkim hospodarem chrześciańskim, y maiąc w przodkach swych krewność y spowinowaczenie z przeszłymi wielkimi hospodarami Moskiewskimi, sławney pamięci z wielkim hospodarem y wielkim książęciem Iwanem Wasilewiczem, y z synem iego wielkim ks. Fiedorem Iwanowiczem, y użaliwszy się od worów złych ludzi spustoszenia Moskiewskiego hospodarstwa, uczynił pochod swoy hospodarski dla tego, aby krew chrześciańską ujął, a ludźiom pokoy y uciszenie przywrocił; y oniby o tym wiedząc, nie bali się y szkod sobie żadnych nie czynili. Ale Smolnianie dobrotliwością y łaską króla i. m. pogardzili, Smoleński posad sami wypalili, w zamku zamknęli się, y wielkimi grubościami swymi naprzód Boży, a potym króla i. m., pomazańca Bożego, gniew na się poruszyli y upamiętać się nie chcieli; a za to sprawiedliwym sądem Bożym do upadku swego przyszli: co im stało się samym od siebie, a nie od króla iego mości. A chrześcian poddanych na włości, za rozkazaniem króla i. m., hetmany y wszytko woysko ostrżegali, że przez wszytek czas sami z żonami swymi y dziećmi w do-

miech swoich byli cali. A nad to, w ten czas ich mość panowie rada, którzy przy króle i. m. byli, zabiegaiąc krwie chrześciańskiey rozlaniu, za przyzwoleniem iego królewskiey mości, wysłali z listem dworżanina pana Stromiłowskiego do kn. Michajła Wasilewicza Szuyskiego o tym, żeby on kn. Wasila Iwanowicza, hospodarza y wuja swego upomniał y na to przywodził, jakoby iemu y innym bojarom pozwolił z ich mościami panami radami o dobrym dziele y pokoju chrześciańskim zesłać się; a rozkazano panu Stromiłowskiemu iechać na Toropiec, y ja starosta Wieliżski pisał o tym na ten czas do Toropca, do woiewody Alexandra Czohłokowa, który odpisał, że on posłał do kn. Michaiła, w Kolazyn, dla dokładu; a pan Stromiłowski, oczekiwaiąc we wsi Wieliżskiey w Uszorczowie, pod granicą Toropiecką, cztery niedziele, a nie mogąc do kn. Michaiła przyiechać, dla tego, że go Moskiewscy ludzie przepuścić nie chcieli, wrócił się pod Smolensk. Potym wrychle z tymże listem wysłali panowie rada w stolicę do bojar drugiego dworżanina p. Alexandra Sliźnia; y kn. Wasili Szuyski, hospodarz wasz, y tego do Moskwy przepuścić nie kazał, y hardzie odpowiedzić mu kazał, jakoby to p. Slizień na oszukanie, dla smuty, posłany być miał; przetoż bojarowie go słuchać nie chcieli, y p. Slizień także nazad z drogi wrócił się pod Smolensk. A potym iego królewska mość posłał wielkich posłów swoich, pana Stanisława Stadnickiego, kastellana Przemyślskiego, y ks. Krystopha Zbarażskiego z towarzyszmi, ludzi swoich Polskich y Litewskich od impostorza odwodzić; y w ten czas trzeciego mnie posłał y Iana Hrydicza, sekretarza swego iego królewska mość od siebie do hospodarza waszego o dobrym dziele, o pokoju y o uciszeniu posyłał. Y ja z Tuszyna, oznaymiwszy wprzód o sobie do stolicy, pod Drzewiany zamek w wiliią Bożego Narodzenia podjeżdżał, y dworżanom, którzy z stolicy do mnie wysłani byli, list króla i. m. ukazował y ustnie im mówił, że od hospodara swego króla i. m. posłany iestem do hospodarza waszego o dobrych dzielech, żeby mię hospodarz wasz puścił do siebie y poselstwa słuchał. Y dworżanie nazad w stolicę pojechali, a potym wyjechawszy z stolicy, odpowiedzieli mi: «dziś święto, wielki hospodar y bojarowie Bogu się modlą, puścić cie nie kazali»; y ja za tym precz odjachał y do iego królewskiey mości pana swego pod Smolensk wrócił się. A jako za bytności posłów iego królewskiey mości na Tuszynie, z woyskiem wielkim przysłanych, ludzie Polscy y Litewscy y wiele starszych Moskiewskich od impostorza odstąpili, y impostor od stolicy odbieżał, a stolica od tak wielkiego obleżenia, za łaską Bożą, a króla i. m. przemysłem y staraniem wolna została, y wiele zamków Moskiewskich, którzy za impostorza byli, powrócili się ku stolicy: tedy Szuyski, nie przyznawaiąc tego wszechmogącemu Bogu, który to przez króla i. m. pomazańca swego sprawił, ale wszytką nadzieią swą y ufanie na Karolusa Sudermańskiego, nieprzyjaciela króla i. m., y na ludzi Niemieckich położywszy, z królem i. m. zsyłać się nie chciał, y woysko niemałe z woiewodami, z kn. Chowańskim, z kn. Jakowom Boratyńskim y z Edwardem Gornem, hetmanem, pod Białą na mię Alexandra Gąsiewskiego y na ludzie króla i. m. posyłał. A gdy z tamtąd, za łaską Bożą, a szczęściem iego królewskiey mości, woysko to rozgromione y rozegnane od nas, y prędko potym wszytkie woyska Moskiewskie, Tatarskie y naiemne Niemieckie do iedney gromady zgromadziwszy na króla i. m., w przednich półkach kn. Jeleckiego z Wołuiewym,

a z większymi półkami brata swego kn. Dymitra Szuyskiego, z kn. Andrzeiem Holiczynym, y innych wiele woiewod Ruskich, także z woiewodami Niemieckimi naiemnymi, z Jakubem Pontusem y z Edwardem Gornem y z ich towarzyszmi y z naiemnymi woyski wysłał, y rozumiał już wszytkiem hospodarza naszego zkruszyć, a swoy tyrański umysł nasycić, hardość y upor swoy umocnić. Ale wszechmogący w Troycy jedyny Bóg, który na taiemnicę serc ludzkich patrzy, widząc to w sercu pana naszego króla i. m., pomazannika swego, że on hospodar prawdziwie, dla uięcia krwie chrześciańskiey, y dla uczynienia pokoiu y uciszenia wszytkich głową swą przyszedł, — dał królowi i. m. nad tym hospodarskim nieprzyiacielem zwycięstwo, że przez i. m. pana Żołkiewskiego, hetmana, y brata iego z towarzyszmi y wszytko rycerstwo Moskiewskie, Tatarskie y Niemieckie na głowę zbito y rozegnano, a ostatni iego królewskiey mości y panu hetmanowi czołem uderżyli; a woiewodowie, kn. Jelecki y Wołuiew, co w Carowem Zaymiszczu w ostrowku siedzieli, za ich proźbą od hetmana gardłem darowani, y wszyscy za chrestnym całowaniem swoim, do hetmana iego królewskiey mości koronnego pana Żołkiewskiego y do woysk iego królewskiey mości przyłączyli się. A w te czasy wor Kałuższki, Dymitr nazwany, maiąc woysko wielkie Moskiewskie (a niektórych y naszych ludzi, którzy się byli do niego po zbieżeniu iego z Tuszyna w Kaługą swowolnie przyłączyli), do pana hetmana przysyłał, zdaiąc się na łaskę iego królewskiey mości y chcąc królowi i. m. służyć krwią swą y siłą przeciw narodu Moskiewskiego postępować. Toż łatwiey było, y w on czas król i. m. spustoszenie wszytkiey ziemie Moskiewskiey mogłby uczynić y w poddaństwo ją sobie przywieść: ale król i. m., według swey pańskiey łaskawości czyniąc, wora Kałużskiego do służb swoich nie przyiął, a hetmanowi swemu z wami bojarami złączywszy się kazał o tym przemyślać, jakoby od wora Moskiewskie hospodarstwo oczyścić. Y nad Szuyskim za to, że on będąc z przodków swoich poddanym hospodarów Moskiewskich, na przestoł hospodarski, mimo hospodarskich królewskich dżieci, a krewnych zeszłych wielkich Moskiewskich hospodarów, nie po swey mierże wzniosł się, tenże we wszytkich władnący Bóg, przez was samych bojar y wszytkich ludzi Moskiewskich hospodarskich, sprawiedliwy wyrok swoy dał, na przykład wszytkim takim, żeby wprzód nie ważyli się nad swoie powołanie carskiego stopnia dostępować.

Y przetoż wam by wielkim posłom te wszytkie słowa nasze dobrze uważywszy y rozsądziwszy u siebie prawdziwym chrześciańskim sercem (jakoście y sami dobrze wiadomi, że to nie inaczey, ieno tak iest jako to wam mówim y piszem), te wszytkie wmyślenia y nieprawdy Borysa Hodunowa y ks. Wasila Szuyskiego precz odstawić, y o nich, y o ich przymierzech więcey nie mówić (bo ich sprawy z nimi w grob położone, a nam y wam ni na coż nie zeydą się); a iego królewską mość, hospodarza naszego, jako prawdziwego, chrześciańskiego pobożnego pana, y rzeczy pospolitey Korony Polskiey y wielkiego xięstwa Litewskiego, Borysowymi y Szuyskiego sprawami obłudnymi y nieprawdziwemi niewinnie nie winować y nie pomawiac, y więcey takimi nieprzystoynemi mowy y piśmy waszymi żalu nam nie czynić.

A co się dotycze namowy y dokończenia z obu stron, z naszey, od hetmana koronnego p. Stanisława Żołkiewskiego y pułkow-

ników y rotmistrzów, którzy przy nim byli, a z waszey, od wszytkich bojar y wszelkich stanów ludzi wszytkiego Moskiewskiego hospodarstwa, zapisami y chrestnym całowaniem utwierdzonego, które do tych czasów przewłokło się: tedy to dzieło między nami y wami iest naywiększe do gruntownego y na wieki nieporuszonego naszego y waszego y wielkich hospodarów y narodów naszych y waszych pokoiu y uciszenia, y ku wszelkiemu dobremu y pożytkowi wszytkiego chrześciaństwa. Y o tym z wielkimi posły Moskiewskiego hospodarstwa chętnie będziemy na źjezdzie mówić, y to tak wielkie, sławne y wszytkiemu chrześciaństwu pożądane y potrzebne dzieło chcemy w dokończenie przywodzić.

Apographum hujus acti extractum est e vetusto manuscripto, quod asservatur in bibliotheca Comitis de la Gardie, in castello ejus feudali, Leberede dicto. Titulus Notae signatus Polonice: Respons ich mościów pp. posłów wielkich Korony Polskiey y w. xięźstwa Litewskiego, dany wielkim posłom hospodarstwa Moskiewskiego.

Ѓ) ИЗЪ ГАЛИЦКО-РУССКИХЪ АРХИВОВЪ.

CLXIV.

Breve Pontificis Romani Urbani VI, Magistro Ordinis fratrum Praedicatorum, quo tribuitur ei atque vicario ejus plena auctoritas instituendi tres Inquisitores, unum in Armenia et Georgia, alterum in Graecia et Tartaria, tertiumve in Russia et Valachia, annexâ hic formula juramenti. An. 1381.

Грамота Папы Урбана VI Начальнику Ордена Доминиканцевъ, о предоставленіи ему и намѣстнику его власти опредѣлять трехъ Инквизиторовъ, въ Арменіи и Грузіи, въ Греціи и Татаріи, въ Руси и Валахіи, съ присоединеніемъ формы присяги для избираемыхъ. 1381 г.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, magistro Ordinis fratrum Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem. Ad ea, quae Catholicae fidei augmentum respiciunt, libenter, prout tenemur, ex debito pastoralis officii intendimus, ac ut Christi fideles in fide perseuerare, et a fidei tramite deviantes redire valeant, sollicitudinis nostrae partes liberaliter adhibemus. Sane, cum ad exstirpandos errores seminandamque Orthodoxae fidei veritatem, sint in ultramarinis partibus, quae per infideles occupantur, quamplures personae necessariae ac etiam opportunae, et sicut accepimus, quondam Joannes de Gallo, tui Ordinis Praedicatorum professor, qui in partibus praedictis, per felicis recordationis Gregorium papam XI, praedecessorem nostrum, Inquisitor hereticae pravitatis extiterat deputatus, in partibus illis fuerit vita functus, sintque ad hujusmodi inquisitionis officium opportuni aliqui: nos volentes in praemissis, quantum cum Deo possumus, providere, ac de discretione tua gerentes in his et aliis fiduciam in Domino specialem, tibi et vicario tuo, in illis partibus pro tempore deputato in posterumque deputando, instituendi authoritate apostolica tres personas, idoneas et discretas: unam, videlicet, in Armenia et Georgia, et alium in Graecia et Tartaria, ac alium in Russia et Valachia Majori et Minori Inquisitores pravitatis praedictae, et eis ut omnia, quae ad hujusmodi inquisitionis officium pertinent, libere exercere valeant, licentiam concedendi, contradictores quoslibet et rebelles auctoritate apostolica compescendo, non obstantibus constitutionibus Apostolicis, statutis et consuetudinibus praedicti Ordinis contrariis quibuscunque, tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod

iidem Inquisitores, cum deputati fuerint, ut praefertur, in manibus tuis, aut vicarii praedicti praestare teneantur in forma, quae sequitur, juramentum. Forma autem juramenti huiusmodi talis est: «Ego Inquisitor ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro sanctaeque Romanae Ecclesiae, ac Domino meo D. Urbano Papae VI, suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium vero quod per se, vel per nuntium, aut per literas mihi credituri sunt, signo, verbo, vel nutu, me sciente, ad eorum damnum nemini pandam. Si damna eorum tractari scivero, pro posse me impediam, ne fint: quod si per me impedire non possem, per nuntium, aut litteras eis significare curabo, vel illi, per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Officium inquisitionis mihi commissum fideliter geram et sollicite exercebo; prece vel pretio, favore vel odio a justitia non recedam, etiam poenas seu poenitentias injungendo, vel relaxando, seu aliàs dispensando, dona, munera seu exerzia, aut obligationem seu promissionem super illis, per me vel per alium seu alios, a personis coram me causas habentibus, seu ab aliis pro ejsdem pro poenitentiis impositis, vel imponendis, nec aliàs mihi vel meo officio applicando non recipiam; quinimo omnes officiales meos cum diligentia, qua potero, ab his faciam abstinere, et ad hoc obstringam eos eorum proprio juramento. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia!» Datum Romae, apud S. Petrum, Kalendis . . . (*), pontificatûs nostri anno tertio.

Apographum ex archivo Dominicanorum Leopoliensium relatum est Collegio Archaeographico a Correspondente D. Zubrycki. Conf. Опис. Кіевской Іерархіи, *pag. 90 et 94, in notis 51 atque 54.*

CLXV.

Privilegium Regis Poloniae Vladislai II, presbytero Michaëli ejusque haeredibus, de jure possidendi omnia funda, quaecunque ad templum s. Deiparae in villa Terlecensi antiquitùs a Ducibus Ruthenis sunt condonata. Domin. 4 post festum Paschae, an. 1415.

Жалованная подтвердительная грамота Польскаго короля Владислава-Ягайла Терлецкому священнику Михаилу и наслѣдникамъ его, на право владѣнія угодьями, наданными тамошней Рождество-Богородицкой церкви отъ прежнихъ Русскихъ князей. 1415 г. Апрѣля 28.

In nomine Domini, amen. Nos Vladislaus, Rex Poloniae ac Lithvaniae, Russiae et aliarum plurimarum terrarum Dominus, manifestum facimus his nostris literis, omnibus et singulis, quibus expedit, praesentibus et futuris. Quia reliquimus et relinquimus poponem Michaë-

(*) Mensis nomen in apographo omissum.

lem, ac liberos et haeredes ipsius circa synagogam Nativitatis Matris Dei in bonis Terło, circa totum id, quidquid pertinebat ab antiquo ad ecclesiam s. Nativitatis monasterii Terlecensis, cum omnibus utilitatibus, sylvis, mellificiis, pratis, piscinis et arvis torrentibus, et ita relinquimus eum, ut tempore Ducis Leonis erat et tempore Ruthenorum Ducum aliorum; et hoc per neminem debet violari perpetuis temporibus. Et in robur his nostris literis fecimus appendi nostrum sigillum. In nostra curiâ Miedica, dominica quartą post festum Paschae, sub annis Nativitatis Domini millesimo quadringentesimo et quintodecimo. Et circa hoc testes erant: dominus archiepiscopus Leopoliensis (*); dominus Moszenka de Dombrowa; Domarath de Cobylani, castellanus Bicensis; dominus Petrus Szabinowicz, dapifer Sandomiriensis; dominus Bartholomeus Skarbynowicz, succamerarius Sandomiriensis; dominus Waszko Tepkowicz, dominus Wołczek Rohatynski, dominus Waszko Mosenczycz. — Datae hae literae per manus venerabilis Nicolai Dunin, vicecancellarii regni Poloniae, praepositi S. Floriani ante Cracoviam, de mandato nostro regio.

Apographum ex archivo Leopoliensis monasterii s. Onuphrii relatum est a Correspondente d. Zubrycki. Privilegium hoc denuo confirmatum a Rege Poloniae Sigismundo I, an. 1519.

CLXVI.

Privilegium Regis Poloniae Casimiri praelatis, nobilibus, militibus et caeteris terrarum Russiae incolis, confirmans omnia pristina eorum jura ac libertates, accessis novis etiam articulis de causis forensibus, cmetonibus, theloneis et caet. fer. 6 post und. mil. Virginum, an. 1456.

Жалованная подтвердительная грамота Польскаго короля Казимира Галицко-Русскому духовенству, дворянству, рыцарству и прочимъ жителямъ, на всѣ прежнія права и вольности ихъ, съ добавленіемъ новыхъ узаконеній о судебной расправѣ, волостныхъ людяхъ, мытахъ и пр. 1456 г. Октября 22.

In nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Kasimirus, Dei gratia Rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, magnus dux Lithvaniae, Pomeraniae, Russiae Prussiaeque dominus et haeres, significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis praesentibus et futuris, harum notitiam habituris. Quomodo recensentes et animo resolventes, quanta puritatis affectione et fidei integrae constantia praelati, comites, barones, milites, et nobiles spirituales et seculares terrarum Russiae, sincere fidelesque nostri dilecti, personam nostram venerati sunt atque dilexerunt: eapropter duximus in ipsos incolas terrarum Russiae oculos pietatis nostrae apperire, et eis hanc gratiam, quam actu et opere, veluti attlethae fideles, contra tyranidem infidelium

---

(*) Joannes Rzeszowskj Vid. *Kron. miasta Lwowa*, pag. 81.

Thartarorum dietenùs pugnando comprobaverunt et exhibuerunt sinceritatis constantiâ, uti decet, gratitudine compensare. Ex certa nostra scientia et de consilio nostrorum consiliariorum, ipsis praelatis, baronibus, militibus et nobilibus terrarum Russiae omnia jura, privilegia, libertates et munimenta, quae a divae memoriae Regibus et principibus Poloniae, praedecessoribus nostris, regni Poloniae veris et legitimis haeredibus, super quibuscunque bonis et libertatibus habere dignoscuntur, rite, juste et legitime emanatas, quas hic volumus habere pro insertis, in eorum omnibus punctis, conditionibus, clausulis, capitulis et articulis universis approbamus, innovamus, ratificamus et confirmamus, temporibus perpetuis et aeviternis duraturas. Et quia nonnulla jura praedecessorum nostrorum sunt diminuta, quae pro conservatione ipsarum terrarum indigent reformatione ac additione, ideo articulos infrascriptos praesentibus duximus confirmandos, approbandos et ratificandos.

Inprimis, quod in rebus et negotiis, quae concernunt et tangunt terras Russiae, nihil faciemus, nisi consiliariorum earundem terrarum consilio communicato et accepto, et hoc temporum qualitate et necessitate exigentibus.

Praeterea, dum se nobis feliciter transitus per terras Russiae obtulerit, non faciemus, nec committemus, causas per aliquos judices aut terrigenas forenses seu extraneos alterius terrae judicare, sed solùm per judices et officiales illarum terrarum, prout in aliis terris regni nostri, tempore nostri adventûs, consuetum et solitum est circa talia judicia fieri et observari, judicandas committemus. Causas vero pendentes, indecisas, nobis de ipsis terris recedentibus, dignitariis et judicibus terrarum ipsarum committemus in mandatis terminandas et decidendas, ubi causa vertitur, sed non aliarum terrarum regni nostri, uti praefertur consvetudine et observantia.

Insuper statuimus, quod *cmethones* terrigenarum per capitaneos ac officiales ipsorum aliosque violenter non recipiantur in servitutem, vulgariter *mordinice* hoc expresso, nisi prius villicus, aliàs *thywon* seu *wathaman* cum omnibus cmethonibus possessionatis super eo juraverint, quod sit de eorum genere et servitute, et quod ignoraverunt eum per tantum tempus, per quod defuit.

Praeterea eximimus et liberamus omnes et singulos nobiles et terrigenas a solutione theloneorum, ut nulla thelonea a rebus ipsorum, duntaxat a piscibus, quos de eorum piscinis vel pretio emptis vel arendatis conduxerint vel vendiderint, solvere debebunt, nec sint adstricti, removentes et auferentes omnem *daciam,* quae ab olim de piscibus nobilium terrigenarum tollebantur et exigebantur.

Insuper statuimus, ut cmethones, dum accusantur de furtis per capitaneos aut eorum officiales, sine voluntate haeredum non captiventur: sed ut in aliis terris regni practicatur estque consuetum, ita observari de eisdem volumus.

Decernimus etiam, quod omnes et singuli mercatores viis solitis et consuetis cum eorum bonis et mercantiis deambulent, nec illorum bona quisque ad vias insolitas divertere audeat quoque modo.

Insuper statuimus, ut quicumque terrigena instituit nova thelonea sine nostra aut praedecessorum nostrorum voluntate et auctoritate, ipso facto bona sua perpetua amissione amittet.

Quos quidem articulos suprascriptos firmiter et inviolabiliter observare et tenere promittimus et pollicemur praesentium per tenorem, et sigillo nostrae majestatis, quamprimum sculptum et elaboratum fuerit, communire et sigillare. Harum, quibus sigillum nostrum prae-

sentibus est subappensum, testimonio litterarum. Actum in conventione Novae civitatis Corczyn, feriâ sexta post undecim millia Virginum, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Praesentibus reverendis in Christo patribus, dominis Gregorio archiepiscopo Leopoliensi, Thoma episcopo; magnificisque et generosis: Johanne de Czyszow, castellano et capitaneo; Johanne de Thenczyn Cracoviensi, Johanne de Oleszнycza Sandomiriensi, Andrea Odrowąż de Sprowa Leopoliensi palatinis; Predborio de Koniecpole Sandomiriensi, Czesłao de Curoszwynky Lublinensi, Nicolao de Zabrzow Vislicensi, Gregorio de Branicza Radomiensi castellanis, et aliis quàm pluribus circa praemissa. — Datum per manus venerabilis Johannis Luthconis de Brzeszcz, utriusque juris doctoris, Sedis Apostolicae protonotarii et ejusdem sacri Palatii causarum auditoris, archidiaconi Gnesnensis et regni Poloniae Vicecancellarii, nobis sincere dilecti. — Relatio ejusdem venerabilis Johannis de Brzeszcz, utriusque juris doctoris, archidiaconi Gnesnensis, R. P. Vicecancellarii.

Originale membraneum asservatur in archivo Capituli Leopoliensis, ritûs Latini, loculamento № 29. Apographum hujus privilegii relatum est a Correspondente d. Zubrycki.

CLXVII.

Decretum Regis Poloniae Sigismundi I, quo interdictum est, ne cives Leopolienses Russi, ritus Graeci, possideant domos extra ipsorum plateas, nec ad aliqua contubernia et artificia admittantur, cauponas teneant, pannumque vendant et caet. Feria 6 post festum s. Valentini, an. 1525.

Судная грамота Польскаго короля Сигизмунда I, съ воспрещеніемъ Львовскимъ православнымъ Русинамъ строить домы не въ своей улицѣ, также записываться въ цехи и заниматься ремеслами, торговать напитками, суквами и пр. 1525 г. Февраля 17.

Sigismundus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae et caet., significamus tenore praesentium, quibus expedit, universis. Quia cum questi essent coram nobis, cum anno praeterito Leopoli essemus, cives ejusdem civitatis nostrae Leopoliensis, ritûs Ruthenici, quorum ibi non exigua pars est, quod qui cum in eodem jure residerent, et ipsi, qui aequaliter cum aliis civibus eandem civitatem incolentibus onera civilia ferant, per proconsulem et consules praedictae civitatis domos extra eorum plateas sitas emere et comparare, cauponiamque exercere, seu vinum et cerevisiam ac alias res poculentas vendere et propinare, et pannum ulnatim incidere prohibentur, ac etiam ab artificiis eorumque usu et contuberniis prohiberentur, ad eaque non admitterentur, non absque magno ipsorum praejudicio damnoque et contemptu. Et ex adverso, ipsi consules et cives ritûs Catholici seu Romani suas legitimas causas et validas rationes, quare id facerent, abunde explicassent. Nos de eadem controversia, majoribus alioquin curis et negotiis districti, illicomodò cognoscere et definire

non valentes, suspenderamus et retuleramus eam ipsam controversiam ad hunc generalem regni nostri conventum, et partibus praedictis in eodem conventu coram nobis comparendi certum terminum praefixeramus. Quo adveniente, comparentibus coram nobis ipsis partibus praedictis, et querelas ac rationes suas alias denuo referentibus, nos unâ cum consiliariis nostris, in ipso conventu congregatis, mature et debite expensis eisdem querelis et rationibus praedictarum partium, et aliis, quae per illas tam Leopoli, quàm etiam in ipso conventu coram nobis fuerunt prolocutae et allegatae, ac longum tempus retroactum, per quod nihil unquam per nostros praedecessores in praemissis, pro parte praedictorum civium Leopoliensium ritûs Graeci seu Ruthenici, immutatum aut innovatum esse comperimus, sentientes, de consilio ipsorum consiliariorum nostrorum, decrevimus ac praesentibus literis nostris decernimus: quod ipsi cives Leopolienses ritûs Graeci seu Ruthenici sint contenti finibus suis et plateis, ab antiquo tempore illis pro eorum domibus et habitationibus illic Leopoli designatis; ad alias vero domos, in aliis locis et plateis consitas, in quibus antehac ipsi, vel eorum praedecessores habitare non solebant, emendas et comparandas ac possidendas sese ingerere omnino non debeant, nec possint. Quos etiam pari modo, circa antiquas consvetudines et prohibitiones, in dicta civitate nostra Leopoliensi hactenus observatas, ne videlicet ad aliqua contubernia et artificia suscipiantur, aut admittantur, nec aliquem potum propinent, sed et neque pannum ulnatim incidant et vendant, perpetue relinquimus; verùm reliquis suis negotiationibus, dudum eis permissis, sibi libere victum et incrementum rei suae familiaris quaerant. Consules vero ipsi, et alii cives Leopolienses ritus Catholici nullum in hoc et in aliis eorum consvetudinibus antiquis illis gravamen, aut praejudicium inferant, sed ipsos, vicina charitate et benevolentia (uti par est) causa reservanda, mutua pace et concordia complectantur, hoc decreto mediante. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum et datum in conventu generali regni Petricoviensi, feriâ sexta proxima post festum s. Valentini, anno Domini 1525, regni vero nostri anno 19. — «Petrus episcopus et vicecancellarius.» — Relatio reverendi in Christo patris, domini Petri, Cracoviensis et Posnaniensis episcopi, et regni Poloniae vicecancellarii.

Authenticum asservatur in archivo magistratus Leopoliensis, fasciculo № 219, cujus exemplar relatum est a d. Zubrycki. Conf. eiusdem Kronika miasta Lwowa, *pag. 148.*

CLXVIII.

Litterae Alcxandri palatini Moldaviae ad regem Poloniae Sigismundum Augustum, quibus deprecatur, ut opem ferret orthodoxis civibus Leopoliensibus ad ecclesiam suam finitùs aedificandam. An. 1558.

Письмо Молдавскаго господаря Александра къ Польскому королю Сигизмунду Августу, коимъ проситъ его содѣйствовать Львовскимъ православнымъ гражданамъ въ построеніи церкви. 1558 г. Августа 25.

Nayaśnieyszij oświeczony Króliu, panie a panie przyiaczeliu, szosiedzie nam osobliwie łaskawy! Alexander, z łaski Bożyi woiewoda hospodar ziem Mołdawskich, zdrowie waszey królewskiey mości them pisaniem naszym nawiedzamy. Oznaymuiemy w. k. m., iże przed them czasem umyślili poddani w. k. m., miesczanie Lwowsczi z Bożą pomoczą czerkiew budowacz w mieszcie Lwowskim: o czo thesz y nasz żadali, abychmy z storony naszey dali ym czo ku spomożeniu na budowanie they czerkwie Bożyi. My, yako tho zwyklichmy dawno czynicz wedli chresczijanstwa, posłalichmy ym skarbu naszego kilka seth złothych, a ku themu wołow y ynych reczij, y mamy tham przy them budowaniu służebnika naszego. Kthorey czerkwie, nayaśnieyszij oświeczony kroliu, mogliby jusz przędko dobudowacz: iedno że miecz nie mogą matherey i karamidy, a snad, nie chczą ym za pieniądze panowie Lwowsczi thego postąpicz. O czo my w. k. m. yako pana a przyiaczielia a sąsyada, nam osobliwie łaskawego, pilnie żądamy, aby w. k. m. raczył dla prośby naszey tho uczynicz, a listh w. k. m. roskazacz dacz do radziecz Lwowskich, aby ym za pieniądze na jednym mieysczu matherey y karamidy postąpili: Bo tesz, nayaśnieyszij oświeczony kroliu, w they czerkwie Bożyi y o w. k. mośczi bogomodlie będzie. Przy them pilnie zaleczamy się w łaskawą przyiaźn w. k. m. Dan z Husow, w dzien s. Barthlomeya, anno Domini 1558.

In diphtera epistolae inscriptio tituli regii sequens: Najaśnieyszemu oświeczonemu Sigmunthu Awgustowi, z łaski Bożyi królewi Polskiemu, xiężęciu wielkiemu Lithewskiemu, Ruskiemu, Pruskiemu, Mazowieczkiemu, Zmuyskiemu et c., panu a przyiaczeliu y sosyadowi nam osobliwie łaskawemu. *Originale asservatur in archiuo Stauropygiali Leopoliensi, cujus apographum relatum est a Correspondente Zubrycki.*

CLXIX — CLXXVI.

Edicta regis Poloniae Sigismundi Augusti et alia documenta, spectantia ad controversiam inter episcopos Leopolienses, Gregorium s. Gedeonem Bołaban et Joannem Łopatka exortam, de utriusque juribus in episcopatum. An. 1569 — 1576.

Грамоты Польскаго короля Сигизмунда Августа и другіе судебные акты, относящіеся къ тяжебному дѣлу между Львовскими епископами, Григоріемъ или Гедеономъ Болабаномъ и Іоанномъ Лопаткою, о правахъ ихъ обоихъ на оную епископію. 1569 — 1576 г.

1.— Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae dominus et haeres, generosis Andreae Barzy, secretario nostro et capitaneatus Leopoliensis surrogato, Mathiae Włodek Camenecensi, et Hieronymo Sieniawsky Haliciensi capitaneis nostris, in absentia vero ipsorum vicecapitaneis, fidelibus nobis dilectis, gratiam nostram regiam. Generosi, fideliter nobis dilecti! Permiseramus non ita pridem venerabili olim Marco Bałaban, vładicatûs Leopoliensis possessori, nuper vita functo, eum ipsum vładicatum filio ipsius, nobili Gregorio Bałaban resignare, certaque monasteria ad vładicatum eundem pertinentia, quae in capitaneatibus vestris consistunt, in possessionem ipsius tradere. Sed quum certo edocti simus, reverendissimum in Christo patrem d. Stanislaum Schlomowski, archiepiscopum Leopoliensem, sincere nobis dilectum, conferendi vładicatûs Leopoliensis pro hac vice jus et potestatem habere, vigore cujus juris, honorabilem Iwanum Łopatka Ostałowsky, utpote idoneam personam in ordineque presbiterii existentem, ad vładicatum praedictum praesentare decrevit: proinde nos paternitatem suam in jure suo conservare volentes, fidelitatibus vestris serio mandamus, ut postea quàm praefatus reverendissimus archiepiscopus Leopoliensis vładicatum ipsum dicto Iwano Łopatka contulerit, hunc et neminem alium in possessionem illius, nec non monasteriorum in capitaneatibus vestris consistentium inducatis, eorundemque realem possessionem ipsi tradatis, ac a Gregorio Bałaban, cui ipsum vładicatum per ignorantiam juris praefati archiepiscopi Leopoliensis contuleramus, adimatis. Secus non faciatis, pro officii sui debito et gratia nostra. Datum Lublini, in conventione regni generali, die 16 Junii, anno Domini 1569, regni vero nostri 40. — «Franciscus Krasinski, regni Poloniae Vicecancellarius.»

2.— Actum in castro inferiori Leopoliensi, feriâ secunda ante festum sanctae Margarethae virginis proxima, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono. — Coram Officio actisque praesentibus Leopoliensibus personaliter stans providus Jacobus Żurowski de Leopoli, ministerialis totius regni generalis, habens penes se nobiles, Felicem Strepelowski et Iwan Lastowski, publice et per expressum, in vim relationis suae libere recognovit: Quia die hesterna, videlicet, die Dominico ante festum sanctae Margarethae proximo, in praesentia ipsius ministerialis et nobilium praedictorum, generosus Balthazar Ożga, vicecapitaneus Leopoliensis, satisfaciendo mandato sacrae regiae majestatis, eidem vicecapitaneo per venerabilem Iwanum Łopatka-Ostałowski dato,

eundem venerabilem Iwanum Łopatka-Ostałowski in vładicatum Leopoliensem et monasterium sive ecclesiam rithûs Graeci, fundationis sancti Georgii, ante civitatem Leopoliensem consistentem, ac in omnia bona ad praefatam ecclesiam pertinentia, vigore juris ipsius donatorii a reverendissimo in Christo patre Stanislao Szlomowski, Dei gratia archiepiscopo Leopoliensi, nec non et confirmationis per sacram regiam majestatem ejusdem juris habiti, intromisit ac in sedem vładicatus ibidem in praefata ecclesia locavit, possessionemque ejusdem vładicatus realem ipsi Iwano Łopatka tradidit et porrexit. Ac tandem post hujusmodi intromissionem porrectam, praedictus generosus Balthazar Ożga vicecapitaneus, praecustodiendo, ne aliquod damnum in praefata ecclesia per intromissionem praedictam inferatur, in praesentia religiosorum, Jacobi Can . . . (*), seu locum tenentis, dicti *namiesnik*, ac Zachariae *kryłoszanina*, Inventarium rerum omnium mobilium, in praefata ecclesia existentium, debito ordine numeravit et conscripsit. Cujus inventarii tenor sequitur et est talis: «Nayprzód laska, w którey cztery srebrne sztuki; item krzyż srebrny, item krzyż z łancuchem srebrny; item kielich, patyna, łyżka y gwiazda srebrne; item dwie czapke biskupie z perłami; item trzy komże płocienne; item komża aksamitna; item komża z adamaszku czarnego, item komża z adamaszku białego, item z kamki; item homofor z adamaszku; item komża wiotcha z adamaszku; item koszul spodnich cztery; item homofor z adamaszku, stary; item potrachil z kamki; item paramany dwa; item policza, item policza stara; item homofor z pułhatłasu czerwonego; item potrachil dziky z pułhatłasu; item trzy ręczniki; item orar dyakoński; item pas jedwabny; item listów jedenaście pargaminowych, nie wiedzieć co na nich, w skrzynce; item ksiąg pięćdziesiąt w sklepie, item w kościele szesnaście, ewangelia siedmnasta; item w kościele dwoie ryzy, y stychar, y potrachil y trzy wozduchy, które ustawicznie w kościelie dla służby Bożey stoią; item kielich cynowy y patyna.» — Ad quae praemissa omnia ipsi praefati, Jacobus *namiesnik* et Zacharias *kryłoszanin* libere consenserant. Cui quidem intromissioni nullus hominum contradixit, nec eandem praepedivit. Quod sibi ibidem ipse praedictus ministerialis, ex parte praefati Iwan Łopatka protestatum esse recognovit, nobilesque praefati relationem ipsius ministerialis in toto sic, et non aliter fieri, suis personalibus recognitionibus attestati sunt. Super quod memoriale Officio est solutum.

In fine hujus documenti notatum: Ex actis castrensibus capitaneatus Leopoliensis extraditum. «Correxi Grabowski.» «Legi cum actis Popiel, m. p.» *Sigillum appositum. In averso folii argumentum acti sic designatum:* venerabilis Iwan Łopatka-Ostałowski in vładicatum Leopoliensem et monasterium sive ecclesiam s. Georgii intromissus. *Accedit datum.*

3.— Sigismundus Augustus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae dominus et haeres, generoso Hieronymo Sieniawski, castellano Camenecensi, Haliciensi et Kołomiensi nostro capitaneo, gratiam nostram regiam, ac in absentia eius vicecapitaneo Haliciensi. Generose, fideliter nobis dilecte! Quoniam reverendissimus archiepiscopus Leopoliensis circa jus nostrum, quod ipsi eotunc dedimus, dedit vładicatum Leopoliensem et instituit in illum reverendum Iwanum Łopatka Ostałowski: mandavimus per priores literas nostras, tam capitaneo Leopoliensi, quàm et fidelitati vestrae, ut in

*) in origin. haec dictio sic scripta.

bona et jurisdictionem ad eundem władicatum spectantem, quilibet in suo capitaneatu eundem reverendum Iwanum intromitteret et in actualem possessionem introduceret: quod Officium capitaneale Leopoliense juxta mandata nostra diligenter executum est. Sed de fidelitate vestra significatum est, quod quamvis pro intromissione in bona in capitaneatu Haliciensi jacentia officium mittebas: at quia Hrycko Bałaban intromissionem non admisit, ulterius procedere noluisti. Proinde dictus Bałaban quoniam contra jus et voluntatem nostram, praefata bona et jurisdictionem tenere non potest, quae et juxta jus et voluntatem nostram praesentato władicae conveniunt: proinde iteratò hisce literis nostris fidelitati vestrae mandamus, volentes id habere, ut ex officio fidelitatis vestrae, ejusmodi bona, quaecunque in capitaneatu vestro Haliciensi ad władicatum spectant, praedictus Bałaban spontè et liberè dimittat, et ut reverendo Iwano Łopatka-Ostałowski, tanquam officiose electo et praesentato władicae, ex eodem officio vestro in actualem possessionem ea omnia unà cum jurisdictione sine mora tradantur; pro gratia nostra et sub poenis contra inobedientes capitaneos sancitis, si aliter esset. Datum Lublini, in conventione regni generali, die 1 Augusti, anno Domini 1569. — «Ad mandatum sacrae regiae majestatis, Franciscus Krasinski, regni Poloniae vicecancellarius.»

4.— Actum in castro Haliciensi, feriâ quinta proxima post festum Assumptionis in coelum beatae Virginis Mariae, aliàs decimaoctava mensis Augusti, anno Domini 1569, coram generoso Michaële Jankowski, judice terrestri Haliciensi, in locum Officii castrensis Haliciensis, quoad recognitionem inferius descriptam suscipiendam, per magnificum Hieronymum Sieniawski, castellanum Camenecensem Podoliae, Haliciensem Kołomiensemque capitaneum subdelegato, praesentibus, ut in actis.

Generosus Hieronymus Bobowski, vicecapitaneus Haliciensis, unà cum nobilibus, Martino Dobrżanski de Rozborz (nunc vero in Chorostkow manente, ministeriali terrestri terrarum Russiae, de cujus legalitate Officio praesenti constat), Bernardo Kraslinski, Hieronymo Zaleski, personaliter comparens, in vim recognitionis ac relationis suae ubicunque faciendae, publicè liberè recognovit: Quia die hesterno condescendebat ad villam et monasterium ibidem consistens, dictum Kryłos, in capitaneatu Haliciensi situm, ad requisitionem nobilis Iwanis Łopatka-Ostałowski, ex debito officii castrensis Haliciensis, vigore litterarum mandati suae regiae majestatis, die 1^{ma} mensis Augusti emanatarum, ex parte ipsius Iwanis Łopatka, magnifico Hieronymo de Sieniawa, castellano Camenecensi Podoliae, Haliciensi Kołomiensique capitaneo, ac officio actisque castrensibus Haliciensibus feriâ tertia proxime praeterita oblatarum, ipse vicecapitaneus per eundem ministerialem terrestrem ac nobiles praefatos intromittebat ad realem possessionem in władicatu Leopoliensi seu Haliciensi ac in omnia et singula bona ac possessiones, quaecunque in capitaneatu Haliciensi consistunt, ad praefatum władicatum Haliciensem concernentia, unà et jurisdictionem ejusdem władicatûs eidem Iwano Łopatka-Ostałowski dabat et tradebat, et poponibus ibidem in Kryłos ac extra ubilibet existentibus, nec non et omnibus subditis ad praedictum władicatum concernentibus praecipiebat et injungebat, ut eidem Iwano Łopatka-Ostałowski, tanquam suo vero ac legitimo władicae reverentiam et obedientiam debitam exhibeant ac praestent; et claves monasterii praefati, apud quem sint, requisivit, ut eidem Iwano Łopatka-Ostałowski władicae ad manus tradantur ac reddantur. Ubi in instanti nobilis

Hrehorius Bałaban vładicam prioris donationis ac provisionis, per sacram regiam majestatem eidem concessae, se ipsum esse nominavit ac protestatus est, ejusdem vładicatûs legitimum possessorem ultra tres annos existere. Quam suam possessionem legitimam ac pacificam usufruitionem ejusdem vładicatus, ab illo tempore hucusque, authentico documento ex actis castrensibus Haliciensibus, tam donationis et provisionis suae per sacram regiam majestatem praefati vładicatus Haliciensis, quam etiam et possessionis legitimae, eidem per officium castrense Haliciense datae, probare velle in foro competenti allegavit. Insuper literas mandati suae regiae majestatis, nunc recenter ex Cancellaria maiori ejus majestatis regiae die 6ta mensis Augusti obtentas, et feriâ tertia proxime praeterita officio et actis praesentibus castrensibus Haliciensibus oblatas esse dicebat: quibus sua sacra regia majestas eundem Hrehorium Bałaban in pacifica possessione et usufructu ejusdem vładicatus, vigore donationis et provisionis suae prioris, a tanto tempore habitae, et neminem alium reservari, mandare dignata est. Ratione quorum, eandem intromissionem et possessionem in hunc ipsum vładicatum ac omnia bona ad eundem concernentia, idem Hrehorius Bałaban non admisit, imo denegavit, petens, ne sibi aliqua violentia per officium inferatur. Et quoniam utraeque partes, vigore earundem literarum utrorumque mandatorum suae regiae majestatis, in possessione se velle . . . . partes: ipse vicecapitaneus Haliciensis, ratione mandatorum praefatorum, pro judicio et decisione ad sacram regiam majestatem, cum toto ipsius effectu remisit; cum officium castrense, praefatorum mandatorum occasione suae regiae majestatis, discernere non debet, nec eidem convenit, tantum sacrae regiae majestati. Quae omnia ita acta esse, et eidem ministeriali cum nobilibus praefatis ibidem protestatum, ipse vicecapitaneus recognovit, et praedictus ministerialis cum nobilibus praefatis ita actum, atque eis per ipsum vicecapitaneum Haliciensem ibidem protestatum esse, attestaverunt, et ad acta praesentia retulerunt, personaliter recognoscentes. — «Hieronim Bobowski, podstarości Halicki.» «Jacobus Przeborowski, notarius castrensis Haliciensis »

5.— Actum in castro inferiori Leopoliensi, feriâ tertia ante festum Ascensionis Domini in coelum proxima, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo. — Coram Officio actisque praesentibus castrensibus Leopoliensibus personaliter stans providus Jacobus Zurowski de Leopoli, ministerialis terrestris Leopoliensis, habens penes se nobiles, Petrum Suchorabski, Joannem Sadłowski et Albertum Ratowski, publice et per expressum, in vim relationis suae libere recognovit: Quia ipse unà cum praedictis nobilibus in ecclesia fundationis sancti Georgii, ritus Graeci, ante civitatem Leopoliensem consistenti praesens aderat, dum et quando die dominico festi sancti Adalberti proxime nuperrime praeterito, ad affectationem venerabilis Iwan Łopatka, vładicae Leopoliensis, per querelam ad magnificum Nicolaum Herburt de Fulsztyn, succamerarium Premisliensem et capitaneum Leopoliensem factam, idem magnificus Nicolaus Herburt eundem venerabilem Iwan Łopatka vładicam in hunc ipsum vładicatum, de quo violenter tempore proxime praeterito per nobilem Hrycko Bałaban et complices ipsius expulsus erat, denuo vigore literarum sacrae regiae majestatis, praedicto capitaneo per eundem ministerialem porrectarum, continuando priorem intromissionem et possessionem ipsius Iwan Łopatka, in praesentia reverendissimi in Christo patris Stanislai Szłomowski, Dei gratia archiepiscopi Leopoliensis, ac generosorum, Stanislai Bniński, ju-

dicis terrestris Posnaniensis, Stanislai Wengleński et Balthasari Ożga, vicecapitanei Leopoliensis et aliorum multorum circa actum praesentem existentium, una cum obedientia subditorum inibidem ecclesiae porrecta, in sedem władicatus praedicti reintromisit. Post quam assignationem possessionis traditionemque et apprehensionem intromissionis praefatae, praedictus Hrycko, una cum complicibus suis, ibidem in ecclesia praefata Ruthenicali, in praefatum Iwan Łopatka władicam, in praesentia eorundem, reverendissimi et magnifici generosorumque, verbis inhonestis irruit. Tandem ad affectationem ejusdem Iwan Łopatka, praefatus magnificus capitaneus Leopoliensis claves, per praefatum Bałaban a testitudine ejusdem ecclesiae violenter sacerdotibus ecclesiae praefatae receptos, recipere voluit: quos ipse Bałaban dandos denegavit, neque eosdem dare voluit. Quam tamen testitudinem praefatus magnificus ferri fabro reserare seu aperire mandavit. In qua testitudine ipse ministerialis existens, ad eandem cum praefatis nobilibus missus, nihil rerum ecclesiasticarum, ad laudem divinam pertinentium, antea, circa apprehensionem possessionis ejusdem Iwan Łopatka, per officium praesens castrense Leopoliense conscriptarum (prout regestrum in actis praesentibus eorundem in se latius obloquitur), praevenisse, recognovit, exceptis libris variis in numero quinquaginta quatuor, quos se vidisse ipse ministerialis recognovit. Quae praemissa omnia et singula praeexpressa ibidem, ex parte praefati Iwan Łopatka władicae, in praesentia omnium supra expressorum, contra praefatum Hrycko Bałaban ipse ministerialis protestata esse, praemissamque desertationem ecclesiae praefatae se debite conspexisse et obductum esse, libere recognovit; nobilesque praefati relationem ipsius ministerialis in toto sic et non aliter fieri, suis personalibus recognitionibus attestati sunt. Super quod memoriale officio est solutum. — Ex actis castrensibus capitaneatus Leopoliensis extraditum. «Correxi. Putkowski.» «Legi cum actis. Borzym.»

6.— Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres, universis et singulis cujuscunque statûs et dignitatis hominibus, praecipuè incolis terrae Russiae significamus. Quia nos et dignitatem nostram non parum id offendit, quod honorabilem Łopatka-Ostałowski, władicam Leopoliensem, multi, nescitur qua de causa, pro władica suo Leopoliensi nosse et ejus jurisdictioni debite obedire nolunt; praeterea poponibus suis, quos in bonis propriis habent, obedientiam debitam ipsi praestare non admittunt: qui władica sicut a nobis est pro ejusmodi officio et dignitate praesentatus, ita circa hanc nostram praesentationem, et a metropolita Vilnensi juxta praxim et morem christianum, legitime pro ejusmodi władicatu est consecratus. Quam ob rem, non grato animo tantam inobedientiam, quae majestatem nostram laedit contemptumque officio ecclesiastico facit, patimur, mandantes serio omnibus et singulis, ut praefatum Łopatka-Ostałowski, quemadmodum pro ejusmodi władicatu a nobis praesentatum et a metropolita consecratum, pro actuali suo władica habeatis, et ejus superioritati, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus ad officium ejus spectantibus obediatis, persolvendo illi de pleno illos proventus, quique ab antiquo władicae Leopoliensi persolvi consueverant. Et praecipue illis, qui poponibus suis obedire superioritati ejusdem władicae prohibent, signanter, verè et seriò mandamus, ut poponibus suis, juxta competentiam christianam, altefatum Łopatka pro władica suo legitimo habere, illique obedientiam praestare non impediant, se-

cus pro gratia nostra. Datum Varsaviae, die 15 Augusti, anno Domini 1570, regni vero nostri 41. — «Sigismundus Augustus rex.» — Quarum literarum in castro Leopoliensi feriâ tertia in vigilia s. Adalberti, anno 1572 oblata.

7.— Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres, generoso Nicolao Herburt de Fulstyn, capitaneo nostro Leopoliensi fideli, nobis dilecto, gratiam nostram regiam. Generose, fidelis nobis dilecte! Relatum est nobis ex parte reverendissimi in Christo patris, domini Stanislai Slomowski, archiepiscopi Leopoliensis, quod nobiles Hrycko et Wasko Bałabanowie violenter praepediunt in pacifica possessione et tenuta venerabilem Iwanum Łopatka-Ostałowski, władycam nostrum Leopoliensem, ita, quod vładicatum praefatum in quieta et pacifica possessione tenere et possidere, ac in ecclesia vładicatus praefati sancti Georgii, in subcastro superiori Leopoliensi, sola officia divina propter eorundem Bałabanorum violentiam celebrare minime possit. Quamvis autem nos antea dederamus mandatum nostrum generale ad generosum olim Petrum Barzy, castellanum Premisliensem, capitaneum nostrum Leopoliensem tunc temporis existentem, ut eundem Łopatka, władycam nostrum, ab eorum impetitione et violentia omni tueatur ac defendat: tamen cùm is praefatus Petrus Barzy jam de hac luce decessit, idcirco fidelitati tuae, velut moderno capitaneo nostro Leopoliensi mandamus, omnino habere volentes, ut quamprimùm fidelitas tua per praefatum archiepiscopum Leopoliensem, aut per dictum venerabilem Iwan Łopatka vładycam nostrum requisita fuerit, eundem vładycam, pro autoritate officii sui, ita tueatur et defendat, ut possit vładicatum praefatum pacifice et quiete tenere et possidere, atque sacramenta in ecclesia praefata secure et tranquille administrare, omniaque divina officia peragere, sub gratia nostra ac debito officii sui aliter non factura. Datum Varsaviae, die XV mensis Augusti, anno Domini MDLXX, regni vero nostri anno XLI. — «Franciscus Krasinski, regni Poloniae vicecancellarius.»

